SACRA LITURGIA

Cum duo præcipue in sacerdote et animarum pastore requirantur, probitas videlicet et doctrina, earum utraque in Seminario est comparanda.

S. CAROLUS BORROMÆUS, Instit. Seminarii,
Part. 3 Cap. 1.

SACRA LITURGIA

TOMUS V

CÆREMONIALE

SEU

MANUALE AD FUNCTIONES SACRAS SOLEMNES RITE PERAGENDAS

AD USUM ALUMNORUM
SEMINARII ARCHIEPISCOPALIS MECHLINIENSIS

OPERA

J. F. VAN DER STAPPEN

EPISC. TITUL. JOPPEN., AUXIL. EMI AC RMI DNI PETRI LAMBERTI
CARD. GOOSSENS, ARCHIEP. MECHLIN.
SACRÆ LITURGIÆ ACADEMIÆ ROMANÆ CENSORIS

EDITIO ALTERA.

MECHLINIÆ.
H. DESSAIN,
SUMMI PONTIFICIS, SS. CONGREGATIONUM RITUUM ET DE PROPAGANDA FIDE NECNON ARCHIEP. MECHL. TYPOGRAPHUS.
1903.

WITHDRAWN

PETRUS LAMBERTUS,

TITULI S. CRUCIS IN HIERUSALEM S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS GOOSSENS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS MECHLINIENSIS, PRIMAS BELGII

Omnibus has visuris Salutem in Domino.

Libenter approbamus *Cæremoniale,* seu *Manuale ad functiones sacras solemnes rite peragendas, ad usum alumnorum Seminarii Archiepiscopalis Mechliniensis, editio altera,* opera Illmi ac Rmi Dñi J. F. Van der Stappen, Episcopi titul. Joppen. Auxiliaris Nostri digestum, in quo plures inveniuntur Instructiones de officiis ministrorum ac celebrantis pro diversis sacris functionibus, dilucide et ordinate, juxta probatam Ecclesiæ Romanæ doctrinam et ad normam recentiorum decretorum propositæ. Opus hoc, perspicuitate præstans et utilitate, non tantum Seminarii Nostri alumnis, sed et omnibus Diœcesis nostræ viris ecclesiasticis enixe commendamus, ut illud perlegendo et perscrutando praxim scientiæ liturgicæ addiscant, sacras Ecclesiæ Cæremonias in cunctis functionibus sui ministerii summa cum diligentia et sincero cordis affectu erga res divinas ad amussim tractent, earumque salutari usu exercitati gustare queant quod Psaltes exclamat : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* (Ps. LXXXIII, 1.)

Datum Mechliniæ, 20 Aprilis 1903.

† PETRUS LAMBERTUS, CARD. GOOSSENS,
Archiep. Mechlinien.

De Mandato Emi ac Rmi Dni Cardinalis Archiepiscopi,
F. VAN OLMEN, Secret.

Venerabili Fratri JOSEPHO *Episcopo Titulari Joppeno eidemque Auxiliari Archiepiscopi Mechliniensis*

PIUS PP. X.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. Exhibuit tuo nomine Nobis dilectus filius ab epistolis Nostris ad Principes libros de re lithurgica quinque, quos ipse haud ita pridem edidisti ut eam publice doctrinam efferres quam in sacro seminario Mechliniensi tradidisti. Nos quidem valde delectat quod ipso in exordio Pontificatus Nostri praeclarum opus de divino peragendo cultu, pluribus auctum, iterum emiseris ; in id enim navitatem tuam egregie contulisti in quo Nostrae quoque curae magnam partem evigilant. Porro erudite atque accurate condita esse volumina magnopere gaudemus, minimeque dubitamus quin magisterii tui fructus non modo Mechliniae, verum etiam apud cetera seminaria uberes ac laeti parentur. Votis idcirco atque optatis tuum opus prosequimur, illudque ut manibus clericorum versetur, omnique per-

volutetur studio exoptamus. Quam profecto sollicitudinem si penes eos, quos instituendos acceperint, Episcopi ceterique Ecclesiae antistites alendam curaverint, multum inde et sacrorum doctrina rituum, et augustissimarum reverentia rerum, et templi sacerdotiique decus sine dubitatione proficient. Haec autem quia plurimi interest in Ecclesia Christi foveri, amplificari, expedita atque explicata reddi, debitam propterea laudem alacritati tuae ac diligentiae tribuimus, simulque enixe te hortamur ut ad Religionem sacrasque disciplinas provehendas maiorem in dies industriam, novosque studiorum fructus conferre ne desinas. Auspicem coelestium gratiarum Nostraeque benevolentiae testem Apostolicam Benedictionem amantissime tibi impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV. Martii Anno MDCCCCIV. Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP. X.

SACRA LITURGIA

CÆREMONIALE

CONSPECTUS LIBRI

(1) — Quinque series Instructionum in præsenti opusculo proponuntur, pro diversis officiis ac cæremoniis in celebratione Missarum aliarumque ecclesiasticarum functionum peragendis, 1° ab Acolythis et Thuriferario ; 2° a Cæremoniario ; 3° a Subdiacono ; 4° a Diacono ; 5° a Sacerdote celebrante.

Cumque in multis nostrarum Ecclesiarum parochialium, quædam per annum sacræ functiones non ea cum solemnitate persolvi queant, quæ in Instructionibus proponitur, deficiente sacrorum Ministrorum numero; describitur post quintam seriem Memoriale Rituum pro aliquibus præstantioribus sacris functionibus persolvendis in minoribus Ecclesiis parochialibus, jussu Benedicti XIII Pontificis maximi editum, ex Decreto particularis Congregationis, sub die 4 Decembris anni 1724.

Tandem adduntur nonnullæ regulæ pro cantu in diversis functionibus ecclesiasticis, et pro Choro.

Instructionum finis est. Clericos, sacrosque Ministros ac Sacerdotes in actionibus peragendis instruere, et quasi manu ducere, ut in iisdem attente, expedite et cum ædificatione se gerant, ac in omnibus custodia sacrarum Cæremoniarum semper effulgeat.

REGULÆ GENERALES

pro diversis cæremoniis quæ communes sunt cuicumque sacræ functioni

(2) — I. — 1. **Signum Crucis** consuetum, communiter dictum *a fronte ad pectus*, sequenti modo faciendum in Missali Romano describitur : Qui « seipsum signat, semper sinistram

ponit infra pectus..... Seipsum benedicens, vertit ad se palmam manus dextere, et omnibus illius digitis junctis et extensis, a fronte ad pectus, et ab humero sinistro ad dextrum, signum Crucis format. » (Ritus celebrandi Missam, Tit. III, n. 5.) — Itaque semper ad hoc signum manus sinistra ponitur infra pectus, ad altitudinem cinguli, extra terminos Crucis faciendæ ; manu dextra tanguntur frons, pectus, et humeri sinister et dexter extremis tribus digitis, indice, medio et annulari. Signum Crucis absolvitur in humero dextro ; itaque post humerum dextrum tangere et medium pectoris, sicut aliqui faciunt, arbitrarium est. Item post signum factum in humero dextro, necesse non est jungere manus, nisi quod sequitur dicendum sit manibus junctis, vel manuum junctio præscribatur.

Verba interea pronuntianda diligenter sunt dispensanda ad singulos contactus ; itaque posita manu ad frontem dicetur : *In nomine Patris ;* — ad pectus : *et Filii ;* — ad humerum sinistrum : *et Spiritus ;* — ad humerum dextrum : *sancti. Amen.*

Signum Crucis a fronte ad pectus sæpius faciendum occurrit dum diversa verba pronuntiantur, tum in Missa, tum in Officio; ut debito modo et congruenter fiant, describitur pro pluribus signis verborum distributio ad singulas signi Crucis partes : dicitur nempe :

ad frontem	ad pectus	ad humerum sinistrum	ad humerum dextrum
Adjutorium	nostrum	in nomine	Domini.
Indulgentiam	absolutionem	et remissionem	peccatorum nostrorum.
Cum sancto	Spiritu	in gloria	Dei Patris. Amen.
Et	vitam	venturi	sæculi. Amen.
Benedictus	qui venit	in nomine	Domini.
Deus	in adjutorium	meum	intende.
Magnificat	anima	mea	Dominum.
Benedictus	Dominus	Deus	Israel.
Nunc	dimittis	servum tuum	Domine.
Pater	et Filius	et Spiritus	sanctus.

Permagni certe interest, ut Clerici diligentius animum intendant ad honestum Crucis signum, et perseveranti attentione in bonam consuetudinem deveniant efficiendi sacrum illud signum attente, digne, et devote. Quot, eheu ! dum in principio operis, aut orationis, invocant sanctam et supremam Trinita-

tem, manuum aliqualem motum oscitanter simulant negligentem, deformem et indecorum ! An tali modo Ipsam venerantur, an non potius ferocibus gestibus lacessunt ?

2. **Signum Crucis** ad cantum Evangelii, ab iis qui manus liberas habent, efformatur sequenti modo in fronte, ore, et pectore : cum Diaconus, signato libro super principio Evangelii ad verbum *Sequentia*, aut *Initium*, cantat *sancti*, omnes ponunt sinistram manum extensam infra pectus, et dexteram extensam convertunt a parte palmæ ad faciem, et solius pollicis interiori parte seu pulpa signant frontem, pollice a reliquis digitis conjunctis aliquantum sejuncto; ad cantum verbi *Evangelii*, retenta sinistra infra pectus, dexteram a fronte ducunt ad os, et eodem modo se signant in ore : tandem ad verbum *secundum*, item se signant in pectore. In hac triplici Cruce, lineæ rectæ non excedant altitudinem frontis, lineæ transversæ vero non excedant latitudinem oris.

Defectus est, frontem, os et pectus signare ungue potius quam interiori pollicis parte. — Defectus etiam est, pro triplici Crucis signo efficere lineam quasi anguineam a fronte ad pectus, in qua diversarum Crucium lineæ nullo modo distingui possunt.

3. Eodem modo quo ad Evangelii cantum post frontem os signatur et pectus, signatur os tantum, nempe ad verba *Domine labia*, in ℣. *Domine labia mea aperies*, qui dicitur in principio Matutini ; et signatur pectus tantum, nempe ad verba *Converte nos*, in ℣. *Converte nos Deus salutaris noster*, qui dicitur post Confessionem in Completorio. — Ad utrumque hoc signum itaque observabitur id quod supra describitur.

II. — 1. **Manus junctæ ante pectus** tenentur eo modo ut palma unius manus exacte conjungatur palmæ alterius manus, « extensis et junctis pariter digitis, et pollice dextero super sinistrum posito, in modum Crucis. » (Ritus celebrandi Missam, Tit. III, n. 1.) Manus sic junctæ ita ante pectus sustinentur, ut neque ab eo nimis distent, neque eidem nimis adhæreant ; neque versus faciem, neque ad terram sint conversæ, sed versus cœlum sint erectæ ad normam diagonalis.

Defectus est, manus junctas tenere infra pectus et ad terram conversas. — Defectus etiam est, in junctione manuum ante pectus conjungere, non palmas, sed digitorum extremitates tantum.

2. Non semper in Choro per totum Officium manus descripto modo junctæ tenendæ sunt. Ab iis qui inserviunt Altari id quidem observandum est ; sed in Choro observabitur hæc junctio dum aliquæ preces recitantur, vel præsente SS. Sacramento ;

alias vero sufficiet manus eo modo tenere, ut dextra superimponatur sinistræ ante pectus ; vel ad sessiones poterunt etiam extensæ super genua a parte palmæ poni. Numquam vero pendulæ teneantur. - Cum liber tenetur ad cantum, teneatur utraque manu ante pectus.

III. — **Genuflexio**, — illa scilicet quæ fit sine mora, quæ est transitoria reverentiæ significatio, distincta a statu seu modo se habendi fidelis orantis, - duplicis generis est, utriusque nempe, et unius genu, seu **duplex et simplex.**

1. **Genuflexio duplex** fit, flectendo ad terram primo dextrum genu juxta talum pedis sinistri, et dein sinistrum genu juxta dextrum, et inclinando profunde caput ; et mox in surgendo, erecto jam capite, primo levatur genu sinistrum, et ponitur pes juxta genu dextrum, dein genu dextrum levatur.

Genuflexio hæc duplex præstatur, exposito SS. Sacramento, vel reposito super mensa Altaris in Missæ Sacrificio, ab eo qui accedit de sacristia, aut alio loco ad Altare, seu potius ad presbyterium aut Chorum, vel discedit de eo. — S. Rituum Congregatio declaravit, quod in casu Expositionis SS. Sacramenti, « omnes ante illud transeuntes, cujusvis conditionis et ordinis sint, seu ad illud accedentes et ab eodem recedentes, semper utrumque genu flectere debeant. » (Decret. 10 Augusti 1651, n. 937, antiq. 1627, ad 6.) Quæ genuflexiones faciendæ sunt etiam quando in Pyxide tantum esset expositum SS. Sacramentum. (Decret. 7 Maji 1746, n. 2390, ad 4, antiq. 4181, ad 11.)

Genuflexio duplex observatur etiam quando in Festis Annuntiationis B. Mariæ V., et Nativitatis Domini cantatur in Symbolo Missæ Versus : *Et incarnatus est.... et homo factus est ;* sed tunc caput non inclinatur. Est hæc genuflexio, quæ cum mora fit, potius situs quam actus.

2. **Genuflexio simplex** fit, flectendo ad terram genu dextrum juxta talum pedis sinistri, nulla adjecta capitis aut corporis inclinatione ; corpus nullo modo curvetur, sed demittatur recte, et absque declinatione versus sinistrum aut dextrum latus, nec genu pavimento ullo modo insistat, sed depressum ad terram confestim inde erigatur, cum debita tamen gravitate. — Aliquando tamen non confestim genu erigitur, sed per breve tempus flexum in terra tenetur ; nempe quando genuflexio simplex præscribitur facienda dum verba quædam pronuntiantur ; ex. gr., dum recitatur in Symbolo Missæ Versus : *Et incarnatus est.... et homo factus est ;* dum in Invitatorio Matutini pronuntiantur verba : *Venite adoremus, et procidamus ante Deum ;* cum Diaconus in quibusdam Missis cantat : *Flectamus genua,* genu etenim flectitur usque dum Subdiaconus cantaverit : *Levate ;*

dum in Epistola aut Evangelio cantantur quædam verba ad quæ genuflexio præscribitur.

In transitu ante medium Altaris animadvertendum est ne genuflexio fiat transeunter ; sed genuflectens prius sese totaliter convertat ad Altaris medium, et tunc tantum subsistens genuflectat. - Numquam in ipso actu genuflexionis manus ponatur super genu sinistrum.

IV. — **Inclinatio**, quæ et salutatio vocatur, duplex distinguitur : **corporis et capitis.**

1. **Inclinatio corporis** subdividitur in **profundam** et **mediocrem.**

a) **Inclinatio corporis profunda** ea est, qua medietas corporis totaliter inclinatur, ita ut digitorum extremitate possent tangi genua : talis requiritur quando dicitur *Confiteor.*

b) **Inclinatio corporis mediocris** ea est, qua caput et modice humeri inclinantur, medians inter profundam corporis et profundam capitis inclinationem. Debite fiet, si curvatis humeris conspici poterunt pedes.

2. **Inclinatio capitis** subdividitur in **profundam, mediam et minimam.**

a) **Inclinatio capitis profunda**, quæ correspondet cultui latriæ, ea est, qua caput, quantum potest, versus pectus inclinatur, cum aliquantula humerorum depressione ; regulariter fit versus medium Altaris, scilicet, versus Crucem quæ est Altaris principale objectum, aut versus SS. Sacramentum, si patenter in Altari sit expositum ; qui non stat conversus ad Altare, pro hac inclinatione convertit caput inclinatum et pectus versus Altaris medium.

Hæc inclinatio capitis profunda præscribitur, ex. gr., cum pronuntiatur SS. Nomen Jesus ; cum dicitur *Oremus ;* in Hymno *Gloria in excelsis Deo,* ad verba *Deo, Adoramus te, Gratias agimus tibi, Suscipe deprecationem nostram ;* in Symbolo ad verba *Deum, simul adoratur,* et etiam ab iis qui sedent, ad Versum : *Et incarnatus.... et homo factus est ;* item quandocumque dicitur *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* — Dicitur quod regulariter caput profunde inclinatum vertitur ad Altaris medium ; hoc tamen non semper fit, nam ad ℣. *Gloria Patri,* in fine Psalmorum, sufficit caput profunde inclinare, absque conversione ad Altaris medium. Hoc fusius exponitur in descriptione eorum quæ in Choro observanda sunt.

Inclinatur etiam caput profunde in quibusdam aliis functionibus, ex. gr., ad Aspersionem aquæ benedictæ, diebus Dominicis ante Missam, ille qui aspergitur, eo momento caput profunde inclinat.

b) **Inclinatio capitis media**, quæ correspondet cultui hyperduliæ, ea est, qua caput tantummodo, non quantum potest, sed tamen notabiliter deprimitur, et non convertitur ad medium Altaris.

Hæc capitis inclinatio media fit, cum pronuntiatur SS. Nomen B. Mariæ Virginis.

c) **Inclinatio capitis minima**, quæ correspondet cultui duliæ, ea est, qua caput leviter seu aliquantulum deprimitur, et non convertitur ad medium Altaris.

Hæc inclinatio fit cum pronuntiatur nomen Sancti, cujus celebratur Festum, aut fit Commemoratio specialis ; item ad nomen Papæ.

Observatur etiam in salutationibus quibus Clerici in Choro se invicem honorant in quibusdam casibus, ex. gr., ante et post incensationem, ante et post acceptam pacem, etc. De his etiam fusius dicitur in regulis Chori.

V. — **Modus accipiendi et dandi pacem** : Qui pacem daturus est, antequam eam det, non caput inclinat ; qui eam est accepturus, antequam eam recipiat, caput inclinat daturo ; qui dat, manus apertas imponit ex parte palmæ super humeros recipientis, iste manus suas supponit cubitis dantis ; dans dicit *Pax tecum*, recipiens respondet *Et cum spiritu tuo*, sinistris genis interea sibi invicem appropinquantibus ; mox uterque retrahunt caput, et manus, quas jungunt, et caput sibi invicem inclinant.

VI. — **Percussio pectoris.** Manus sinistra totaliter extensa ponitur infra pectus : dextera tota aperta et extensa, conjunctis omnibus digitis, cubitu non a latere amoto, ter ducitur ad pectus et percusso pectore, ab eo reducitur devote et modeste.

Percussio pectoris fit in Confessione, tum in Missa, tum in Officio, ter, scilicet primo ad verba : *mea culpa*, iterum ad eadem verba secundo dicta, et tertio ad verba : *mea maxima culpa ;* fit etiam in Missis quæ non sunt de *Requiem*, ad *Agnus Dei*, nempe primo et secundo, cum dicitur et repetitur : *miserere nobis*, et tertio cum dicitur : *dona nobis pacem.*

Non debet percuti pectus ad verba : *Domine non sum dignus*, in Missa, ante sumptionem S. Hostiæ, nisi a solo Celebrante ; S. Rituum Congregatio enim declaravit ad id non teneri Diaconum et Subdiaconum (Decret. 30 Decembris 1881, n. 3535, ad 3, antiq. 5830, ad 4) ; a fortiori non tenentur alii. Ad hæc verba vero pectus ter percutitur ab illis qui sunt communicaturi, quando Sacerdos ea pronuntiat.

Pectus percutere ad *Agnus Dei* in Litaniis est usus generalis ; attamen nullibi præscriptum hoc reperitur.

VII. — **Specialia.** — 1. Una manu occupata, ex. gr., cum aliquid præbetur, aut accipitur, aut portatur, quod semper dextera fit, altera manus infra pectus ponitur, et numquam pendula teneri potest.

2. Qui loco suo stat, erectum semper corpus et caput, manus junctas ante pectus, pedesque ad talum junctos teneat. — Nemo in stallo, vel alio quocumque loco, stet molliter, et resolutus, quasi confractis renibus ; aut brachiis depositis super stalli separatione, vel aliter extensis ; aut uno crure ante alterum posito.

3. Qui genuflexus moratur, erectum caput, genua juxtaposita, pedesque item juxtapositos habeat ; numquam pedem unum super alterum ponat ; brachia retineat prope pectus, et manus ante pectus junctas, vel, si adsit scamnum, decenter et modeste super scamnum positas.

Cum in Choro pro stallis inferioribus ordinarie non habeatur, sicut pro stallis superioribus, scamnum ad genuflectendum, ideo illi qui stalla inferiora occupant pro genuflexione convertunt se ad stallum suum, non totaliter quidem, sed aliquantum ad Altare conversi. — Servetur in hac genuflexione decentia ; et caveat unusquisque, ne brachia velit imponere sedili, et caput ac corpus ideo inclinare quasi recitaret Confessionem, quod valde indecorum est ; ergo attendat ut absque ulla inclinatione erectum teneatur corpus et caput.

4. Qui procedit, lento gravique incessu, passu honesto, erecto corpore et capite, procedat.

5. Qui sedet, erecto capite et pectore, sedis medium occupet (nullo modo decumbens in angulo), genibus pedibusque juxtapositis, manibus junctis, vel honeste super genua extensis. — Vitetur omnis crurium extensio, vel unius pedis super alterum positio.

6. Qui descendit de gradibus Altaris, etiamsi unico tantum gradu, numquam manente facie ad Altare conversa retrogrediatur, sed conversa facie ad planum, per sinistram vel per dexteram, prout erit faciendum, ad planum descendat.

7. Qui duo vel plures simul stant, vel genuflectunt, vel procedunt, vel aliam quamcumque actionem præstant, curabunt ut in omnibus maxima sit conformitas actionum, quæ æqualiter, eodemque tempore et concinne cum ordine fiant.

Si aliquando se convertere debent, ex. gr., in principio Processionis, curabunt ne umquam Altari, vel sibi invicem terga vertant ; sed ut semper facie ad faciem se convertant.

8. Oculi semper teneantur aut ad terram demissi, aut ad Altare, aut ad cæremoniarum magistrum intenti, numquam huc illuc, præsertim ad populum vagi vertantur.

9. Modestia, gravitas, religiosa decentia, et honesta corporis dispositio in omnibus servetur, seposita omni levitate aut irreverentia ; et in quacumque actione pietas præferatur quæ decet ministerium sanctum Altaris.

10. In cantu sit omnium vox unisona : singula verba clare, et distincte, et cum debito accentu pronuntientur ; unusquisque attendat modulationem vocis sociorum, et non citius vel lentius quam alii cantet aut psallat, ne a cæteris dissonet. — In psallendo observetur pausa in medio et in fine versuum ; et a sequentibus non inchoetur versus cantio, antequam præcedentis versus cantus sit omnino absolutus. In psalmodia, quæ fit recto tono, vitetur ad pausas immodica ultimæ syllabæ protractio.

DE OFFICIO THURIFERARII ET ACOLYTHORUM

IN SACRIS FUNCTIONIBUS

(3) — *Filii mei, nolite negligere : vos elegit Dominus ut stetis coram eo, et ministretis illi, eolatisque eum, et cremetis ei incensum.* (II Paralip. XXIX, 11.)

Præsens Instructio tradit normam ministerii præstandi ab alumnis Seminarii, tum in Sacello Seminarii, tum in Ecclesia Metropolitana, necnon in quacumque Ecclesia, cum officiis funguntur vel Thuriferarii, vel Acolythorum in frequentioribus solemnibus functionibus, nempe 1° in Aspersione aquæ benedictæ quæ fit diebus Dominicis ; 2° in Missa solemni ; 3° in Missa solemni pro defunctis, et in Absolutione ; 4° in Vesperis solemnibus ; 5° in Expositione et Benedictione SS. Sacramenti ; 6° in Processionibus ; 7° in Missa solemni, præsente Episcopo.

Deinde exponitur methodus servanda a Ministro in Missa privata, et ab Acolythis qui inserviunt Missæ cantatæ.

Prænotare hic loci juvat, quæ servanda sint ab Acolythis pro immediata præparatione Altaris et credentiæ, casu quo id ipsis sit commissum.

1. Semper induti erunt superpelliceo ad hoc præparationis ministerium præstandum.

2. **Cerei Altaris** accenduntur, juxta quosdam auctores, primum a parte Epistolæ, deinde a parte Evangelii ; refertur autem S. Rituum Congregationis Decretum (Lucionen. 12 Augusti 1854 ; non prostat in authentica Decretorum Collectione ; cfr. Nouvelle Revue théologique, VIII, 1876, pag. 118 et sqq.), quo declarat Acolythum incipere debere a cereis qui sunt a cornu Evangelii « quippe nobiliori parte » (Dubium 77). — Omnibus consideratis, præstat regulam Decreti, etsi non in Collectione relati, tenere, quod cerei Altaris accenduntur primum a parte Evangelii, dein a parte Epistolæ. — Ab utraque parte primo accenditur cereus qui Cruci seu medio Altaris proximus est, dein secundus, tandem tertius. Si præter tres in candelabris positos cereos, plures adsint cereorum ordines, ex. gr., ratione Expositionis SS. Sacramenti, primo accenduntur cerei ordinis superioris, dein ab eadem parte inferioris, usque ad imum.

Qui cereos accendit numquam transeat ante Altaris medium in ipso Altaris suppedaneo, sed procedat semper per planum, et accedat per gradus Altaris laterales ad utramque partem, genu ante Altaris medium flexo, cum in plano ante gradus transit.

Ad cereos post functiones sacras extinguendos ordo inversus servetur, ita ut primum a parte Epistolæ extinguatur cereus qui a Cruce Altaris longius abest, deinde medius, tandem Cruci proximus ; idemque fiat deinde a parte Evangelii.

3. **Abacus,** seu **credentia** præparatur ad partem Epistolæ prope parietem ; cooperitur linea tobalea munda, super quam disponuntur pro Missa solemni res adhibendæ, scilicet : calix cum purificatorio, cochleari parvo (si adhibetur), patena, hostia, palla, velo et bursa, positus in medio aliquantum versus parietem ; a latere calicis, ecclesiam versus, ponitur pelvicula cum ampullis vini et aquæ ac manutergio ; ab altera parte calicis deponitur liber Epistolarum et Evangeliorum ; ante calicem vero Missale super legili, suis signaculis paratum. Si Acolythorum munus erit campanulam in Missa pulsare, hæc præparabitur prope librum Epistolarum. In ipsa functione Acolythi disponunt candelabra sua ab utroque latere, in angulo anteriori credentiæ, et Thuriferarius deponit naviculam incensi prope librum Epistolarum. Velum humerale pro Subdiacono ponatur plicatum prope pelviculam cum ampullis ; aut, si parva jam esset credentia, potest præparari prope ipsam.

4. Ubi ipsis id committitur, poterunt Acolythi in sacristia adjuvare Diaconum et Subdiaconum ad assumenda sacra paramenta ; Celebrantem adjuvabit Sacrista.

Nota. Commodius visum fuit, pro tironum utilitate, in sequentibus Instructionibus communiter describere functiones Thuriferarii et Acolythorum : quæ pro Thuriferario proponuntur signantur littera **T**, quæ ad Acolythos spectant describuntur sub littera **A**, et quæ ad Ceroferarios sub littera **C**.

CAPUT I

OFFICIUM IN ASPERSIONE AQUÆ BENEDICTÆ, DIEBUS DOMINICIS

(4) — Nota. In sacello Seminarii ad aquæ benedictæ aspersionem ordinarie ab illo qui in Missa Thuriferarius est portatur vas aquæ benedictæ ; in Ecclesia Metropolitana vero alius Minister specialis hoc officio fungitur ; quisquis sit ille qui vas

portat, reperiet in Instructione hujus Capitis sub nomine Thuriferarii, et sub littera T descripta ea quæ pro hac functione observare debet.

T 1. Cum datur signum exeundi, Thuriferarius, facta, si in sacristia stat, capitis profunda inclinatione ad Crucis imaginem, præibit, gestans manu dextera ante pectus vas aquæ benedictæ et aspersorium, sinistram tenens contra pectus apertam.

A 2. Sequuntur Acolythi duo, qui, si in sacristia stant, ante discessum simul cum aliis caput profunde inclinant imagini Crucis ; gestant candelabra ante pectus sequenti modo, quem describit Cæremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. XI, n. 8) : Acolythus primus, qui est a dextris, gestat candelabrum, tenens dextera globum circa medium candelabri, vel candelabri scapum infra globum, prout candelabri confectio ostenderit, sustinens sinistra candelabri pedem ; alter gestat candelabrum, tenens sinistra globum, sustinens dextra pedem. — Quoties candelabra sua gestant Acolythi, animadvertere debent ut illa, illorumque lumina teneant et deferant recta, et æqualiter, seu ad eamdem altitudinem, præcipue ubi ipsi Acolythi æquales in statura non fuerint. Curabunt etiam ut in eundo, stando, genuflectendo, et in omnibus actibus maxima sit æqualitas et conformitas inter seipsos, sicut docet Cæremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. XI, n. 8).

TA 3. In Ecclesia Metropolitana fiunt salutationes ad Chorum, nisi expositum sit SS. Sacramentum, aut præsens sit Archiepiscopus. Ideo, ad ingressum Chori per portam lateralem a parte Epistolæ, Thuriferarius subsistit versus dextram partem aditus, Acolythi vero dirimuntur, ita ut inter Acolythos se sistant Celebrans et Ministri sacri. Omnes in linea recta stantes et momento subsistentes, simul caput inclinant ad Chorum a parte Epistolæ, et paululum progressi, iterum subsistentes in linea recta, item caput inclinant ad Chorum a parte Evangelii; dein rectam servantes lineam iterum progrediuntur usque ad Altaris gradus. Lentius procedunt Thuriferarius et Acolythus 1, ut retineri possit omnium dispositio in linea recta, quin citius quam decet accelerare gradum debeat Acolythus 2.

Ante Altare se sistunt : Thuriferarius, retro post Celebrantem ; Acolythus 1 retro post Diaconum ; Acolythus 2 retro post Subdiaconum (supposito quod locus sit arctior, quam ut se sistere valeant a lateribus Diaconi Thuriferarius et Acolythus 1, et Subdiaconi Acolythus 2) ; et omnes simul genuflectunt uno genu in plano.

A 4. Acolythi mox tendunt ad abacum seu credentiam, et deponunt sua candelabra ad angulos anteriores mensæ ; manibus junctis genua flectunt ante credentiam, facie ad partem

oppositam Evangelii, non autem ad Altare versa (quod semper servant cum ad credentiam stant), assurgunt cum Celebrans post aspersionem Altaris assurgit ; et quando postea Celebrans accedit ad eos aspergendum, caput profunde inclinant, Cruce se signant, et mox caput erectum tenent.

T 5. Thuriferarius, post genuflexionem in accessu factam, mox accedit ad dexteram Cæremoniarii, aut Diaconi, eique immersum aqua benedicta aspersorium ministrat, et genua flectit in plano. Assurgit cum Celebrante et Ministris, et in aspersione Chori eos sequitur, dextera portans vas aquæ benedictæ, incedens ad dexteram Diaconi, et genuflectens Altari quoties transibit ante medium. Cum Celebrans aspergit Acolythos, Thuriferarius se eis adjungit prope credentiam, caput profunde inclinat, Cruce se signat, et mox caput erigit. Dein sequitur Celebrantem ad Chori ingressum, et tandem ad Altare : genuflectit in plano, et erectus e manu Diaconi accipit aspersorium. Reportat vas cum aspersorio dextera ad sacristiam, genuflectens quando transit ante medium Altaris. Revertitur dein ad Altare gestans thuribulum, et accedit ad credentiam. — In Ecclesia Metropolitana populus aspergitur immediate post Chorum.

CAPUT II

OFFICIUM IN MISSA SOLEMNI

(5) — Nota. I. Non potest Missa solemnis celebrari cum solo Diacono et Subdiacono, sine aliis Ministris. Etenim ad dubium : « Num ferri valeat usus Missam solemnem celebrandi cum solo Diacono et Subdiacono, quum præsto non est aliquis Ministrorum ? » S. Rituum Congregatio rescripsit, et servari mandavit : « Negative. » (Decret. 14 Martii 1861, n. 3104, antiq. 5310, ad 2.)

Tres Ministri inferiores requiruntur, unus Thuriferarius, et duo Acolythi. Plures possunt admitti, ex. gr., Ministri qui portant funalia ad Elevationem SS. Sacramenti.

Nota. II. Supponitur hic in initio hujus Instructionis, quod non præcesserit aspersio aquæ benedictæ, et quod omnes e sacristia exeant, ad incipiendam mox ipsam Missam.

Accessus. — T 1. Dato signo exeundi, præibit Thuriferarius, observans quæ describuntur supra (4) ad 1, dextera portans thuribulum clausum, sinistra naviculam clausam. Thuribulum sequenti modo gestat : catenulas ad manubrium collectas tenet inter dexteræ pollicem et indicem ; easdem catenulas prope thuribuli cooperculum collectas itidem ponit inter dexteræ pollicem et indicem, ita ut catenularum pars prope thuribulum

remanens dependeat ab indice super reliquos digitos, et ipsum thuribulum dependeat ante pectus a manu ad distantiam circiter palmæ. Naviculam sinistra tenet ad altitudinem pectoris, ante pectus.

A 2. Sequuntur Acolythi gestantes candelabra modo qui superius describitur (4) ad 2.

TA 3. Ante Altare omnes se sistunt, ut superius dicitur (4) ad 3.

Nota. 1. Hic jam notare juvat, quod Thuriferarius et Acolythi semper debent genuflexiones suas quascumque, sive duplices, sive simplices, facere in plano, non solum in principio et in fine, sed etiam per decursum cujuscumque functionis. Ministri majores autem, scilicet Diaconus et Subdiaconus, genuflectunt quidem etiam in plano in accessu ad Altare et in recessu ad sacristiam, seu in initio et in fine functionis, sed in decursu functionis genuflexiones suas ante Altaris gradus faciendas faciunt in infimo Altaris gradu : quod non licet Thuriferario et Acolythis.

Nota. II. Si SS. Sacramentum jam esset in Altari expositum, omnes genuflexionem duplicem faciunt. — Hæc duplex genuflexio non fiet in ipsius functionis decursu, nisi quando aliquis e Presbyterio aut e Choro recederet, vel iterum accederet; nam durante functione, genuflexio tantum simplex præstatur, ex. gr., cum quis accedit ad Altare, aut transit ante medium Altaris. Pluries S. Rituum Congregatio decrevit, a Celebrante et Ministris coram SS. Sacramento exposito esse genuflectendum, utroque genu in accessu et recessu, unico genu vero intra Missam. (Cfr. Decret. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 49, antiq. 4669, ad 53; et Decret. 7 Julii 1877, n. 3426, antiq. 5702, ad 6.)

A 4. Acolythi tendunt ad abacum (cfr. (4) n. 4), deponunt candelabra, et genua flectunt ante credentiam. Si non adesset Cæremoniarius, Acolythus 1 accipit bireta Celebrantis et Ministrorum in gradu deposita, genuflectens quando transit ante medium Altaris, ea deponit super scamnum, et redit ad credentiam.

T 5. Thuriferarius pergit ad credentiam, ibique, stans ad dexteram primi Acolythi, deponit super credentiam naviculam; mox cooperculum thuribuli a scutella aliquantum catenula elevans, accipit thuribulum in manum sinistram, eodem modo constringens catenulas ad manubrium et prope cooperculum, quo supra descriptum est pro dextera (cfr. n. 1) ; et mox genua flectit.

Confessio. — **TA** 6. Thuriferarius et Acolythi, genuflexi ante credentiam, Cruce a fronte ad pectus se signant, et dicunt preces ad Confessionem quas dicit Celebrans cum Ministris :

Thuriferarius illas preces dicit alternatim, vel cum Cæremoniario, vel cum Acolythis. Si adest Cæremoniarius, iste ad dexteram Thuriferarii incipit preces, et respondet Thuriferarius ; similiter in tali casu preces incipit Acolythus 1, cui respondet Acolythus 2 ; si non adest Cæremoniarius, preces incipit Thuriferarius, cui respondent simul duo Acolythi. Ad *Gloria Patri* caput profunde inclinant ; ad *Adjutorium* se signant Cruce , ad *Confiteor* profunde corpus inclinant, dextera aperta ter percutientes pectus ad *mea culpa ;* et aliquantulum se convertentes ad socium, cum dicunt : *tibi Pater*, et *te Pater ; vobis fratres*, et *vos fratres ;* deinde ad *Misereatur tui*, et *Misereatur vestri ;* post *Misereatur*, dicto *Amen*, se erigunt ab inclinatione ; ad *Indulgentiam* Cruce se signant ; et ad Versus *Deus tu, etc.*, mediocriter corpus inclinant. — Preces dicendæ describuntur in Serie III Instructionum pro Subdiaconis, inter Prænotanda (41).

7. Cum Celebrans ascendit ad Altare, Thuriferarius et Acolythi assurgunt. Acolythi stant ante credentiam manibus junctis.

Incensatio Altaris. — T S. Statim Thuriferarius dextera accipit naviculam apertam, eo modo ut pars naviculæ aperta pectus respiciat, eamque ad pedem tenet ante pectus ; thuribulum elevato a scutella operculo portat sinistra (cfr. n. 5).

9. Thuriferarius accedit ad medium, genuflectit in plano, et ascendit ad penultimum gradum, vel in suppedaneum, prope Celebrantem. — Ita consueto in omnibus nostris ecclesiis fit ; melius tamen, quemadmodum præscribunt fere omnes auctores, Thuriferarius accederet ad planum a parte Epistolæ ; ibi ascendit ad Altare per gradus Epistolæ laterales ; Diaconus paululum se retrahit ab Altari, et Thuriferarius se sistit ad dexteram Diaconi inter Diaconum et Altare ante Celebrantem ; ibi genuflectit unico genu et statim assurgit. — Thuriferarius stans (etenim Celebranti Sacerdoti thuribulum semper stans porrigit, juxta Decretum S. Rituum Congregationis, 4 Aprilis 1699, n. 2027, antiq. 3516, ad 8 ; si autem Celebrans est Episcopus, genuflectit), naviculam tradit Diacono, et dextera accipit thuribuli catenulas prope cooperculum, illudque tenet ante Celebrantem, ita ut prunarum vas seu scutella sit ad altitudinem naviculæ quam tenet Diaconus ; sinistram, quacum tenet manubrium, interea pectori applicat. Quando Celebrans imposuit incensum illudque benedixit, Thuriferarius sinistram manubrium tenentem statim elevat, dextera aptat cooperculum scutellæ, eademque dextera mox accipit manubrium ad annulum, ita ut catenulæ totaliter cum thuribulo dependeant. Sinistra accipit a Diacono naviculam,et huic dextera præsentat thuribulum, ita ut Diaconus assumat catenulas ad manubrium dextera, et catenulas prope cooperculum sinistra. Thuriferarius, tradito

thuribulo, dextera naviculam mox tenet, et clausam portat ante pectus, sinistram applicat pectori, convertit se per suam dexteram, paulisper a parte Evangelii descendit gradus Altaris, convertit se ad Altare, genuflectit in plano ante medium Altaris, redit ad credentiam, depositaque navicula stat manibus junctis interea dum Altare incensatur. — Si autem accessit a latere Epistolæ, Thuriferarius, tradito thuribulo, et accepta navicula, genuflectit et per dexteram conversus descendit per gradus laterales, convertit se versus medium Altaris, et per sinistram conversus revertitur ad credentiam.

Si non adesset Cæremoniarius, curam Missalis habet Thuriferarius. Ideo, cum Celebrans thurificat cornu Evangelii, accipit Missale a credentia, in qua ante Missam fuit præparatum, accedensque per partem Epistolæ, illud deponit super Altare ad cornu Epistolæ, genuflectit versus Crucem, et per dexteram conversus descendit et tendit ad credentiam. — Si vero Missale ab initio depositum esset super Altare, deposita ad credentiam navicula, mox accedit ad partem Epistolæ, ascendit, genuflectit versus Crucem, et cum Celebrans incensat Crucem, accipit Missale cum legili et descendit ad planum in parte Epistolæ; cum vero Celebrans thurificat cornu Epistolæ, Thuriferarius in plano stat ad Altare conversus; recedente Celebrante ad cornu Evangelii, Thuriferarius Missale reponit super Altare ut supra.

10. Cum Diaconus incensat Celebrantem, Thuriferarius accedit ad ejus dexteram, et mox recipit sinistra manubrium, dextera vero thuribuli catenulas prope cooperculum, et mox tenens sinistra manubrium contra pectus, et thuribulum dextera ad altitudinem pectoris, accedit ad credentiam.

11. Debet Thuriferarius intra Missam summam habere curam, ut prunæ accensæ remaneant; ideo ad credentiam cooperculum a thuribulo aliquantum elevabit, et dextera leviter agitabit thuribulum, sinistra cum manubrio ad pectus apposita.

Kyrie eleison. — TA 12. Thuriferarius alternatim cum Acolythis dicit *Kyrie*, quando Celebrans illud dicit cum Ministris. Interea dum preces aliquas dicit, Thuriferarius non agitabit thuribulum, sed illud sola sinistra sustinebit, dextera interim pectori apposita.

Gloria in excelsis Deo. — 13. Thuriferarius et Acolythi simul, non alternatim, recitant hymnum *Gloria*. Quando Celebrans cantat *Deo*, caput profunde Cruci Altaris inclinant, et mox pergunt, dicentes : *Et in terra pax, etc.* Caput Cruci Altaris profunde inclinant, cum dicunt *Adoramus te, Gratias agimus tibi, Jesu Christe, Suscipe deprecationem nostram, Jesu Christe.* Cum dicunt in fine : *Cum sancto Spiritu,* Cruce se a

fronte ad pectus signant. Quando Celebrans et Ministri sacri pro sessione accedunt ad scamnum, Acolythi etiam accedunt retro post scamnum; Acolythus 1 accipit bireta Celebrantis et Diaconi, eaque successive tradit Diacono; Acolythus 2 accipit biretum Subdiaconi illudque ipsi tradit; elevant deinde Acolythus 1 partem posteriorem Casulæ et Dalmaticæ, Acolythus 2 partem posteriorem Tunicellæ; et facta salutatione ad Celebrantem redeunt ad locum suum ante credentiam. Cum cantantur supradicta *Adoramus, etc.*, caput iterum profunde Cruci Altaris inclinant, ad cantum vero ℣. *Cum sancto Spiritu*, non iterum Cruce se signant.

Oratio. — 14. Infra Orationes, et quandocumque cantatur aut clara voce dicitur *Oremus*, et nomen *Jesu*, caput profunde Cruci Altaris inclinant; ad nomen B. Mariæ Virginis caput mediocriter inclinant; ad nomen vero Sanctorum, de quibus dicitur Missa vel fit Commemoratio specialis, et ad nomen Papæ, capitis inclinationem minimam faciunt. (Cfr. Regulæ generales, (2), IV, n. 2.)

Thuriferarius et Acolythi stant interea dum Celebrans cantat Orationes; sed in Missis dierum ferialium qui jejunantur, ex. gr., in Missis de Feriis infra Quadragesimam, genua flectere debent dum dicuntur Orationes.

Epistola. — A 15. Si non adest Cæremoniarius, incepta a Celebrante ultima Oratione, Acolythus 1 accipit librum Epistolarum ambabus manibus, tenens eum clausum cum apertura in manu dextra et ligatura dorsi in manu sinistra, et eo modo ut possit Subdiaconus librum ad inferiores angulos accipere: accedit ad dexteram Subdiaconi, et præmissa capitis inclinatione, librum ei tradit, caput iterum inclinat, et redit ad credentiam. — Item post cantum Epistolæ, quando Subdiaconus accedit ad Celebrantem, Acolythus 1 accedit ad Subdiaconi sinistram, ab eo accipit librum caput inclinans, et statim ad planum recedit aliquantum ab ultimo gradu a parte Epistolæ. – Cum Diaconus descendit, Acolythus ei tradit librum Evangeliorum eodem modo quo supra Subdiacono, et redit ad credentiam.

Evangelium. — Γ 16. Cum Celebrans legit Evangelium, circa finem, Thuriferarius accipit sinistra thuribulum apertum, et dextera naviculam apertam, eodem modo ut dicitur nn. 5, 8; accedit ad Altare, genuflectit, et statim assurgit.

17. Post lectum Evangelium ascendit, et præsentat incensum imponendum et benedicendum, ut supra n. 9. — Incenso autem benedicto, retinet dextera thuribulum, et sinistra, quacum manubrium tenet, accipit a Diacono naviculam; convertit se per dexteram, et redit ad credentiam, ut supra n. 9. Ibi deponit naviculam, scutellæ thuribuli cooperculum aptat, tenensque thuri-

bulum dextera, manubrium sinistra quam pectori applicat, ad nutum Cæremoniarii hunc sequitur ante medium Altaris, ubi sistit se inter Cæremoniarium et Acolythum primum.

A 18. Cum Celebrans incensum imponit, Acolythi ad nutum Cæremoniarii accipiunt candelabra, modo descripto Cap. I (4), n. 2, et procedunt ante Altare, ubi stant in linea recta, simul cum Thuriferario et Cæremoniario inter eos, ad aliquot passuum distantiam a gradu inferiori.

TA 19. Cum Diaconus ad planum descendit, dato signo in fine cantus Gradualis, etc., omnes genuflectunt, et tendunt ad locum ubi solet Evangelium cantari : præcedit Cæremoniarius, sequitur Thuriferarius, sequuntur duo Acolythi cum candelabris, dein Subdiaconus et Diaconus. — In Ecclesia Metropolitana fiunt salutationes ad Chorum : ideo, facta genuflexione ad Crucem Altaris, Acolythus 2 simul cum Subdiacono per dexteram suam se convertit ad Chorum qui est a parte Epistolæ ; Thuriferarius et Acolythus 1 simul cum Diacono per sinistram suam se convertunt ad eamdem partem, et omnes inclinatione capitis salutant Chorum ad hanc partem ; dein omnes simul duos tresve passus progrediuntur in linea recta versus Chorum qui a parte Evangelii est, eumdemque item salutant. Tunc ordine consueto, superius indicato, procedunt. — Ad locum ubi cantatur Evangelium, Acolythi stant, primus ad dexteram Subdiaconi, alter ad sinistram, vertentes renes non quidem Altari, sed versus ipsam partem dexteram quæ pro aquilone figuratur; Thuriferarius stat parum retro post Diaconum ad ejus dexteram, facie versa ad librum. Neque Acolythi neque Thuriferarius se signant ad *Sequentia*. Si esset genuflectendum infra cantum Evangelii, Acolythi non genuflectunt ; Thuriferarius vero simul cum Diacono versus librum genuflectit.

T Thuriferarius, postquam Diaconus se signavit in fronte, ore et pectore, accedit propius ad ejus dexteram eique offert thuribulum, tradens dextera manubrium in ejus sinistram, sinistra thuribuli catenulas prope cooperculum in dexteram ; et cum Diacono inclinat caput ad librum ante et post incensationem ; dein recipit a Diacono thuribulum, tenet illud dextera modo descripto, et recedit parum retro post Diaconum, ad ejus sinistram. Caput inclinat versus librum, vel profunde ad nomen *Jesu*, vel mediocriter ad nomen *Mariæ*, vel inclinatione minima ad nomen Sancti cujus festum celebratur ; si sit genuflectendum, genu dextrum in terram ponit versus librum. Non agitabit thuribulum interea dum Evangelium cantatur.

A 20. Cantato Evangelio, et Subdiacono cum libro pergente ad Celebrantem, Acolythi redeunt ante medium Altaris, genuflectunt simul, et tendunt ad credentiam, ubi candelabra repo-

nunt, et stant manibus junctis ante credentiam. Defectu Cæremoniarii, Acolythus 1 accipit librum a Subdiacono.

T Thuriferarius sequitur Diaconum ante Altare, ad ejus dexteram, et ante Altaris gradus tradit thuribulum Diacono, modo supra descripto ; caput inclinat ante et post Celebrantis incensationem, recipit thuribulum, et revertitur ad credentiam, genuflectens cum transit ante medium Altaris.

Credo in unum Deum. — **TA** 21. Ad Symbolum, cum id Celebrans intonat, ad verbum *Deum*, Thuriferarius et Acolythi caput profunde inclinant Cruci Altaris ; et mox simul pergunt, dicentes : *Patrem, etc.* : caput profunde inclinant Cruci Altaris cum dicunt *Jesum Christum, simul adoratur* ; genu dextrum flectunt per totum ℣. *Et incarnatus..... factus est* ; et cum in fine dicunt ℣. *Et vitam venturi, etc.*, Cruce se a fronte ad pectus signant. Observant deinde ea quæ pro sessione dicuntur ad n. 13. Cum cantantur supradicta *Jesum Christum, simul adoratur,* caput iterum profunde Cruci Altaris inclinant ; ad ℣. *Et incarnatus,* utrumque genu flectunt.

A Ad verbum *Crucifixus*. Acolythus 1 accipit bursam calicis, illamque tenet ambabus manibus cum parte qua aperitur versa ad pectus, nullimode tamen apertam, sed totaliter clausam, ipsamque Cæremoniario præsentat ; si ipse eam Diacono præsentat, tenet eam cum parte qua aperitur ad Diaconum versa. Interea accedit Acolythus 2 post scamnum ad Subdiaconum, ut, cum iste assidet, partem posteriorem Tunicellæ sublevet ; mox ibi accedit quoque Acolythus 1 retro post locum Diaconi, cui ad scamnum revertenti biretum tradit, et mox posteriorem Dalmaticæ partem sublevat ; ambo tunc, inclinatione capitis ad Celebrantem facta, redeunt ad locum suum prope credentiam.

Offertorium. — 22. Cum Celebrans cantat *Dominus vobiscum,* ante Offertorium, Acolythus 2 assumit velum humerale, explicat, et cum Subdiaconus ad credentiam advenit, illud ejus humeris imponit.

23. Cum Subdiaconus calicem a credentia accipit, Acolythus 1 accipit ampullas et subsequitur Subdiaconum ad Altare. Defert ampullas sequenti modo : eas super pelviculam disponit, quæ continet vinum ad dexteram, quæ continet aquam ad sinistram, ita ut apertura sit versus pectus suum ; pelviculam accipit manu sinistra, et dexteræ digitos indicem, medium, et annularem ponit super pedes ampullarum. - Cum advenit ad Altare, sistit in plano et caput inclinat versus medium Altaris ; si autem SS. Sacramentum esset expositum, genu dextrum flecteret ; mox ascendit ; accedit ad Subdiaconum, eique præsentat ampullas super pelviculam ; quia non Celebranti ampullas

præsentat, Acolythus hic non debet ampullas osculari, quod Rubrica præscribit pro Missa privata ; cum Subdiaconus accepit ampullam aquæ, Acolythus dexteram pectori applicat ; et cum repositæ fuerint ampullæ a Ministro super pelvim, Acolythus eodem quo supra modo eas tenet, convertit se per dexteram suam, descendit ad planum, convertit se versus medium Altaris, caput inclinat ; vel genu dextrum flectit, si expositum est SS. Sacramentum ; et per sinistram conversus revertitur ad credentiam. — Caveat Acolythus ne, descendens ab Altari et revertens ad credentiam, renes Altari vertat. — Interea Acolythus alter potest velum calicis plicare et illud disponere super partem anteriorem credentiæ. — Acolythus 1 ad credentiam reversus, deponit pelviculam cum ampullis retro post calicis velum.

Incensatio. — T 24. Cum ab Altari regreditur Acolythus 1, Thuriferarius accipit sinistra thuribulum, dextera naviculam, accedit ad Altare, et servat quæ dicuntur nn. 8 et 9.

25. Cum Diaconus incensat Celebrantem, Thuriferarius accedit ad ejus sinistram, et mox comitatur Diaconum ad incensationem Chori et Subdiaconi, incedens ad ejus sinistram ; primum pergunt ad partem Evangelii, genuflectentes cum transeunt ante medium Altaris ; Thuriferarius salutat eos qui incensantur, ante et post incensationem ; dein accedunt ad partem Epistolæ, genuflectentes cum transeunt ante medium ; incensato Choro, accedunt ad Subdiaconum ; mox Thuriferarius accedit ad Diaconi dexteram, et accipit ab eo thuribulum, ibique remanens exspectat donec Diaconus in medio ante Altare stans ad eum se convertat, quem incensat duplici ductu, inclinans caput ante et post : in eodem loco remanens incensat Cæremoniarium unico ductu, inclinans caput ante et post ; dein genuflectit, et accedit ad Acolythos, quos unico ductu simul incensat ; per sinistram suam conversus, tendit ad Chori ingressum : ibi stans in medio, caput inclinat, et incensat populum triplici ductu, in medio primum, dein ad populi dexteram (suam sinistram), tandem ad populi sinistram (suam dexteram) : caput iterum inclinat, convertit se ad Altare per suam dexteram, cavens ne circulum perficiat, ita enim tergum verteret Cruci Altaris quod omnino dedecet ; revertitur per medium Chori ad Altare, et cum pervenit e regione credentiæ, genuflectit et accedit ad credentiam.

In Ecclesia Metropolitana pro Chori incensatione sequens ordo servatur : Si Diaconus non est Canonicus, incensat omnes qui in Choro adsunt, primum Canonicos, singulos duplici ductu, incipiens ab ea Chori parte ubi dignior in Choro præsens sistit, deinde pergens ad alteram Chori partem ; post Canonicos in-

censat, ab eadem parte qua ultimus Canonicus fuit incensatus, Presbyteros præsentes, singulos unico ductu, et alumnos Seminarii qui in priori sectione hujus partis sistunt, omnes simul triplici ductu dum lente ante ipsos transit, dein eodem modo eos qui in altera sectione sistunt ; quo facto, accedit ad alteram Chori partem, ut eodem ordine et modo ibi incenset Presbyteros præsentes et alumnos Seminarii. Tunc accedit Diaconus ad Subdiaconum, ut supra describitur. — Si Diaconus esset Canonicus, ipse incensaret Canonicos tantum ; reliquos autem de Choro incensat tunc Thuriferarius, postquam incensavit Diaconum. — Omnis incensatio præsentium in Choro, necnon aliorum quorumcumque cessat, quando terminatur Præfationis cantus.

Si SS. Sacramentum esset expositum super Altare, Thuriferarius ad Chori ingressum non stabit in medio, ne tergum vertat SS. Sacramento, sed recedet aliquantum a parte Evangelii, et ibi non totaliter ad populum conversus eumdem thurificabit.

Nota. Actus thurificationis sequenti modo peragitur : — Sinistra manus, tenens manubrium, ponitur et manet semper contra pectus. — Tribus digitis, pollice nempe, indice et medio dextræ manus, stringuntur catenulæ prope coopertulum thuribuli ; dextera tenetur ad altitudinem pectoris ante pectus ; ad incensandum, thuribulum elevatur usque ad faciem, vibratur duplici ictu, et statim deprimitur, scilicet refertur ante pectus. Hæc constituunt unicum ductum, et repetuntur successive pro numero ductuum, quibus res vel persona debet incensari. — Vibratio duplici ictu in singulo thuribuli ductu observatur tantum quando res vel persona sigillatim est thurificanda : sed ubi aliqui non sigillatim, sed collective incensantur, quemadmodum fit pro alumnis Seminarii qui sunt in Choro, tunc sufficit simplex thuribuli ductus, et duplex ictus in ductu non observatur. (Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 286).

Lotio manuum. A 26. Interea dum Celebrans incensat Altare, Acolythus 1 aufert a pelvicula ampullam vini, eamque deponit a sinistris, accipit sinistra pelviculam, dextera ampullam aquæ a parte ansæ ; Acolythus 2 accipit dextera manutergium, quod tenet ante pectus, sinistram ponit contra pectus. Antequam Celebrans incensatur a Diacono, accedunt ad partem Epistolæ, et stant in aliqua distantia ab Altari, facie ad Celebrantem conversa ; cum recessit Diaconus, caput inclinant, accedunt ad Celebrantem, et Acolythus 1, supposita manibus Celebrantis pelvicula, infundit aquam lotionis, usque dum Celebrans signum cessandi dederit ; Acolythus 2 mox dextera offert manutergium Celebranti, quod cum hic reddidit,

ambo per dexteram conversi descendunt, ad Altare se convertunt, caput inclinant et redeunt ad credentiam. Acolythus 1 super credentiam deponit pelvim a dextris retro post candelabrum, et ampullam aquæ a sinistris ampullæ vini super mediam credentiam retro post calicis velum ; caveat deponere ampullas super pelvim quæ lotionis aquam continet, et etiamsi aqua statim in sacrarium aut in aliud vas effunderetur : Acolythus 2 deponit manutergium retro post pelvim. Manibus junctis stant deinde ante credentiam. Cum Thuriferarius eos incensat, caput inclinant ante et post incensationem.

Quando SS. Sacramentum est expositum, Celebrans post incensationem Altaris non remanet in suppedaneo Altaris, sed descendit ad planum, et ibi ipse incensatur et manus lavat ; Acolythi in casu, cum accedunt ad partem Epistolæ, genu dextrum versus SS. Sacramentum flectunt, et ibi stant retro post Diaconum ; postquam iste recessit, ipsi accedunt ad Celebrantem in plano : postquam manus lavit Celebrans et ascendit ad Altare, Acolythi dextrum genu flectunt versus SS. Sacramentum et redeunt ad credentiam.

Præfatio. — **TA** 27. Ad Præfationem, Thuriferarius et Acolythi caput profunde Cruci Altaris inclinant ad verba *Deo nostro ;* ad nomina *Jesu* et *Mariæ*, quando occurrunt, debitam faciunt capitis inclinationem.

A 28. Circa finem Præfationis, si non designentur specialiter Ceroferarii, Acolythus 2 accendit funalia duo posita prope abacum.

Canon. — TA 29. In fine Præfationis, Thuriferarius et Acolythi simul dicunt *Sanctus*, mediocriter inclinati, et ad *Benedictus* Cruce a fronte ad pectus se signant.

A Si non alius adesset qui campanulam pulsaret, Acolythus 1 id faceret hic et in sequentibus Missæ partibus ad quas campanula pulsatur.

AC 30. Dicto *Sanctus,* Acolythi, si adsunt Ceroferarii speciales, genua flectunt ante credentiam. — Alias accipiunt funalia, primus in sinistra, secundus in dextera, altera manu pectori apposita, et accedunt bini ante medium Altaris, retro post Subdiaconum ubi genuflectunt uno genu ; et statim surgentes accedunt propius ad Altare, hinc inde a lateribus Subdiaconi, se separantes ad distantiam utriusque extremitatis mensæ Altaris, et ante infimum gradum genuflectunt utroque genu in plano.

C Eodem modo se gerent Ceroferarii duo vel quatuor, si qui specialiter ad hanc functionem fuerint assignati. — Quod si SS. Sacramentum esset expositum, isti speciales Ceroferarii, accedentes e sacristia ad Altare, genuflexionem duplicem in accessu præstabunt. — Quoad eorum locum ad Altare notatur

quod, si ob loci angustiam, vel alia de causa magis commodum esset, quando plures, puta sex, vel octo numero sunt, genuflectere possunt etiam ad latera Altaris in plano. (Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. VIII, n. 68.)

T 31. Thuriferarius, dicto *Sanctus,* antequam genuflectat, accipit e credentia naviculam in dexteram : naviculam offert Cæremoniario, qui incensum in thuribulum imponit, naviculamque reponit in credentiam. Thuriferarius cooperculum thuribuli scutellæ aptat, illud dextera tenet, et genua flectit; quando Celebrans, tenens manus super oblata, dicit Orationem *Hanc igitur, etc.*, Thuriferarius accedit ad cornu Epistolæ, et genuflectit utroque genu in plano ante angulum infimi gradus.

32. Prolatis verbis Consecrationis S. Hostiæ, Thuriferarius caput profunde inclinat, et ter incensat S. Hostiam : 1° cum Celebrans genuflectit, 2° cum Hostiam elevat, 3° cum iterum genuflectit ; caput dein rursus profunde inclinat. Idem facit ad Elevationem Calicis.

33. Post Elevationem, Thuriferarius assurgit et redit ad credentiam, ubi deponere potest thuribulum super vel juxta credentiam, et manibus junctis stat ante credentiam.

Si autem in fine Missæ peragenda remaneret aliqua functio, ad quam incensum requiritur, ex. gr., Benedictio SS. Sacramenti, Thuriferarius non deponeret Thuribulum, sed curam haberet ut prunæ remaneant usque ad functionem sequentem accensæ (cfr. n. 11).

AC Acolythi, finita Elevatione, item assurgunt. Si Acolythi simul sunt Ceroferarii, post Elevationem assurgunt, accedunt iterum ad medium ante Altare, genuflectunt unico genu, et redeunt ad credentiam, reponunt funalia, et manibus junctis stant ante credentiam. Acolythus 2 funalia extinguit.

C Si loco Acolythorum Missæ alii Ceroferarii specialiter ad funalia gestanda fuerint designati, isti, post Elevationem accedunt ad medium ante Altare, simul genuflectionem duplicem faciunt (cfr. Regulæ generales, (2), III), statim assurgunt, et lento ac gravi passu recedunt bini et bini ad sacristiam.

Casu quo in Missa distribuenda esset Sacra Communio, Ceroferarii remanent genuflexi cum funalibus accensis usque ad factam Communionem. (Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. VIII, n. 72, et Ritus celebrandi Missam, Tit. VIII, n. 8.) Idem observare debent in Missis de Feriis, diebus jejuniorum.

Minime vero toleratur, ut, ad majorem Sacramenti reverentiam, Ceroferarii cum accensis funalibus ad Altare remaneant, in cunctis quibuscumque Missis solemnibus, usque ad peractam Communionem, vel etiam usque ad reditum in sacrarium.

Pater noster. — **T** 34. Cum, ad *Pater noster,* Diaconus et

Subdiaconus ascendunt ad Altare, Thuriferarius accedit ad partem Epistolæ, genuflectit in plano, ascendit prope Subdiaconum, accipit velum humerale, descendit ad planum, genuflectit, redit ad credentiam, et ibi plicat velum ac super credentiam aut alium aptum locum deponit.

Agnus Dei. — TA 35. Thuriferarius et Acolythi simul recitant *Agnus Dei*, pectus manu dextera totaliter aperta percutientes ad verba *miserere nobis*, et *dona nobis pacem*; sinistram interea pectori applicant. (Cfr. Regulæ generales. (2), VI.)

Thuriferarius et Acolythi non debent percutere pectus ad *Domine non sum dignus*, cum id dicit Celebrans ante sumptionem S. Hostiæ; neque caput inclinare quando Celebrans sumit S. Hostiam aut S. Sanguinem.

Pax. — 36. Cæremoniarius postea opportuno tempore pacem dat Thuriferario, hic Acolytho primo, qui et Acolytho alteri. (Cfr. Regulæ generales, (2), V.)

Communio. — A 37. Quando Celebrans cum Ministris genuflectit, calice detecto, Acolythus 1 accipit e credentia ampullam vini in dexteram, aquæ in sinistram, a parte ansæ opposita, et accedit ad partem Epistolæ, genuflectit versus medium Altaris, accedit ad Subdiaconum, eique tradit ampullam vini; mox in dexteram assumit ampullam aquæ, eamque, annuente Subdiacono, eidem tradit, interea sinistram pectori applicans, et postea manus jungens. Post ablutionem accipit a Subdiacono ampullam vini in dexteram, ampullam aquæ in sinistram, conversusque per dexteram descendit, ad Altare se convertit, caput inclinat, et revertitur ad credentiam. Si SS. Sacramentum esset in Altari expositum, loco inclinationis capitis faciet genuflexionem simplicem.

T Si forte ipsi Acolythi Missæ funalia gestarent in ea Missa, in qua, ut dictum fuit n. 33 in fine, remanere debent usque ad factam Communionem, in tali casu Thuriferarius, loco primi Acolythi, ministraret vinum et aquam ad Communionem.

A 38. Acolythus 2 interim accipit calicis velum, illudque explicatum ambabus manibus tenet cum parte subsuta versus pectus, et, cum Subdiaconus tendit a cornu Epistolæ ad cornu Evangelii, a credentia ipse accedit ante medium, simul cum Diacono et Subdiacono genuflectit ante Crucem, accedit dein ad partem Evangelii, caput inclinat, ascendit, deponit velum super Altaris cornu, convertit se per sinistram manibus junctis, descendit ad planum, convertitur ad Altare, caput inclinat, et revertitur ad credentiam, genuflectens cum transit ante Altaris medium. — Si SS. Sacramentum esset expositum, a parte Evangelii, antequam ascendit et postquam descendit, loco inclinationis capitis faciet simplicem genuflexionem.

Postcommunio. — TA 39. Cum Celebrans cantat Postcommuniones, Thuriferarius et Acolythi pro inclinationibus faciendis servant præscripta ad n. 14.

Stant interea dum Celebrans cantat Postcommuniones; sed in Missis dierum ferialium qui jejunantur, genua flectere debent dum dicuntur Postcommuniones.

Cum interea Subdiaconus calicem affert ad credentiam, hinc inde discedunt, eique caput leviter inclinant.

Benedictio. — 40. Cum Celebrans dicit Orationem *Placeat*, Thuriferarius et Acolythi genuflectunt utroque genu ante credentiam, et ad Benedictionem Cruce a fronte ad pectus se signant; deinde assurgunt.

Ultimum Evangelium. — 41. Ad lectionem ultimi Evangelii non se signant in fronte, ore et pectore; neque, cum legitur Initium Evangelii S. Joannis, genuflectunt ad verba: *Et verbum caro factum est*; circa finem lectionis ultimi Evangelii, ad signum Cæremoniarii, Thuriferarius accipit thuribulum in dexteram, naviculam in sinistram, modo descripto n. 1; Acolythi accipiunt candelabra (cfr. Cap. I, (4), n. 2), et cum Celebrans finem fecerit legendi Evangelium, accedunt ad medium ante Altare, ut describitur Cap. I, (4), n. 3.

Recessus. — 42. Cum Celebrans et Ministri reverentiam faciunt Altari ante discessum, Thuriferarius et Acolythi genuflectunt uno genu. - Si autem SS. Sacramentum remaneret in Altari expositum, genuflexionem duplicem faciunt.

In Ecclesia Metropolitana pro salutatione Chori tunc observatur, quod, facta genuflexione ad Crucem Altaris, Acolythus 2 per dexteram suam, Thuriferarius et Acolythus 1 per sinistram suam, se convertunt simul cum aliis ad clerum qui in Choro a parte Evangelii est, eumque capitis inclinatione salutant; procedunt deinde omnes simul in linea recta tres quatuorve passus versus Chorum a parte Epistolæ, et subsistentes simul salutant clerum qui in Choro a parte Epistolæ est.

Deinde revertuntur ad sacristiam: præcedit Thuriferarius, sequuntur Acolythi. Ante ingressum sacrarii subsistunt prope portam, ab una parte Thuriferarius et Acolythus 1, ab altera parte Acolythus 2, et cum transierunt Celebrans et Ministri, ipsi sacristiam ingrediuntur.

CAPUT III

OFFICIUM IN MISSA SOLEMNI PRO DEFUNCTIS, ET IN ABSOLUTIONE

§ 1. In Missa pro Defunctis

(6) — Thuriferarius et Acolythi observabunt ea quæ pro Missa solemni fuerunt descripta, additis sequentibus animadversionibus ad respectivos numeros Capitis II (5).

TA 6. Non dicitur Psalmus *Judica* ante Confessionem.

T 8, 9, 10. Altare non incensatur ante Introitum.

TA 13. Non dicitur hymnus *Gloria*.

14. Infra Orationes omnes genua flectunt in locis suis.

T 16, 17. Non adhibetur incensum ad Evangelium, et quo tempore legitur et cantatur, Thuriferarius remanet ad credentiam, aut egreditur ad parandum ignem in thuribulo.

A 18, 19, 20. Acolythi non accipiunt candelabra, sed manibus junctis accedunt ante medium Altaris, et assistunt cantui Evangelii; signant se in fronte, ore et pectore (Cfr. Regulæ generales, (2), I, 2.)

TA 21. Non recitatur Symbolum.

A 22. Subdiaconus non assumit velum humerale.

23. Acolythus secundus pergit ad Altare simul cum primo, et accedens accipit a Diacono velum calicis quod statim refert ad credentiam.

T 25. Post incensationem Altaris, solus Celebrans incensatur a Diacono; quo facto, Thuriferarius, accedens ad dexteram Diaconi, ab eo accipit thuribulum et statim revertitur ad credentiam.

31, 32, 33. Thuriferarius accedens cum thuribulo ad partem Epistolæ, illud tradit Subdiacono, et remanet tempore Elevationis genuflexus in plano a parte Epistolæ; facta Elevatione assurgit, et recipit a Subdiacono thuribulum; genu dextrum flectit, et revertitur ad credentiam, ubi genua flectit et genuflexus remanet usque ad *Pax Domini*.

AC 33. Acolythi ad credentiam remanent genuflexi usque ad *Pax Domini*. Si autem Acolythi funalia tenent ad Elevationem, ipsi remanent genuflexi et funalia tenentes usque ad sumptionem S. Sanguinis peractam. Idem observabunt qui forte specialiter ad hoc Officium fuerint assignati Ceroferarii.

T 34. Omittitur, quia non assumpsit Subdiaconus velum humerale.

TA 35. Loco *miserere nobis*, et *dona nobis pacem*, dicitur *dona eis requiem*, et tertio additur *sempiternam;* pectus non percutitur, et tenentur manus junctæ ante pectus.

36. Pax non datur.

T 37. Si Acolythi simul sunt Ceroferarii, Thuriferarius ministrat vinum et aquam loco primi Acolythi.

TA 39. Infra Postcommuniones omnes genua flectunt in locis suis.

40. Omittitur Benedictio, et omnes remanent stantes in locis suis.

§ 2. In Absolutione pro Defunctis

(7) — **Absolutio post Missam** pro Defunctis peragitur : vel 1° super cadaver ; vel 2° absente cadavere, super tumulum in ecclesia erectum ; vel 3° absente cadavere, super extensum in pavimento ante gradus Altaris aliquem pannum nigrum.

I. Absolutio super cadaver.

A 1. Post Missam Subdiaconus, deposito manipulo, accedit ad credentiam et accipit Crucem processionalem ; Acolythi accipiunt candelabra et comitantur Subdiaconum, qui procedit medius inter ipsos, primum ante medium Altaris in Presbyterio, ubi dextrum genu flectunt, deinde ad caput cadaveris (scilicet inter portam ecclesiæ et cadaver, si fuerit laici ; inter Altare et cadaver, si fuerit Sacerdotis), et ibi subsistunt usque ad finem Absolutionis.

2. In officio sepulturæ Acolythi comitantur Subdiaconum ad locum sepulturæ, et ibi se disponunt eodem modo quam in ecclesia, nempe ad caput cadaveris.

3. Post officium sepulturæ Acolythi item comitantur Subdiaconum qui portat Crucem usque ad sacristiam ; qua deposita, ipsi etiam deponunt candelabra.

T 4. Thuriferarius portans thuribulum et naviculam, post Missam, una cum Celebrante et Diacono accedit ad pedes cadaveris, et subsistit prope Celebrantem a dextris.

5. Quum a cantoribus repetitur Versus *Libera me*, accedit Diaconus ad dexteram Celebrantis, et Thuriferarius se sistens ante Celebrantem, tradit Diacono naviculam, et stans præsentat Celebranti Sacerdoti thuribulum ; incenso imposito et benedicto, Thuriferarius accipit a Diacono naviculam, et recedit ad dexteram Diaconi ; thuribulum claudit, et cum Celebrans asperserit cadaver, tradit thuribulum Diacono ; remanet in eodem loco, illudque recipit ab eodem post incensationem.

6. In officio sepulturæ Thuriferarius præcedit Subdiaconum qui Crucem gestat, et ad locum sepulturæ sistit ad sinistram se-

cundi Acolythi. Accedit ad Celebrantem pro benedictione sepulchri, si non esset benedictum.

7. Post officium sepulturæ iterum Thuriferarius præcedit Subdiaconum usque ad sacristiam.

II. Absolutio super tumulum.

A 1. Acolythi idem observant ut supra ad n. 1 ; animadvertitur quod, absente cadavere, semper Subdiaconus et Acolythi sistunt inter portam ecclesiæ et tumulum, etiamsi officium celebretur pro Sacerdote.

2. Post absolutionem, Acolythi comitantur Subdiaconum qui portat Crucem usque ad sacristiam.

T 3. Thuriferarius idem observat ut supra ad nn. 4, 5 et 7.

III. Absolutio super pannum extensum.

A 1. Cum, lecto ultimo Evangelio, Celebrans et Ministri accedunt ad scamnum, Acolythi ante gradus Altaris super pavimentum explicant pannum nigrum ; facta dein genuflexione ante medium Altaris, recedunt ad credentiam. Post absolutionem iterum accedunt ad medium, genuflectunt, et replicant pannum eumque deferunt prope credentiam.

TA 2. Thuriferarius, cum repetitur Versus *Libera me,* accedit ad partem Epistolæ ; ascendit, et præsentat naviculam Diacono, thuribulum Celebranti ; imposito incenso et benedicto, recipit naviculam et recedit ; ad credentiam deponit naviculam, se adjungit Acolytho sustinenti vasculum aquæ benedictæ, et ambo simul tendunt ad partem Evangelii, genuflectentes ante medium Altaris cum ibi transeunt. Acolythus ascendit ad Diaconum, eique tradit aspersorium, et mox iterum illud accipit. Post aspersionem panni, Thuriferarius ascendit, tradit thuribulum Diacono ; et postquam illud receperit, simul cum Acolytho descendit, et revertitur ad credentiam, facta iterum genuflexione in transitu ante Altaris medium.

CAPUT IV

OFFICIUM IN VESPERIS SOLEMNIBUS

(8) — **TA** 1. Dato signo exeundi e sacristia, præibit Thuriferarius manibus junctis ; sequentur Acolythi gestantes candelabra, modo præscripto (cfr. Cap. I, (4), n. 2).

2. Ante Altare se sistunt : Thuriferarius in medio, Acolythi retro post Assistentes seu Pluvialistas, et omnes simul genuflectunt uno genu ad Crucem Altaris.

3. Thuriferarius accedit ad credentiam et ibi genua flectit ; Acolythi accedunt ad partem Epistolæ, ubi in infimum gradum

lateralem deponunt candelabra ; Acolythus 1 extinguit candelabrorum candelas, et mox ambo accedunt ad credentiam, ubi genua flectunt.

4. Cum Celebrans assurgit, Thuriferarius et Acolythi assurgunt. — In Ecclesia Metropolitana, Celebrans et Assistentes, tunc ab Altari discedentes, salutant clerum in Choro præsentem, primo a parte Evangelii, dein a parte Epistolæ : Thuriferarius et Acolythi ad credentiam stantes, ibi easdem simul salutationes faciunt : deinde etiam transeunti Celebranti caput inclinant. - Cum Celebrans intonat : *Deus in adjutorium*. Cruce se a fronte ad pectus signant : dein quoties caput est inclinandum, ad *Gloria Patri*, ad *Sit nomen Domini benedictum*, item ad nomina *Jesu*, *Mariæ*, aut Sancti cujus festum celebratur, id sedulo observant. (Cfr. Regulæ generales. (2), IV, 2.)

T 5. Ad finem quarti Psalmi, Thuriferarius discedit ad sumendum thuribulum cum navicula, et redit ad credentiam dum cantatur Versus et Antiphona ad *Magnificat ;* genuflectit cum transit ante medium Altaris.

A Versus finem quinti Psalmi Acolythus 1 accendit candelas.

6. Cum cantatur Antiphona post Psalmum, Acolythi accedunt ad partem Epistolæ, caput inclinant Celebranti, assumunt candelabra, et se sistunt ad latera Assistentium Celebrantis, versa ad Celebrantem facie. Celebrans cantat Capitulum et intonat Hymnum, quo facto, Acolythi reponunt candelabra in gradum, caput inclinant Celebranti et recedunt ad abacum.

Nota : Si esset genuflectendum sub cantu primæ strophæ, ex. gr., ad *Veni Creator*, ad *Ave, maris stella*, omnibus genuflectentibus, Acolythi remanent erecti tenentes candelabra per totam stropham ; deinde candelabra reponunt in gradum, ut supra.

TA 7. Cum cantatur *Magnificat*, omnes Cruce a fronte ad pectus se signant.

T Cum accessit Celebrans ad Altare, accedit et Thuriferarius cum thuribulo et navicula, observans quæcumque præscribuntur Capite II, (5), nn. 8. 9. Cum Celebrans incensat anteriorem partem Altaris a cornu Epistolæ, accedit Thuriferarius ad partem Epistolæ, caput inclinat, accipit ab Assistente thuribulum, caput inclinat, et redit ad credentiam.

8. Cum reversus est Celebrans ad scamnum, Thuriferarius offert thuribulum primo Assistenti, qui incensat Celebrantem : dein recipit ab Assistente thuribulum, et ipse thurificat Chorum, scilicet Canonicos ab utraque parte, tum Assistentes qui pluviali sunt induti, singulos duplici ductu ; deinde in Choro Presbyteros et alumnos Seminarii, Cantores si pluviali non sunt induti, singulos unico ductu, Acolythos unico ductu, et

tandem populum ; observans omnia quæ in superiori Capite II, (5), n. 25, descripta sunt pro genuflexionibus et inclinationibus, aliisque quæ in thurificatione servanda sunt. Dein revertitur ad credentiam.

Quando in solemnioribus Vesperis ipsi Cantores sunt pluvialibus induti, tunc, postquam a primo Assistente incensatus fuit Celebrans, Thuriferarius accipit thuribulum, illudque tradit secundo ex Cantoribus ; iste incensat, comitante Thuriferario, Canonicos et Assistentes ; Thuriferarius deinde accipit thuribulum, et incensat Cantores, singulos unico ductu, deinde alumnos Seminarii in Choro, et reliquos, ut supra.

Thuriferarius in his omnibus observabit, quod stare aut procedere debet ad dexteram Assistentis aut Cantoris, et fimbriam pluvialis elevatam tenere, interea dum iste incensat.

A 9. Cum Celebrans cantat Orationes, Acolythi stant cum candelabris, et observant dicta n. 6. Ad *Dominus vobiscum* post Orationes, discedunt cum candelabris, et redeunt ad planum ante Altare.

TA 10. Acolythi ante Altare locum occupant sicut in accessu ; eis se adjungit Thuriferarius gestans thuribulum et naviculam, et simul genuflectunt uno genu ; assurgunt, et cum Celebrans in discessu reverentiam facit Cruci Altaris, genuflectunt iterum, et eodem quo venerunt ordine, revertuntur ad sacristiam. (Cfr. Cap. II, (5), n. 42.)

In Ecclesia Metropolitana, post factam Cruci Altaris reverentiam, scilicet a Thuriferario et ab Acolythis genuflexionem, omnes faciunt salutationes ad clerum in Choro congregatum, eodem modo qui in Capite II, (5), n. 42 describitur pro discessu post Missam.

CAPUT V

OFFICIUM IN EXPOSITIONE ET BENEDICTIONE SS. SACRAMENTI

(9) — Supponitur 1° quod SS. Sacramentum exponitur in eo Altari in quo asservatur in Tabernaculo.

TA 1. In accessu servant Acolythi et Thuriferarius ea quæ præscripta habentur pro accessu ad Missam solemnem (cfr. Cap. II, (5), nn. 1, 2, 3). Post genuflexionem in accessu, iterum mox genuflectunt utroque genu.

A 2. Acolythi genuflexi tenent candelabra usque dum Celebrans SS. Sacramentum incensavit ; quo facto, assurgunt, procedunt simul et eodem passu usque ante Altaris gradus. et

candelabra deponunt ab utroque latere in angulum infimi gradus Altaris : mox simul recedunt aliquot passus a gradibus Altaris, vertentes se primus per sinistram, alter per dexteram suam, et genua flectunt in plano, attendentes ne locum occupent retro post Diaconum aut Subdiaconum, sed ut aliquanto magis a medio distent.

T 3. Cum ab Altari descendit Diaconus, accedit Thuriferarius, genu dextrum flectit, surgit, et imponitur thus, modo consueto ut describitur Cap. II, (5). nn. 5, 8, 9, excepto quod thus non benedicitur. Interea dum Celebrans incensat SS. Sacramentum, Thuriferarius deponit naviculam super credentiam, et mox genua flectit in plano ad dexteram Diaconi : facta incensatione, surgit, ab ipso recipit thuribulum, et genua flectit in plano ante angulum infimi gradus a parte Epistolæ ad sinistram primi Acolythi. Quando ipse per totum adorationis tempus retinet thuribulum, curare debet ut prunæ remaneant accensæ ; quare, elevato parum a scutella cooperculo, thuribulum leviter agitabit, ut dicitur Capite II, (5), n. 11.

TA 4. In fine, cum cantatur *Genitori*, assurgunt Thuriferarius et Acolythi : hi simul accedentes ad Altaris gradus, recipiunt candelabra, et ad suum locum regressi, eodem modo qui supra n. 2 describitur, genua flectunt : candelabra manibus sustinent. Thuriferarius, accepta e credentia navicula, iterum accedit cum thuribulo, ut n. 3, et ministrat incensum.

T 5. Cum Celebrans dat Benedictionem, moris est ut Thuriferarius, genuflexus in plano a parte Epistolæ, profunde inclinet caput, et triplici ductu, ac in singulo ductu duplici ictu (cfr. Cap. II, (5), n. 25, Nota), incenset SS. Sacramentum, et iterum caput profunde inclinet. Hæc incensatio non præscribitur quidem a Rubricis, sed S. Rituum Congregatio, proposito hac super re dubio, rescribendum censuit, servandam esse consuetudinem locorum. (Decret. 7 Septembris 1861, n. 3168. antiq. 5315, ad 6.) Hæc consuetudo apud nos semper observata fuit. — Clauso Tabernaculo, Thuriferarius assurgit, et accedit ad medium ante Altare, ubi se sistit retro post Celebrantem.

TA 6. Pro regressu ad sacristiam, serventur ea quæ præscribuntur Cap. II, (5), n. 42.

C 7. Præter Acolythos candelabra gestantes ad Expositionem et Benedictionem SS. Sacramenti, insuper inserviunt duo vel quatuor Acolythi, dicti Ceroferarii, qui funalia accensa deferunt. Sequentia isti observabunt : In progressu ad Altare sequuntur bini Acolythos et gestant funalia a parte interiori, scilicet, qui ad dexteram sunt manu sinistra, qui ad sinistram manu dextra. Ante Altare progressi, primo stant retro post Diaconum et Subdiaconum, simul cum omnibus aliis genu dextrum flectunt.

Mox assurgentes tendunt ad latera Altaris, qui a dextris sunt ante gradus laterales a parte Epistolæ, qui a sinistris ante gradus laterales a parte Evangelii ; simul flectunt genua in plano, et per totum Expositionis et Benedictionis tempus genuflexi remanent, tenentes funalia in plano deposita, qui a parte Epistolæ sunt manu dextra, qui a parte Evangelii sunt manu sinistra ; alteram manum liberam pectori applicatam tenentes. Clauso Tabernaculo, assurgunt et accedunt ad planum ante Altare, locum sumentes retro post Diaconum et Subdiaconum ; resumunt funalia altera manu, ut ea teneant a parte interiori, et simul cum aliis omnibus genu dextro flexo, mox eodem quo venerunt ordine revertuntur ad sacristiam.

---

(10) — Supponitur 2° quod SS. Sacramentum sit exponendum in alio Altari, quam in quo in Tabernaculo asservatur.

TAC 8. Cum e sacristia omnes procedunt ad Altare Tabernaculi, præcedit Thuriferarius, sequuntur Acolythi gestantes candelabra ; deinde Ceroferarii gestantes funalia, bini et bini, modo qui supra n. 7 describitur ; ad Altare omnes sistunt ut supra pro Expositione præscribitur.

9. Aperto Tabernaculi ostiolo, et parato Ostensorio, Thuriferarius ministrat incensum, ut supra n. 3 describitur. Quando Celebrans manibus jam tenet Ostensorium, omnes assurgunt et procedunt ad Altare Expositionis : præcedunt Acolythi, sequuntur Ceroferarii, omnes aliquantum ab invicem separati, et æqualem passum servantes : immediate ante SS. Sacramentum procedit Thuriferarius, dextra manu leviter agitans Thuribulum.

10. Ad Altare Expositionis, Acolythi genuflectunt ante Altaris gradus ab utroque latere, facie ad medium versa donec transierit Celebrans, dein facie versa ad Altare. Ceroferarii directe tendunt ad latera Altaris ; Thuriferarius genuflectit ad sinistram Acolythi I.

11. Exposito super thronum SS. Sacramento, iterum ministratur incensum, et reliqua fiunt, ut supra nn. 2 et 3 præscribuntur.

12. Data Benedictione in fine functionis, pro repositione SS. Sacramenti idem ordo observatur quam supra n. 9.

13. Pro regressu ab Altari Tabernaculi ad sacristiam servatur ordo supra n. 8 descriptus.

CAPUT VI

OFFICIUM IN PROCESSIONIBUS

(II) — A 1. Ad initium Processionis Acolythi assumunt candelabra, et simul cum eo qui Processionis Crucem defert (Subdiacono, vel alio ministro, pro diversitate Processionum) accedunt ad ingressum Presbyterii vel Chori; medius stat qui Crucem gestat; ad utrumque ejusdem latus stant Acolythi gestantes candelabra, conversi ad Altare donec signum procedendi fuerit datum. Si in initio Processionis omnes de clero genuflexi remanent per aliquod tempus, ex. gr., in Rogationibus, ab initio Litaniæ usque ad ℣. *Sancta Maria, ora pro nobis*. Acolythi etiam in locis suis genua flectunt. Dato signo procedendi, si genuflexi sunt, assurgunt, et mox iterum genu dextrum flectunt; deinde conversi primus per sinistram suam, alter per dexteram suam, ne terga vertant ei qui Crucem defert, procedunt. Cumque, ita faciendo, jam non servent ordinem, Acolythus 1 enim erit ad sinistram ejus qui Crucem gestat, Acolythus 2 ad dexteram, immutare tunc debent etiam manuum positionem ad candelabrum sustinendum, tali modo, ut pes candelabri sustineatur manu quæ est a parte Crucem gestantis, seu interiori, scapus vero infra globum, seu globus teneatur manu exteriori (cfr. Caput I, (4), n. 2).

2. In quibusdam Processionibus in Ecclesia Metropolitana institutis, præsente Archiepiscopo, duæ Cruces portantur, una ante alumnos Seminarii et clerum civitatis, altera immediate ante Capitulum Canonicorum Ecclesiæ Metropolitanæ; pro utraque Cruce tunc designantur Acolythi, qui eadem præscripta observabunt.

3. Per totam Processionis viam, Acolythi remanent prope ministrum qui inter ipsos Crucem defert, et eumdem quem iste passum servant.

4. Quando Processio per viam subsistit, si id fiat in aliqua ecclesia pro SS. Missæ Sacrificio celebrando, ex. gr., in Rogationibus, Acolythi et minister qui Crucem defert procedunt usque ante Altare, ubi genu dextrum flectunt, et dein discedunt ad credentiam prope Altare, ubi candelabra deponunt, et exspectant adventum Celebrantis; in fine functionis, cum resumitur Processio, eodem modo se gerunt, quemadmodum in Processionis initio; si id fiat ad aliquod Altare per viam exstructum, Acolythi remanent ad caput cleri qui Processioni interest, subsistentes in loco qui opportune ipsis designabitur,

et genuflectentes toto tempore si SS. Sacramentum in Processione defertur, usque dum procedendi signum dabitur.

5. Dum Processio erit in fine, Acolythi in ecclesia accedunt cum ministro qui Crucem defert usque ante Altare, ubi genu dextrum flectunt, dein ad credentiam, ubi deponunt candelabra, et exspectant Celebrantis adventum. — Si autem mox daretur Benedictio cum SS. Sacramento in Processione delato, remanent genuflexi, candelabra tenentes, in plano ante Altare, ab utraque parte, quemadmodum pro repositione SS. Sacramenti, Capite V (9, 10), describitur.

6. In fine functionis, resumunt candelabra, et consueto modo cum Celebrante et Ministris revertuntur ad sacristiam.

T 7. Thuriferarius quibusdam tantum interest Processionibus ex iis in quibus SS. Sacramentum non defertur ; ex. gr., in Festo Purificationis B. Mariæ V.. Processioni quæ instituitur post Benedictionem Candalarum : in Dominica Palmarum, Processioni quæ instituitur post Benedictionem Palmarum ; in Sabbato sancto pro initio functionis. In iisdem, antequam incipiatur Processio, ad nutum Cæremoniarii accedit ad Celebrantem, per partem Epistolæ si Celebrans est ad Altare, pro thuris impositione : quo imposito, Thuriferarius adjungit se Acolythis et Ministro qui Crucem defert, et ad signum procedendi, facta simplici genuflexione ad Altare, præcedit semper Ministrum Crucem gestantem, tenens thuribulum prope cooperculum manu dextra, et illud continuo ante Crucem leviter agitans. In fine Processionis cum Acolythis accedit ad credentiam, et exspectat Celebrantis adventum.

8. In Processionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum, duo adesse debent Thuriferarii, juxta Rituale Romanum (Tit. IX, Cap. 5, n. 3) ; et S. Rituum Congregatio rescripsit, quod plus quam duos Thuriferarios adhibere non licet. (Decret. 11 Maji 1878, n. 3448, ad 9, antiq. 5728, ad 14.) — Duo Thuriferarii ad credentiam exspectant Processionis initium ; immediate antequam incipiatur, accedunt ambo ad Celebrantem ante medium Altaris, genuflectunt uno genu, et mox stantes, tradita a primo navicula Diacono, præsentant thuribula Sacerdoti Celebranti qui incensum in duobus imponit. Quo facto, primus tradit thuribulum Diacono, et ambo retro post Celebrantem genuflectunt. Postquam Celebrans incensavit SS. Sacramentum, primus accipit thuribulum a Diacono, adjungit se alteri et genuflectit, et mox ambo surgunt, et se sistumt ante Altare in aliqua distantia genuflexi donec de Altari discedit Celebrans.

9. In Processione procedunt immediate ante SS. Sacramentum, post Ceroferarios ; prior, qui est a dextris, manu sinistra sustinet thuribulum, alter a sinistrls dextra manu illud gestat ;

caveant ne terga directe vertant SS. Sacramento. Per totam Processionem thuribulum continuo leviter agitant; debito tempore addent prunas et incensum.

10. Si per viam Processio subsistit ad aliquod Altare, et item in fine Processionis, prior genuflectit in plano ante Altare versus partem Epistolæ, alter item versus partem Evangelii; qui a parte Epistolæ est, solus ministrabit incensum pro thurificatione SS. Sacramenti a Celebrante præstanda.

11. Idem observatur a Thuriferariis in Processionibus in quibus transferuntur Sacræ Reliquiæ.

C 12. Ceroferarii funalia gestantes adsunt in Processionibus in quibus defertur SS. Sacramentum, aut transferuntur Sacræ Reliquiæ.

Ad initium functionis, in Processione SS. Sacramenti, Ceroferarii genuflexi sunt æquali numero ad utrumque latus Altaris, in plano, a parte Evangelii et a parte Epistolæ; cumque descendit de Altari Celebrans, assurgunt, et in Processione ibunt post reliquos omnes de clero, ante Thuriferarios qui procedunt immediate ante SS. Sacramentum,

13. Ceroferarii non ibunt bini et bini sicut reliqui de clero Processionis, sed aliquantum ab invicem separati, ita ut tertius posset facile inter ipsos procedere, portant funalia manu interiori, scilicet, qui ad dextram Celebrantis sunt manu sinistra, qui ad lævam manu dextra; procedunt eodem passu ita ut semper in eadem linea recta remaneant, nec qui a dextris sunt citius procedant quam qui a sinistris; numquam sit aliqua interruptio inter ipsos et Thuriferarios ac baldachinum.

4. Si per viam subsistit Processio ad aliquod Altare, et item in fine Processionis, Ceroferarii genuflectunt ad utramque partem Altaris in plano, tenentes funalia quemadmodum præscribitur Capite V, (9), n. 7, pro Expositione SS. Sacramenti.

15. In Processionibus in quibus transferuntur Sacræ Reliquiæ, Ceroferarii ad initium functionis stant æquali numero ad utrumque latus Sacrarum Reliquiarum, ad eas conversi et funalia manu tenentes. Si in initio functionis clerus genuflectit, ex. gr., quando incipitur cantus Litaniarum, genuflectunt et ipsi conversi ad Altare usque dum proceditur. — In Processione remanent et procedunt ab utroque latere Sacrarum Reliquiarum, funalia gestantes manu interiori; in fine Processionis prope ipsas stant sicut in initio, usque dum sacræ functioni finis sit impositus. Tunc, præcedentes Celebrantem, post Acolythos procedunt ad Altare, et inde, facta simplici genuflexione ad Altaris Crucem, discedunt ad sacristiam.

CAPUT VII

OFFICIUM IN MISSA SOLEMNI PRÆSENTE ARCHIEPISCOPO

(12) — Nota. Quia Cæremoniale scriptum fuit ad usum alumnorum Seminarii Archiepiscopalis Mechliniensis, ideo hic agitur de Archiepiscopo in Missa solemni ad thronum præsente ; sed descriptæ regulæ eædem sunt pro quocumque Episcopo Ordinario in sua Diœcesi eodem modo Missæ solemni assistente.

Observantur ab Acolythis et Thuriferario omnia quæ pro Missa solemni Capite II (5) præscribuntur, exceptis quæ sequuntur.

TA 1. Interea dum e Choro discedunt Canonici, ut advenientem Archiepiscopum comitentur et ad Chorum deducant, e sacristia accedunt ad Altare Celebrans omnesque ejus ministri. Chorum ingressi per portam lateralem a parte Epistolæ, Thuriferarius et Acolythi statim accedunt ad credentiam, et cum Celebrans et Ministri sacri in plano a parte Epistolæ salutant Crucem Altaris, ipsi genuflexionem simplicem faciunt, deinde Acolythi deponunt candelabra sua super credentiam.

2. Stantes ante credentiam exspectant Archiepiscopi adventum ; et quando Chorum ingreditur Archiepiscopus, ipsi genua flectunt, et manent genuflexi usque dum ab oratione ante medium Altaris assurgit Archiepiscopus.

A 3. Mox Acolythi ambo accedunt ad medium ante genuflexorium in quo oravit Archiepiscopus, genuflectunt ad Crucem Altaris; et genuflexorium, revoluto prius si necesse fuerit tapete, e medio asportant prope credentiam.

T 4. Pro impositione thuris notatur quod , quæ in aliis Missis fit a Celebrante, semper in casu fit ab Archiepiscopo in throno sedente. Ideo Thuriferarius, post preces Confessionis in principio Missæ , acceptis navicula et thuribulo , accedit ad thronum , genuflectens ad Crucem Altaris cum transit ante medium ; genuflectit etiam in plano ante thronum, assurgit et ascendit ad penultimum throni gradum; naviculam tradit Presbytero assistenti, et genuflexus præsentat thuribulum apertum Archiepiscopo ; imposito thure ac benedicto, accipit a Presbytero assistente naviculam, et descendit de throno ; iterum conversus ad thronum genuflectit, et mox accedit ad Altare ante infimum gradum in medio , tradit occurrenti Cæremoniario naviculam, aptat thuribuli cooperculum scutellæ, genuflectit et ascendit ad Altare, tradit thuribulum Diacono, manibus junctis

descendit, genuflectit in plano ante medium Altaris, et accedit ad credentiam.

Postquam a Diacono duplici ductu incensatus fuit Celebrans, Thuriferarius, ut consueto, ab ipso accipit thuribulum, et accedit ad credentiam.

Si autem Archiepiscopus Missæ assisteret, non solum cappa magna indutus, sed paratus, id est, cum pluviali et mitra, Thuriferarius, accepto a Diacono thuribulo, statim accedit ad thronum, genuflectens ante medium Altaris cum transit, ad thronum genuflectit, et mox stans ad dexteram Presbyteri assistentis in plano, ipsi tradit thuribulum; postquam incensatus fuit Archiepiscopus, Thuriferarius accipit thuribulum, genuflectit ante thronum, discedit, genuflectit ante medium Altaris, et accedit ad credentiam.

Ubi vero Archiepiscopus Missæ assistit non paratus ut supra, sed cappa magna tantum indutus, hic ante Introitum, et post Evangelium non debet thurificari, sed semel tantum, nempe post thurificationem Altaris ad Offertorium. (Decret. S. Rituum Congregationis, 8 Junii 1709, n. 2195, antiq. 3810, ad 2.)

A 5. Quando Missa celebratur de *Requiem*, vel de Feria, in diebus jejuniorum, Acolythi, interea dum legitur Introitus, reponunt genuflexorium ante medium Altaris ad aliquot passuum distantiam a gradibus; genuflectunt ad Crucem Altaris et revertuntur ad credentiam. Post Orationes statim auferunt e medio genuflexorium, ut supra n. 3 dicitur.

T 6. Ante cantum Evangelii, dum Diaconus accedit ad thronum ut manum Archiepiscopi osculetur, Thuriferarius etiam accedit ad thronum ut ministret incensum imponendum ab Archiepiscopo; servat ea quæ præscribuntur n. 4, et mox ipse reportat naviculam ad credentiam.

TA 7. Cum Diaconus dicit Orationem *Munda cor etc.*, et ascendit ad Altare ut accipiat librum Evangeliorum, Acolythi sumunt candelabra, et consueto modo accedunt ad Altare; genuflexione simplici ab omnibus ad Crucem Altaris facta, omnes accedunt ad thronum, et ibi in plano genuflectunt, et genuflexi remanent usque dum Archiepiscopus dixerit formulam *Dominus sit etc.* Acolythus 2 genuflectit a parte Altaris, ad dexteram Diaconi; Acolythus 1 sistit versus Chorum, a sinistris Subdiaconi; Thuriferarius genuflectit retro post Diaconum. Cum Archiepiscopus dixit formulam *Dominus sit etc.*, omnes assurgunt, mox faciunt genuflexionem simplicem ante thronum, et discedunt ad locum ubi Evangelium cantatur, in aliqua distantia a throno versus populum, et ibi stant consueto modo.

A 8. Post cantum Evangelii, statim ac Subdiaconus transiit ante Acolythum 2 cum libro Evangelii versus thronum, Acoly-

thi ambo revertuntur ad credentiam, omissa genuflexione simplici versus Archiepiscopum, quia non ante ipsum transeunt, sed dextrum genu flectentes ad Crucem quando ante Altaris medium transeunt; advertant ut simul istam faciant genuflexionem.

T 9. Post cantum Evangelii, si Archiepiscopus est solum cappa magna indutus, tunc non Archiepiscopus sed Celebrans debet incensari, uti declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 4 Augusti 1663, n. 1275, antiq. 2241, ad 8); ideo Thuriferarius statim accedit ad dexteram Diaconi; simul cum ipso facit genuflexionem simplicem cum transeunt ante thronum, et mox cum Diacono stat ante gradus Altaris, ubi Diacono tradit thuribulum, et modo consueto Celebrans incensatur; accepto a Diacono thuribulo, Thuriferarius revertitur ad credentiam, genuflectens cum transit ante medium.

Si Archiepiscopus assistit paratus cum pluviali, tunc non Celebrans sed Archiepiscopus debet incensari, juxta Cæremoniale Episcoporum (Lib. II, Cap. IX, n. 8); ideo Thuriferarius statim post cantum Evangelii accedit ad thronum, genuflexionem simplicem facit in plano, et mox ubi Subdiaconus cum libro descenderit, ad dexteram Presbyteri ad thronum assistentis huic tradit thuribulum pro incensatione Archiepiscopi; recepto dein thuribulo, genuflectit ante thronum et revertitur ad credentiam, genuflectens ad Crucem cum transit ante medium Altaris.

10. Postquam Archiepiscopus aquam a Subdiacono ad Offertorium præsentatam benedixerit, Thuriferarius accedit ad thronum pro impositione incensi, ut supra n. 4.

11. Diaconum ad thronum et ad Chorum pro incensatione ordinarie comitatur Cæremoniarius; post incensationem Subdiaconi, Thuriferarius accedit ad sinistram Diaconi, accipit thuribulum, et incensat consueto modo Diaconum, ac reliquos omnes quos nondum incensavit Diaconus, et ultimo populum, advertens ut genuflectat semper quoties transit ante thronum; cætera observat quæ præscribuntur Capite II, (5), n. 25.

A 12. Ante finem cantus Præfationis, Acolythi reponunt genuflexorium ante medium Altaris, ut supra n. 5, extenso si necesse fuerit superposito tapete; genuflectunt ad Altare, et revertuntur ad credentiam.

Post Elevationem, cum regressus fuerit ad thronum Archiepiscopus, auferunt Acolythi genuflexorium, ut supra notatur n. 3.

In Missis de *Requiem*, et in Missis de Feria, diebus jejuniorum, cum remaneat Archiepiscopus genuflexus usque ad *Pax Domini*, tunc tantum auferunt Acolythi genuflexorium.

13. In Missis de *Requiem*, aut de Feria, diebus jejuniorum,

cum Celebrans sumit purificationem, Acolythi reponunt genuflexorium ante Altare, pro Postcommunionibus, et his dictis, illud auferunt, ut supra n. 5.

TA 14. Postquam Archiepiscopus dedit Benedictionem, Thuriferarius et Acolythi assurgunt interea dum Celebrans publicat indulgentias.

A 15. Cum Celebrans legit ultimum Evangelium, Acolythi reponunt geneflexorium ante medium Altaris, ut supra n. 12.

TA 16. Statim ac Archiepiscopus post Missam descendit de throno, Thuriferarius et Acolythi genua flectunt ante credentiam, et genuflexi remanent usque dum Archiepiscopus discesserit e Choro. Tunc assurgunt, Acolythi sumunt candelabra, Thuriferarius sumit thuribulum et naviculam; et cum Celebrans a parte Epistolæ salutat Crucem Altaris, ipsi versus Crucem genuflectunt in loco suo ante credentiam, et mox ordine consueto discedunt ad sacristiam.

---

(13) — Quando Missa solemnis, præsente Archiepiscopo, celebratur coram SS. Sacramento exposito, observanda insuper sunt sequentia.

A 17. Prænotatur quod Archiepiscopus, tum ad Expositionem, tum ad Benedictionem et Repositionem SS. Sacramenti, genuflectit ante medium Altaris; genuflexorium in casu ponitur in majori distantia a gradibus Altaris, ut facile valeant ad Altare accedere, vel ab Altari discedere per anteriores gradus, Celebrans qui portat SS. Sacramentum, et omnes ministri ipsum comitantes; accessus et recessus in casu ordinarie fiunt per portam Chori lateralem a parte Epistolæ.

A C 18. Acolythus 2, et qui ipsum sequuntur Ceroferarii, ad Expositionem transeunt ante Archiepiscopum absque ulla reverentia, ut accedant ad partem Evangelii. Postquam Archiepiscopus incensavit SS. Sacramentum, discedunt Acolythi ad credentiam, et Ceroferarii ad sacristiam, ordine et modo consueto, genuflectentes tantum versus SS. Sacramentum.

19. Pro Repositione, Acolythi et Ceroferarii jam accedunt genuflexuri ante et a latere Altaris, antequam Archiepiscopus de throno descendat ad genuflexorium; post datam a Celebrante Benedictionem, Acolythi et Ceroferarii ipsum comitantur ad reponendum SS. Sacramentum ad Altare Tabernaculi; Acolythus 2 et Ceroferarii qui sunt a parte Evangelii transeunt absque reverentia ante Archiepiscopum.

T 20. Ad Expositionem et ante Benedictionem, Archiepiscopus ponit incensum in thuribulo et thurificat SS. Sacramentum. Itaque, in initio cum Diaconus posuit Ostensorium super

thronum expositionis, et in fine cum cantatur *Genitori,* Thuriferarius accedit pro impositione thuris ad genuflexorium, tradit naviculam primo Assistenti qui est a dextris Archiepiscopi, et utroque genu flexo præsentat thuribulum apertum Archiepiscopo ; imposito incenso, assurgit, accipit naviculam ; et cum Archiepiscopus genuflectit in infimo gradu Altaris, Thuriferarius tradit thuribulum primo Assistenti, et mox ab eodem illud recipit ; reliqua observat Thuriferarius, sicut describuntur Capite V (9, 10).

NOTA PRO DIVERSIS ALIIS FUNCTIONIBUS

(14) — Quæ a Thuriferariis et Acolythis observanda sunt in quibusdam specialibus functionibus et officiis per annum, ex. gr., in Benedictione Candelarum, 2 Februarii ; in Benedictione Cinerum, in capite jejunii quadragesimalis ; in Hebdomada sancta, etc., hic non describuntur, cum ipsi de iis quæ peragenda sunt sufficienter certiores fieri possint ex inspectis Rubricis particularibus Missalis Romani, aut Cæremonialis Episcoporum ; ac in ipsa functione opportune moneri possint a Cæremoniarum Magistris ; et insuper, quoad modum quo hæc peragenda sunt, sufficientem notitiam habeant ex iis quæ superioribus Capitibus descripta traduntur.

CAPUT VIII

OFFICIUM MINISTRI IN MISSA PRIVATA

(15) — Nota. I. Describitur hic Officium ministri in Missa privata, et in Capite sequenti Officium ministrorum in Missa cantata, tum ut alumni Seminarii, data opportuna occasione, debite illud observent ; tum et præsertim, ut postea, in sacro ministerio, docere ipsi valeant pueros rectam normam hoc præstantius Officium pie et cum ædificatione peragendi.

De minoribus Ecclesiarum ministris sequentia habent Statuta Diœcesis, n. 117 : « Commendamus Ecclesiarum rectoribus, ut Altari inservire non sinant nisi pueros qui ob pietatem et morum honestatem commendabiles existant, quique Sacerdoti celebranti rite respondere, ceteraque, quæ sui muneris sunt, peragere perfecte noverint. Tales oculis fidelium appareant, ut de sanctitate actionis, in qua angelos Dei habent socios, videantur intime convicti. »

« Convenit, ut pueri, Missæ etiam privatæ inservientes, toga

sint induti, et, si fabricæ reditus id aliqua ratione sinant, insuper superpelliceo. Saltem sint decenter vestiti, calceati et loti, id quod semper et ubique fieri potest. »

Utinam in unaquaque ecclesia, unus ex sacerdotibus aliquid curæ conferret ad informandos et instruendos circa officium istos juvenes ; eorumque bonum spirituale, officiorum decorem et ornatum, divini cultus augmentum, fidelium ædificationem, sua sollicitudine et industria foveret !

Nota. II. Minister Missæ privatæ debet esse masculus, et numquam licet mulieri etiam moniali Altari inservire. Attamen S. Rituum Congregatio aliquando permisit, ut, urgente necessitate, Celebrans ministerio mulieris uti possit, sed tantum pro responsis, et omnibus prius commode dispositis quæ ad Sacrificium necessaria sunt, ne mulier ad Altare accedere debeat. Placet duo Decreta sequentia referre :

1. Ad dubium : « Potest ne Sacerdos, omnibus sibi prius commode dispositis quæ ad Sacrificium occurrere possunt, ne mulieres inserviant Altari, uti ministerio mulieris tantum pro responsis ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative, urgente necessitate. » (Decret. 27 Augusti 1836, n. 2745, ad 8, antiq. 4782, ad 10.)

2. Ad dubium : « An in Conservatoriis puellarum Missæ a Cappellano celebratæ inservire possit, extra cancellos vel longius ab Altari, aliqua ex puellis vel Monialibus, quum non facile sit alium inservientem invenire ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative, in casu ; et ex necessitate. » (Decret. 15 Martii 1899, n. 4015, ad 6.)

Nota. III. Unus tantum minister admittitur in Missa privata a Sacerdote celebrata, etiamsi Celebrans esset Prælatus, et usu Pontificalium gaudens (cfr. Decreta S. Rituum Congregationis, 27 Septembris 1659, n. 1131, antiq. 2003, ad 21 ; et 27 Aprilis 1818, n. 2583, antiq. 4545, ad 6.). Soli Episcopi Missam privatam celebrantes duos vel plures ministros habere possunt (cfr. Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. XXIX).

Attamen S. Rituum Congregatio declaravit, prohibitionem duorum ministrorum servandam esse quoad Missas stricte privatas ; sed quoad Missas parochiales, vel similes, diebus solemnioribus, et quoad Missas quæ celebrantur loco solemnis atque cantatæ, occasione realis atque usitatæ celebritatis et solemnitatis, tolerari posse duos ministros inservientes. (Decr. 12 Septembris 1857, n. 3059, antiq. 5251, ad 7.) Et in his Missis duo Clerici a principio Canonis usque ad Communionem intorticia sustinere possunt. (Decret. citatum, ad 8.) Ephemerides Liturgicæ dicunt idem fieri posse, si generalis Communio habetur in Missa (X, 1896, pag. 35) ; si, diebus Dominicis, in aliqua

communitate, loco Missæ solemnis, celebraretur Missa privata in qua omnes communicarent (XIII, 1899, pag. 114).

---

(16) — 1. Ad inserviendum Missæ, minister regulariter super vestes induat vestem talarem et superpelliceum. Præparat ad credentiam ampullas vini et aquæ, cum pelvicula et manutergio, accendit ad Altare candelas, incipiens a parte Evangelii (cfr. Prænotata ad hanc Seriem I, (3), n. 2). In sacristia assistit Celebranti cum hic vestes sacras assumit, et remanet deinde ad ejus sinistram.

2. Cum Celebrans processurus est e sacristia ad Altare, minister assumit Missale super brachium sinistrum, tenetque dextram contra pectus ; aut, si Missale jam super Altare paratum est, manus jungit ante pectus ; simul cum Celebrante profundam capitis inclinationem facit ad Crucem vel imaginem sacristiæ, et præcedit Celebrantem ad duos vel tres passus ; ad januam sacristiæ indice dextro aquam benedictam potest offerre Celebranti, et ipse se signare.

3. Si transeundum sit ante Altare pro quo ipse Celebrans aliquam reverentiam facere tenetur, minister genuflectit a sinistris Celebrantis, nempe :

Genuflexionem simplicem faciet minister cum transit : ante Altare majus Ecclesiæ ; ante Altare in quo habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso ; ante Altare in quo Missa celebratur, inde ab Elevatione facta usque ad Communionem ; ante Reliquias S. Crucis vel Dominicæ Passionis. — Genuflexionem duplicem faciet cum transit : ante Altare in quo expositum est SS. Sacramentum ; ante Altare ubi S. Communio distribuitur. — Genuflexus permanet : ante Altare in quo Missa celebratur ad Consecrationem et Elevationem ; ante Altare in quo datur Benedictio cum SS. Sacramento ; et in his casibus, si Celebrans ipsi biretum tradere voluerit, illud accipiet, ante pectus manibus tenebit, reddetque Celebranti antequam assurgat, Elevatione Calicis facta, vel Benedictione data. — Si Sacerdos celebraturus, dum progreditur per Ecclesiam, obviat Sacerdoti ad sacristiam post celebrationem redeunti, ipsi inclinat caput, et idem faciet minister. Si obviat Episcopo Ordinario genu dextrum flectit. — Ante Reliquias Sanctorum insignes si transeundum sit, sufficiet ministro si simul cum Sacerdote caput profunde inclinet. (Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, ubi casus omnes qui occurrere possunt, exponuntur QQ. 186, 188, 189.)

Quod si Sacerdos celebraturus est Missam ad Altare in quo SS. Sacramentum est expositum, minister accipiet bire-

tum dextera, statim ac pervenerit in conspectum SS. Sacramenti.

Nota. Si sacristiæ janua habetur retro post Altare, et æque per Epistolæ ac per Evangelii partem accessus datur ad Altare, egrediendum est e sacristia et accedendum ad Altare per partem Evangelii; post Missam vero regrediendum est per partem Epistolæ. (Decret. S. Rituum Congregationis, 12 Augusti 1854, n. 3029, ad 12, antiq. 5208, ad 17.)

4. Cum ad Altare pervenerit, si datur accessus a parte Epistolæ, minister aliquantum recedit ante cornu Epistolæ, ut Celebranti aditum præbeat; deinde stans a dextris Celebrantis accipit biretum, genuflectit in plano, genuflexione duplici si SS. Sacramentum est expositum, genuflexione simplici in quocumque alio casu; non sufficit inclinatio; deinde deponit biretum in gradu Altaris. Si Missale portat, a parte Epistolæ ascendit ad Altare, et deponit super legile librum clausum cum apertura versus medium Altaris. — Ministro non licet Missale aperire ad designandam Missam. (Decret. S. Rituum Congregationis, 7 Septembris 1816, n. 2572, antiq. 4526, ad 5.) — Deposito Missali, manibus junctis descendit de Altari a parte Epistolæ, et genuflectens in infimo gradu, campanula dat signum incipientis Missæ; deinde transit ante medium Altaris, ubi genuflectit unico genu in plano, et ante gradus a parte Evangelii genuflectit utroque genu in plano, et genuflexus remanet, paulo retro Celebrantem, ad hujus sinistram, manus decenter junctas tenens.

Nota. Pro genuflexionibus observabit minister regulas sequentes:

Per totam Missam privatam semper manet flexis genibus, præterquam dum legitur Evangelium; tunc enim stat. — Ita genuflexus manet in infimo Altaris gradu, præterquam a principio Missæ usque dum Celebrans post Confessionem ascendit ad Altare: tunc enim genuflexus manet in plano; et ad Elevationem, quando fimbrias Planetæ elevat genuflexus in superiori Altaris gradu.

Quoad genuflexiones faciendas ratione reverentiæ, notandum:

In Missa privata coram SS. Sacramento exposito, minister debet genuflectere utroque genu in accessu et recessu tantum, unico genu vero intra Missam. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 7 Julii 1877, n. 3426, antiq. 5702, ad 6.) In aliis Missis quibuscumque semper faciet genuflexionem simplicem.

Minister genuflexiones hujusmodi quascumque semper debet facere in plano, et numquam in infimo Altaris gradu.

5. Minister simul cum Celebrante Cruce a fronte ad pectus

se signat, et manibus junctis ei respondet. Ad *Gloria Patri,* caput profunde inclinat ; ad *Adjutorium,* Cruce se signat ; ad *Misereatur tui,* aliquantum se convertit ad Celebrantem, et cum dicit *Confiteor,* profunde inclinat corpus versus Altare, paulum se convertens ad Celebrantem cum dicit *tibi Pater*, et *te Pater ;* ter modeste pectus percutit ad *mea culpa ;* cum Celebrans dicit : *Misereatur*, remanet minister inclinatus, sed postquam respondit *Amen*, erigit caput ; ad *Indulgentiam,* Cruce se signat ; deinde ad Versus sequentes mediocriter inclinat corpus. Cum Celebrans ascendit ad Altare, minister surgit, et genuflectit in infimo gradu Altaris ante cornu Evangelii.

Nota. De signo Crucis, a ministro per Missam faciendo, vide quæ dicant Ephemerides Liturgicæ (XIII, 1899, pag. 118) ; quæ ab ipso facienda sunt, expresse in sequentibus indicantur; alia non sunt facienda.

6. Minister Cruce a fronte ad pectus se signat cum Celebrans id facit ad Introitum, et inclinat profunde caput versus Crucem ad *Gloria Patri.* In Missis de *Requiem* vero hæc omittet. — Ad Hymnum *Gloria in excelsis*, profunde inclinat caput quoties id facit Celebrans (cfr. Regulæ generales. (2), IV, 2) ; et in fine simul cum ipso Cruce se signat. In Orationibus, et in Epistola, quoties caput versus Crucem profunde inclinat Celebrans, idem facit minister ; quoties vero Celebrans caput inclinat versus librum, minister caput quoque inclinat, sed versus Altare, non vero versus Crucem (cfr. Regulæ generales, (2), loco supra citato).

7. Post Epistolam minister surgit et transit per planum ad cornu Epistolæ, genuflectens uno genu in plano cum transit ante medium Altaris ; accedit ad cornu Epistolæ, et cum Celebrans tendit ad medium, minister ascendit ad Altare, accipit ambabus manibus legile cum Missali, et descendit de Altari se vertens per suam sinistram ; et per planum tendit ad cornu Evangelii, genuflectens cum transit ante Altaris medium ; ascendit ad cornu Evangelii, et ibi collocat Missale, ita ut pars posterior libri spectet cornu posterius Altaris ; descendit de suppedaneo ad latus Evangelii, ibique conversus ad Altare stans respondet, et se signat pollice in fronte, ore et pectore sicut Celebrans (cfr. Regulæ generales, (2), I, 2) ; cum in initio Evangelii profertur nomen *Jesus*, caput profunde inclinat, et deinde transit ad latus Epistolæ, in planum ante Altare, genuflectens in plano cum transit ante medium Altaris ; stans ad latus Epistolæ ante Altare paulum convertitur ad Celebrantem donec hic legerit Evangelium ; observat inclinationes, et si ad quædam Evangelii verba Celebrans genuflecteret, idem facit minister, uno genu in plano ; ubi in fine responderit : *Laus tibi Christe,* genuflectit in infimo gradu.

In Missa celebrata coram SS. Sacramento exposito minister agit modo omnino eodem quam supra ; rescripsit enim S. Rituum Congregatio, quod in casu minister, qui transfert Missale a cornu Epistolæ ad cornu Evangelii, unicam debet facere genuflexionem in plano ante medium Altare, non autem in accessu ad cornu Altaris et recessu. (Decret. 14 Januarii 1898, n. 3975, ad I, 1.)

8. Cum dicitur Symbolum, minister caput profunde inclinat ad verba *Et incarnatus..... homo factus est ;* item ad verba *simul adoratur ;* et in fine Cruce se signat, sicut Celebrans.

9. Cum Celebrans legit Offertorium, minister, facta capitis inclinatione ad verbum *Oremus*, assurgit et absque genuflexione ad credentiam pergit ; assumit dextera ampullam vini, sinistra ampullam aquæ, quas tenet in ima earum parte, apertas si cooperculum habetur. et cum parte ansæ opposita versus pectus. Accedit ad Altare a parte Epistolæ, et stans in plano caput inclinat versus Celebrantem, dein ascendit ad cornu Altaris ; osculatur ampullæ vini pedem, vel ansam, non autem oram, eamque præsentat Celebranti eo modo ut iste commode possit eam ad ansam accipere ; mox dextera accipit e sinistra ampullam aquæ, quam, si Celebrans cochleari utitur, tenet ad ansam, si non, eodem modo quo ampullam vini ; ampullam aquæ osculatur et præsentat Celebranti, a quo sinistra accipit ampullam vini quam iterum osculatur ; cum Celebrans reddit ampullam aquæ, aut aquam quæ in cochleari remanet refudit in ampullam, minister hanc osculatur, dein per dexteram suam descendit de Altari, in plano per sinistram convertit se ad Celebrantem, caput inclinat, et revertitur ad credentiam.

Nota. I. In Missa celebrata coram SS. Sacramento exposito, minister accedens ad Altare a parte Epistolæ cum ampullis, antequam ascendat ad Altaris cornu, et item postquam descendit de cornu Altaris, loco inclinationis capitis, debet facere genuflexionem simplicem in plano « tam ante ascensionem ad Altare, quam post descensionem de eodem. » (Decret. S. Rituum Congregationis, 14 Januarii 1898, n. 3975, ad I, 2.)

Nota. II. Osculum ampullæ vini expresse præscribitur ministro a Rubrica Missalis (Ritus celebrandi Missam, Tit. VII, n. 4). Eadem Rubrica addit quod minister in casu non osculatur manum Celebrantis ; unde autumant quidam auctores osculum hoc ampullæ præscribi, non ratione reverentiæ erga Celebrantem, quia tunc, juxta regulam generalem, manus osculum adjungi deberet osculo rei quæ porrigitur, sed ratione mysterii, et quasi ad ritum pertinere.

De osculo ampullæ aquæ nihil dicit Rubrica, sed plerique auctores dicunt quod ipsam quoque osculari debet minister.

In Missis coram SS. Sacramento celebratis, admisso quod hoc osculum non jam sit actus mere reverentialis, sed quasi ad ritum pertinens, sequitur non esse a ministro omittendum.

In Missis de *Requiem*, data regula generali Rubricæ (Ritus celebrandi Missam, Tit. XIII, n. 3) de omittendis osculis, dicendum est osculum ampullarum a ministro Missæ privatæ esse omittendum.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XI, 1897, pag. 603 et sqq.)

10. Ad credentiam minister deponit ampullas vini et aquæ ; accipit manu sinistra pelviculam, deponit super brachium sinistrum manutergium, et dextera assumit ampullam aquæ ; revertitur ad Altare a parte Epistolæ, et cum Celebrans accedit ad cornu, minister inclinat caput et ascendit ad gradum suppedaneo propiorem ; supponit pelviculam manibus Celebrantis, et dextera effundit aquam super extremitates utriusque pollicis et indicis Celebrantis ; remanet deinde ibi usque dum Celebrans reposuerit manutergium super brachium, descendit, in plano iterat inclinationem Celebranti, et revertitur ad credentiam, ubi deponit pelviculam, ampullam aquæ juxta ampullam vini, sed neutram super pelviculam, et manutergium quod complicat.

Quando SS. Sacramentum est expositum, Celebrans pro lotione manuum descendit de suppedaneo Altaris ad planum in parte Epistolæ, ubi conversus ad populum manus lavat ; ideo minister, remanens in plano, sistit ante Celebrantem pro lotione ; sed in accessu ad hunc locum, et ante recessum ad credentiam genu dextrum flectit versus SS. Sacramentum.

11. Redit minister ad locum suum ad anteriorem partem Epistolæ, ibique ut antea genuflectit. Cum Celebrans dixit : *Orate fratres* ..... *omnipotentem*, minister respondet : *Suscipiat Dominus etc.* Cum Celebrans dicit ad Præfationem versum : *Gratias agamus etc.*, minister inclinat caput profunde ad verba *Deo nostro.* Ad Trisagion *Sanctus* campanulam pulsat ter, non continuate, sed duobus ictibus pro singula ex tribus vicibus, et deposita campanula, ad *Benedictus* simul cum Celebrante Cruce se signat a fronte ad pectus. — Sub finem commemorationis pro vivis, assurgit, et accendit, si habetur, cereum Elevationis positum prope Altare a parte Epistolæ ; redit ad locum suum ubi genua flectit.

Nota. Cum in his regionibus fideles signo campanulæ præmoneantur de instanti Consecrationis momento, minister campanulam pulsat aliquot ictibus, quando Celebrans incipit Orationem *Quam oblationem, etc.* Rubricæ hoc quidem non præscribunt, et fit præter Rubricas, ex consuetudine plurium sæculorum ; ratio autem congruens satis videtur, adeo ut Ephemeri-

des Liturgicæ confiteantur non posse talem consuetudinem damnari. (IX, 1895, pag. 626.)

12. Immediate ante Consecrationem, minister accedit ad medium, secum afferens campanulam dextera, posita sinistra contra pectus, genuflectit in plano et ascendit ad gradum superiorem suppedaneo proximum, ibi genua flectit paulum post dexteram Celebrantis ; cum Celebrans profert verba Consecrationis, minister sinistra accipit extremitatem posteriorem planetæ eamque paulum sublevat, profunde se inclinat, et dextera pulsat campanulam ter duplici ictu, primo cum Celebrans genuflectit, secundo cum elevat S. Hostiam, tertio cum iterum genuflectit. Peracta Elevatione S. Hostiæ, minister demittit planetam, et remanet profunde inclinatus. Eadem observat ad Elevationem Calicis.

13. Post Elevationem Calicis minister assurgit, et per sinistram suam conversus descendit de Altari, ubi ante medium unum genu flectit in plano, et redit ad pristinum locum suum, genuflexus remanens usque ad Communionem. Cum Celebrans dicit: *Nobis quoque peccatoribus,* minister non tenetur dextera percutere pectus suum.

Nota. Consuetudo quoque in his locis est, ut campanula pulsetur paulo ante *Pater noster ;* cujus motivum esse dicunt Elevationem S. Hostiæ et Calicis quæ fit a Sacerdote cum dicit verba : *omnis honor et gloria ;* hæc enim Elevatio antiquitus unica erat quæ locum habebat in Sacrificio, uti exponitur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii (Q. 242, Nota). De hac campanulæ pulsatione idem dici potest quod supra dictum fuit de illa quæ fit ante Consecrationem (n. 11, Nota). Proinde, si campanula pulsatur, pulsanda est ad hanc Elevationem ; non autem ad præcedentia signa cum S. Hostia facta, ubi nulla ratio pulsandi existit.

14. Ad *Agnus Dei*, minister caput inclinat, et, posita sinistra infra pectus, dextera ter pectus percutit cum Sacerdos dicit : *miserere nobis, dona nobis pacem.* In Missis de Requiem pectus non percutitur.

15. Generalis quasi extra Italiam consuetudo, quam tolerari posse dicunt auctores, est, ut ad *Domine non sum dignus* ter pulsetur campanula ; interea minister erit aliquantum inclinatus, sicuti etiam cum Celebrans S. Hostiam sumit. Non debet minister pectus sibi percutere ad *Domine non sum dignus.*

16. Quando Celebrans colligit fragmenta, minister assurgit, et statim accedens ad credentiam assumit dextera ampullam vini, sinistra ampullam aquæ, quas tenet ex parte ansæ ; accedit ad latus Epistolæ, in plano dextrum genu flectit, et ascendit ad gradum superiorem prope suppedaneum, ubi paulum se

inclinat cum Sacerdos sumit S. Sanguinem. Tunc ascendit super suppedaneum ad dexteram Celebrantis, et caute infundit vinum in Calicem a Celebrante porrectum, usque dum hic signum dederit cessandi ; et cum dein Celebrans ad ipsum aliquantum conversus præsentat Calicem pro ablutione digitorum, minister caute effundit super digitos Celebrantis parum vini dextera, dein sinistra plus aquæ, usque dum Celebrans signum cessandi dederit ; quo facto, per dexteram suam descendit de Altari ; in plano per sinistram convertit se ad Celebrantem, caput inclinat, et revertitur ad credentiam, ubi deponit ampullas.

Nota. I. In Missa celebrata coram SS. Sacramento exposito, minister post descensionem de Altari, in plano per sinistram convertit se ad Altare, et loco inclinationis capitis genu dextrum flectit versus SS. Sacramentum, et dein revertitur ad credentiam. (Decret. S. Rituum Congregationis, 14 Januarii 1898, n. 3975, ad I, 2.)

Nota. II. In præsenti ampullarum delatione non debet minister, antequam vinum et aquam effundat, easdem ampullas deosculari : etenim non præsentat ipsas Celebranti, sicut ad Offertorium. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XI, 1897, pag. 609, ad 4.)

17. Si Communio fidelibus sit distribuenda, minister, interea dum Celebrans colligit fragmenta, accedit ad latus Epistolæ, ubi genua flectit super infimum gradum, et profunde inclinatus dicit *Confiteor ;* remanet profunde inclinatus dum Sacerdos dixerit *Misereatur, etc.,* dein capite erecto, Cruce se signat ad verba *Indulgentiam, etc.* Distributa Communione, cum Sacerdos ad Altare reversus est et Tabernaculum clausit, minister accedit ad credentiam, et reversus ad Altare caput tantum inclinat antequam ascendit, non vero genuflectit.

Nota. Si forte ipse minister communicat inter Missæ Sacrificium, declaravit S. Rituum Congregatio tunc ipsi Communionem prius administrandam esse quam aliis,quamvis dignioribus, non ratione præeminentiæ, sed ratione ministerii. (Decret. 13 Julii 1658, n. 1074, antiq. 1907.) — In casu, postquam respondit *Amen* post *Indulgentiam, etc.,* ascendit minister de latere ad supremum Altaris gradum, ante Altare, non in medio, sed aliquantum versus latus Epistolæ, et ibi in ora suppedanei genua flectit ; percutit ter pectus ad *Domine non sum dignus,* quia ipse communicat ; dein accipit Communionem. — Debet minister pro Communione mento supponere linteum, vel aliquam tabellam ex metallo, vel panniculum ad instar magnæ pallæ ; abusus est accipere extremitatem casulæ, vel stolæ Sacerdotis. Linteum, vel panniculum, vel tabellam sumit minister e cre-

dentia, antequam ad Altare ascendat, et reponet postquam communicaverit. — Si mensa Communionis prope Altare est posita, et facilis sit accessus, potest etiam minister ad hanc mensam accedere, et ibi primus communicare.

18. Postquam ampullas super credentiam deposuit, minister transfert librum Missalem ad cornu Epistolæ; ideo de credentia transiens ante medium Altaris genuflectit in plano, accedit ad partem Evangelii, ascendit a latere, et ambabus manibus accipit legile cum Missali; descendit de Altari, se vertit per suam dexteram, et per planum tendit ad cornu Epistolæ, genuflectens cum transit per medium; ascendit ad cornu Epistolæ, et ibi collocat Missale ut erat dispositum ad Introitum; ipsi autem non licet pro commoditate Sacerdotis folia Missalis vertere, et quærere Antiphonam Communionis (Decret. S. Rituum Congregationis, 11 Maji 1878, n. 3448, ad 14, antiq. 5728, ad 20); si velum Calicis esset positum retro post legile Missalis, potest minister pro commoditate Sacerdotis illud propius juxta Corporale reponere; tunc descendit de suppedaneo ad latus Epistolæ, et cereum quem pro Elevatione forte accenderat. extinguit; deinde transit ad latus Evangelii, genuflectens in plano cum transit ante medium Altaris, et genua flectit in infimo gradu ante Altare a parte Evangelii.

19. Ad Orationes post Communionem observat minister capitis inclinationes præscriptas ad Orationes ante Epistolam (n.6).

20. Si ultimum Evangelium legendum erit e Missali, statim ac post *Ite Missa est* respondit *Deo gratias*, minister defert Missale a cornu Epistolæ ad cornu Evangelii, observans ea quæ superius pro translatione Missalis præscripta sunt, sed accelerabit gradum aliquantulum, ut tempestive ante Benedictionem Missale jam sit depositum. Missale deponit super Altare eodem modo qui pro primo Evangelio descriptus fuit (n. 7).

21. Cum Sacerdos dat Benedictionem, minister genua flectit in infimo gradu ante medium Altaris, et inclinatus Cruce se signat a fronte ad pectus.

22. Post Benedictionem minister assurgit, et stat ad latus Epistolæ ante Altare, et respondet Celebranti; se signat pollice in fronte, ore et pectore, sicut Celebrans; ad verba *Et verbum caro factum est*, unum genu in plano flectit. Postquam respondit *Deo gratias*, minister e credentia assumit librum aut chartam in qua preces post Missam dicendæ sunt descriptæ, et genuflexus ad latus dextrum Celebrantis ei præsentat dextera librum aut chartam; et respondet Celebranti.

23. Quando Celebrans, dictis precibus, ascendit ad Altare ut assumat Calicem, minister accedit a latere ad Altare, assumit Missale super brachium sinistrum, accedit ante infimum

gradum ad dexteram Celebrantis, assumit dextera biretum, genuflectit in plano eodem tempore quo Celebrans reverentiam ad Altare facit, ac genuflexione facta, et non prius, dextera præbet Celebranti biretum ; deinde procedit ad sacristiam eodem modo quo e sacristia ad Altare venit.

Nota. I. Preces a Leone XIII præscriptæ post quamcumque Missam privatam dici debent immediate post ultimum Evangelium, et numquam licet aliam functionem quamcumque, ex. gr., distributionem S. Communionis, Benedictionem SS. Sacramenti, etc., aut alias preces quascumque interponere ultimum Evangelium inter et preces prædictas.

Nota. II. Si SS. Sacramentum manet expositum ad Altare, minister ante discessum genu utrumque flectit in plano cum capitis inclinatione, et biretum Celebranti tradit tantum quando est extra conspectum SS. Sacramenti.

Nota. III. Si sacristiæ janua habetur retro post Altare, regrediendum est ad sacristiam per partem Epistolæ, ut dictum fuit supra in nota ad n. 3.

Nota. IV. Dum progreditur per Ecclesiam, minister omnia observabit quæ supra n. 3 fuerunt præscripta.

24. In sacristia simul cum Celebrante profundam capitis inclinationem facit ad Crucem vel imaginem, deponit Missale, et, ubi mos est, genuflexus ad sinistram Celebrantis Benedictionem ab ipso accipit. Deinde potest adjuvare Sacerdotem in deponendis paramentis. Tandem ad Altare cereos extinguit, et ad credentiam omnia disponit, aufert et ad sacristiam refert.

CAPUT IX

OFFICIUM ACOLYTHORUM IN MISSA CANTATA

(17) – Acolythi duo si inserviant Missæ cantatæ, eadem exsequuntur quæ pro ministro in Missa privata exposita fuerunt ; sequentia tamen animadvertent :

1. Ex sacristia bini ante Celebrantem manibus junctis (nisi primus Missale deferat) procedunt, et ante Altare alteruter aliquantum a gradibus discedit, ut Celebranti aditum præbeat.

2. Initio Missæ ante gradus ab utroque latere Celebrantis paulum retro Celebrantem genua flectunt ; cum ascendit Celebrans, in infimo gradu ab utraque parte ante Altaris cornua genuflectunt.

3. Cum Celebrans ad *Gloria in excelsis,* vel *Credo* sedet, post recitationem duo acolythi ante Altaris medium conveniunt. genu dextrum flectunt simul in plano, accedunt ad scamnum,

primus ad dexteram Celebrantis præbet ipsi biretum, alter a sinistris sustollit casulam, et stant retro post Celebrantem ; in fine, primus accipit biretum, et ambo revertuntur ad Altare a lateribus Celebrantis, genu dextrum flectunt in plano, dein genuflectunt in infimo gradu, ante Altaris cornua.

4. Secundus acolythus Missale transfert ad cornu Evangelii.

5. Ad Offertorium, primus acolythus ampullas vini et aquæ ministrat ; cum revertitur iste ad credentiam, accedit et alter, qui manutergium Celebranti porriget, postquam primus ad *Lavabo* aquam ministraverit ; deinde ad credentiam revertuntur, et ambo ante Altaris medium accedentes genu dextrum flectunt in plano, et mox ad sua loca genuflectunt.

6. Ad Elevationem, facta in plano genuflexione ante Altaris medium, in ora suppedanei genuflectunt, et infra Elevationem casulam elevant, secundus dextera sua, posita sinistra contra pectus, primus sinistra, dum simul dextera campanulam pulsat.

Postea cum solita genuflexione ad loca sua redeunt.

7. Post sumptionem sacræ Hostiæ, primus acolythus ministrat Celebranti ad purificationem et ablutionem, secundus vero transfert Missale ad cornu Epistolæ.

8. Ad Benedictionem, ambo genua flectunt in infimo gradu ante medium Altaris.

SERIES II INSTRUCTIONUM

DE OFFICIO CÆREMONIARII

IN SACRIS FUNCTIONIBUS

PRÆNOTANDA

(18) — *Omnia honeste et secundum ordinem fiant.* (I Corinth. XIV, 40.)

Ad Cæremoniarum Magistrum pertinet omnia novisse et perspecta habere, quæcumque in singulis functionibus peragenda sunt : oportet ideo, ut ante Officia omnia penitus prævideat et circumspiciat, omniumque munera secum animo perpendat.

1. Ante Officia, Cæremoniarius diligenter inspicere debet in sacristia, ad Altare, ad credentiam, etc., an sint suo quæque loco præparata et congrue disposita. Speciatim ante solemne Sacrificium perquirit in Missali Missam, orationes, præfationem, etc., et signacula ordinat ; item in libro Epistolarum et Evangeliorum.

2. Cæremoniarius suas functiones peragens induitur superpelliceo ; biretum non assumit.

3. Reverentiam Cruci Altaris facit genuflectendo, et quidem in plano.

4. Cum aliquem monet de functione facienda, id significat caput inclinando ; item si aliquid sit indicandum, ministrandum, aut offerendum, caput inclinat ante et post. Hæc et cætera omnia faciat « modeste et discrete, submissa voce, ac solo nutu, si fieri possit, quæcumque agenda sint demonstrans. » (Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. V, n. 2.)

Aliquem comitans, ad ejus sinistram incedit, aut, si loci angustia obstat, ipsum præcedit. Cum pervenit ad locum, ad quem accedendum est, ipsum ante se transire sinit, et se sistit paulo post eum a sinistris.

5. Manus regulariter junctas tenet ante pectus. Infra aliquas Missæ partes tamen, ex. gr., infra cantum hymni *Gloria in excelsis,* Symboli, si non placet manus jungere, potest eas pectori decenter admotas tenere, nempe dexteram ponendo super sinistram.

6. Locus determinatus infra Missam, aut alias functiones Cæremoniario a Rubricis non assignatur, cum officium suum

sit, omnia ordinare et disponere ; unde modo unum, modo alium locum occupat, prout opportunum judicat, ut quæcumque ad sacras pertinent cæremonias, rite et recte peragantur. (Cfr. Adnotationes super Decreto S. Rituum Congregationis, 4 Junii 1817, n. 2578, antiq. 4536. ad 2 ; Vol. IV, pag. 159.)

Generatim, cum specialis functio eum alibi non occupat, stat, vel prope credentiam cum ministris inferioribus (quod servatur in sacello Seminarii) ; vel a parte Epistolæ in plano, versa facie ad Altare, ita ut Celebrantem et omnes Ministros possit dirigere et monere (quod servari potest in Ecclesiis, in quibus munera acolythorum a pueris peraguntur). Stare a tergo Celebrantis, Diaconi et Subdiaconi, videtur locus minus aptus ad eos dirigendos in functionibus sacris.

7. Caveat Cæremoniarius « ne in suis actibus affectationis vitio notetur ; sed quidquid agat, cum gravitate, et congruenti mora, ac cum decoro corporis gestu, ita peragere curabit, ut cæteris devotionem, et reverentiam pariat, ipseque ab omnibus commendari mereatur. » (Cæremoniale Episcoporum, loco citato, n. 3.)

8. Quia Cæremoniarius debet omnes cujusque sacræ functionis ritus novisse, perspectosque habere ac moderari, singulorumque ministrorum munera perpendere ; nam, ut dicit Cæremoniale Episcoporum (loco cit., n. 2), « si quid erroris accidat, aut incaute fiat, ipsi uni Cæremoniario imputari solet » ; omnes ejus actiones, quas quamplurimas esse nemo non videt, in diversis functionibus exponere, longius et ad ultima cujusque functionis repetenda abduceret ; ideo abstinent plerique auctores ab eis in particulari enumerandis. Nihilominus opportunum visum fuit, ad utilitatem alumnorum qui his in rebus exercitatione tirones sunt, quasdam muneris, quod in sacello Seminarii aut in aliis Ecclesiis exsequuntur, partes describere, unde perspectum habeant, quomodo in his aliisque functionibus singula singulosque moderari valeant ac dirigere.

CAPUT I

DE OFFICIO CÆREMONIARII AD ASPERSIONEM AQUÆ BENEDICTÆ, DIEBUS DOMINICIS

(19) — 1. Omnibus paratis, Cæremoniarius dat signum exeundi e sacristia (ex. gr., dicendo : Procedamus), et una cum omnibus caput profunde inclinat Cruci sacristiæ : præcedit Celebrantem, Diaconum et Subdiaconum.

2. Ante Altare, se sistit ad dexteram Diaconi, accipit bireta Celebrantis et Diaconi, quæ statim deponit in unum ex gradibus Altaris, et genuflectit.

3. Mox assumit e credentia librum, in quo habentur preces pro Aspersione aquæ benedictæ, eumque tenet sinistra; dextera accipit e manu Acolythi (Thuriferarii) aspersorium, illudque statim tradit Diacono; dein similiter præbet Diacono librum apertum. Genuflectit ad dexteram Diaconi in plano, et postquam Celebrans intonavit Antiphonam, accipit e manu Diaconi librum, eumque deponit super gradum Altaris.

4. Cum Celebrans Ministros aspersit, Cæremoniarius surgit, genuflectit Cruci Altaris una cum Ministris, illosque et Celebrantem ducit ad Chorum, 1° a parte Evangelii (in qua parte supponitur adesse dignior de Choro), 2° a parte Epistolæ, genuflectens cum transit ante Crucem. Incedit ad sinistram Subdiaconi, paulum præcedens eum, et singulos qui asperguntur salutat, caput inclinando ante et post aspersionem. Post Chorum asperguntur Acolythi, quibus ipse se adjungit prope credentiam; caput inclinat ante, dein Cruce se signat, et iterum caput inclinat. Aspergitur tandem populus ad Chori ingressum. In regressu ad Altare, a sinistra Subdiaconi accedit ad dexteram Diaconi, genuflectit et Diacono statim tradit librum. Dum Celebrans cantat Versiculos et Orationem, assumit bireta Celebrantis et Ministrorum, eaque suis locis deponit super scamnum; deinde iterum accedit ad dexteram Diaconi.

5. Finita Oratione, accipit e manu Diaconi librum, et invitat Celebrantem et Ministros ut accedant ad scamnum; librum deponit super credentiam; adjuvat Celebrantem dum exuit pluviale et assumit manipulum et planetam; Ministros invitat ut assumant manipulum.

6. Ducit Celebrantem et Ministros ad Altare; accedit ad dexteram Diaconi, et una cum Ministris genuflectit.

CAPUT II

DE OFFICIO CÆREMONIARII IN MISSA SOLEMNI

(20) — 1. In egressu e sacristia, Cæremoniarius servat quæ supra Cap. I, (19), n. 1, dicta sunt. Ante Altare sistit ad dexteram Diaconi, accipit e manu Diaconi bireta Celebrantis et Diaconi, et una cum Ministris genuflectit, sed in plano; bireta mox deponit suis locis ad scamnum; dein accedit ad Subdiaconum, itemque ejus biretum accipit e gradu Altaris, et suo loco ad

scamnum deponit ; genuflectit quoties transit ante medium Altaris. Mox accedit ad credentiam, et genuflexus ad dexteram Thuriferarii, cum eo incipit et dicit Preces et Confessionem ; ita fit in sacello Seminarii ; in Ecclesiis vero sistit ad dexteram Diaconi ibique genuflexus cum Ministris submissa voce Celebranti respondet. Ad has preces se signat, se inclinat, et pectus percutit, uti describitur Ser. I, Cap. II, (5), n. 6.

2. Finita Confessione, cum Celebrans ascendit ad Altare, Cæremoniarius assurgit ; et quando Celebrans, in thurificatione Altaris incensat cornu Evangelii. Cæremoniarius e credentia accipit Missale, illudque deponit super Altare ad cornu Epistolæ. Si vero Missale ab initio depositum esset super Altare, Cæremoniarius, finita Confessione, ascendit ad Altare a parte Epistolæ, et cum Celebrans incensat Crucem, accipit Missale, et cum eo descendit ad planum in parte Epistolæ ; cum vero Celebrans thurificat cornu Evangelii, Missale reponit super Altare ut supra.

Deposito Missali, Cæremoniarius statim descendit ad planum in parte Epistolæ, et ibi, versa facie ad Altaris medium, exspectat Diaconum. Cum Diaconus thurificat Celebrantem, Cæremoniarius stat ad ejus dexteram, et una cum eo caput Celebranti inclinat ante et post.

3. Remanet in eodem loco, dum Celebrans legit Introitum, et ad ejus initium Cruce se signat : caput inclinat versus Crucem ad *Gloria Patri,* et una cum Ministris respondet Celebranti ad *Kyrie eleison.*

4. Cum Celebrans intonat hymnum *Gloria*, ad verbum *Deo* Cæremoniarius caput profunde Cruci inclinat, et mox invitat Diaconum et Subdiaconum ut ascendant ad Celebrantem. Submissa voce recitat hymnum *Gloria*, et profunde caput Cruci inclinat, quoties illud faciunt Celebrans et Ministri, scilicet, cum dicit : *Adoramus te ; Gratias agimus tibi ; Jesu Christe ; Suscipe deprecationem nostram ;* et iterum *Jesu Christe.* Cum dicit in fine ỹ. *Cum sancto Spiritu, etc.*, Cruce se signat.

Deinde invitat Celebrantem et Ministros, ut per breviorem viam, scilicet per gradus laterales Altaris a parte Epistolæ, descendant ad scamnum.

Planetam Celebrantis elevat cum iste assidet. Dum cantatur hymnus, Cæremoniarius ipse sedere potest, non tamen in eodem scamno ; sed melius erit si stabit prope credentiam cum Acolythis, vel ad dexteram Diaconi, versa facie ad populum.

Cum cantantur verba supradicta : *Adoramus, etc.*, invitat Celebrantem et Ministros ut caput detegant, et ipse caput profunde inclinat, non tamen convertit se versus Altaris Crucem.

Ad ℣. *Cum sancto Spiritu*, accedit prope scamnum, et invitat Celebrantem et Ministros ut assurgant, ipsosque præcedit de scamno ad partem anteriorem Altaris ante gradus ; ipse subsistit a parte Epistolæ, aliquantum a gradibus Altaris, ut Subdiaconus, Celebrans et Diaconus possint commode ante eum transire, et ad dexteram Diaconi una cum Ministris genuflectit, sed in plano.

5. Accedit per planum ad latus Epistolæ ; et cum Celebrans, dicto *Dominus vobiscum*, accedit ad Missale, Cæremoniarius ascendit prope Celebrantis dexteram, et dextra manu indicat Orationes. Cum aliquid indicat manu in libro, id facit manu totaliter expansa, parte exteriori manus ad librum admota.

Una cum Celebrante omnes capitis inclinationes, quotiescumque faciendæ occurrunt, facit versus Crucem, vel versus librum, scilicet : 1° profundam versus Crucem, ad *Oremus*, et ad nomen *Jesu* ; 2° mediocrem ad nomen *B. Mariæ V.* ; 3° minimam ad nomen Sanctorum de quibus dicitur Missa, vel fit Commemoratio specialis ; item in Oratione pro Papa, quando nominatur.

Si plures Orationes sunt dicendæ, Cæremoniarius folia vertit finita totaliter unaquaque Oratione : advertere debet ut signacula ad diversas Orationes bene disposita retineat, ne postea ad Secretas aut Postcommuniones indicandas difficultas, aut error, aut interruptio habeatur ; si necesse est, transit de uno latere Celebrantis ad aliud, quin reverentiam aliquam faciat.

6. Incepta ultima Oratione, descendit ad planum a parte Epistolæ, et conversus ad Diaconum, invitat eum, ut ad Celebrantem ascendat. Ipse accedit ad credentiam, accipit librum Epistolarum ambabus manibus, tenens eum clausum cum apertura versus dexteram suam, et ita ut Subdiaconus librum possit ad inferiores angulos et cum apertura versus sinistram accipere ; accedit ad dexteram Subdiaconi in parte Epistolæ ante gradum inferiorem consistentis, et præmissa inclinatione librum ei tradit, et caput iterum ei inclinat. Cum proferuntur verba conclusionis *in unitate, etc.*, Cæremoniarius transit ad sinistram Subdiaconi, illumque ducit ad medium ante Altare, genuflectit in plano, et Subdiaconum reducit ad locum ubi Epistolam erit lecturus, scilicet ad partem Epistolæ contra Altare ; ibi stat ad ejus dexteram et responso *Amen* ad Orationem, indicat manu dextra Epistolam.

7. Epistola cantata, respondet : *Deo gratias*, et rursum transiens ad Subdiaconi sinistram, ducit eum ante medium Altaris ut supra, et, facta ibi genuflexione in plano, ducit eum ad Celebrantem, per planum tendens ad partem Epistolæ, et incedens ad Subdiaconi dexteram. Dum Subdiaconus accipit benedictio-

nem a Celebrante, Cæremoniarius accedit ad Subdiaconi sinistram, ab eo accipit librum, et statim ad planum recedit, aliquantum ab ultimo gradu a parte Epistolæ.

8. Cum Celebrans incipit legere Evangelium, Cæremoniarius invitat Diaconum ut accedat ad planum et recipiat librum Evangeliorum ; ei librum tradit eodem modo quo supra Subdiacono. Diaconus solus pergit per planum ante Altaris medium ; Cæremoniarius vero accedit ad credentiam prope Acolythos (vel in Ecclesiis remanet ad partem Epistolæ).

Nota. Plures auctores, quos inter Bauldry, Gavantus, Merati, Aloysius a Carpo, etc., dicunt Cæremoniarium comitem dari Ministris solummodo quando aliquid debent cantare, aut quando exeunt de presbyterio ; et proinde hic non comitari Diaconum librum ad Altare deferentem. Contra tenent Ephemerides Liturgicæ Romanæ (VII, 1893, pag. 102), quod Cæremoniarius rite et licite valet Diaconum in casu conducere ad Altare ; tum ex dispositione Cæremonialis Episcoporum (Lib. I, Cap. V, n. 6), ubi, agens de regulis a Cæremoniario generatim servandis, sine exceptione officium Cæremoniarii esse dicit « ad Altare ducere, et reducere Diaconum, et Subdiaconum, aliosque omnes, tam majores, quam minores ministros » ; tum quia hæc est praxis Ecclesiarum Urbis observantiorum sacrorum rituum. Notandum tamen est, Cæremoniale Episcoporum passim indicare, quando speciatim in diversis sacris functionibus Cæremoniarius ducat ministros, ad hanc tamen Missæ partem nullum de comite Cæremoniario verbum habere (Lib. I, Cap. IX, n. 2 ; Lib. II, Cap. VIII, n. 42) ; quoad praxim Ecclesiarum Urbis, aliud præter Ephemeridum testimonium afferre placuisset, sed, quos scrutari datum fuit, auctores Romani, quos inter notissimi Baldeschi et Martinucci, non indicant Cæremoniarii in præsenti casu officium esse Diaconum ad Altare deducere.

Cæterum nemo negabit quod, si Cæremoniarius viderit aliquando Diaconum adeo turbatum, ut iste errabundus cum suo libro absque decore et dignitate officium perageret, rite ipse talem ducere poterit et quidem debebit, ut omnia digne ac decore fiant, et omnis error vitetur.

9. Dum Celebrans incensum imponit, Cæremoniarius monet Acolythos ut assumant candelabra, et regresso ad credentiam Thuriferario, ipse cum Thuriferario et Acolythis simul accedit ad planum ante medium Altaris. Cum Diaconus ad planum descendit, facta ab omnibus genuflexione in fine cantus Gradualis, etc., Cæremoniarius præcedit omnes ad locum ubi solet Evangelium decantari. Ordo vero procedendi ad Evangelium cantandum est sequens : præcedit Cæremoniarius, subsequitur

Thuriferarius, sequuntur duo Acolythi cum candelabris, dein Subdiaconus, et Diaconus.

Locus ubi solet Evangelium decantari est in aliqua distantia ab Altaris gradibus, et in eadem linea ac infimus gradus a parte Evangelii ; ibi Cæremoniarius subsistit, et ministris locum cedit ut transeant.

Ordo standi infra cantum Evangelii sequens est: Subdiaconus stat medius inter duos Ceroferarios, una cum eis vertens renes, non quidem Altari, sed versus ipsam partem dextram, quæ pro aquilone figuratur (Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. VIII, n. 44) : Diaconus stat versa facie ad librum quem tenet Subdiaconus ; Cæremoniarius sistit ad dexteram Diaconi, versa facie ad librum, Thuriferarius stat parum retro post Diaconum a dextris ejus, item versa facie ad librum Evangeliorum.

Cæremoniarius Evangelium indicat, se signat in fronte, ore et pectore, et cum necesse est, folia vertit ; caput inclinat versus librum, vel profunde ad nomen *Jesu,* vel mediocriter ad nomen *Mariæ.* vel inclinatione minima ad nomen Sancti de quo celebratur festum ; si sit genuflectendum, genu dextrum in terram ponit remanens conversus ad librum.

10. Cantato Evangelio, respondet : *Laus tibi Christe*, et a sinistris Diaconi revertitur ad Altare, ante ultimum gradum. Genuflectit et mox accedit ad Subdiaconum, a quo in plano stans accipit librum, quem defert ad credentiam.

11. Accedit ad planum in parte Epistolæ, et cum Celebrans intonat *Credo*, Cæremoniarius ad verbum *Deum,* caput profunde inclinat Cruci Altaris, et mox invitat Diaconum et Subdiaconum ut ascendant ad Celebrantem. Submissa voce recitat Symbolum, simul cum Ministris caput inclinat Cruci cum dicit : *Jesum Christum ;* genuflectit uno genu dum dicit ℣. *Et incarnatus est.... et homo factus est* ; caput inclinat Cruci cum dicit : *simul adoratur,* et cum in fine dicit ℣. *Et vitam venturi sæculi. Amen,* Cruce se signat.

Deinde invitat Celebrantem et Ministros, ut per breviorem viam descendant ad scamnum, Planetam Celebrantis elevat cum iste assidet, ipse vero sedet, vel stat, sive ad credentiam, sive ad dexteram Diaconi, ut supra ad cantum hymni *Gloria.*

Cum cantantur verba supradicta *Jesum Christum*, et *simul adoratur*, invitat Celebrantem et Ministros ut caput detegant, et ipse caput profunde inclinat, non tamen versus Crucem Altaris.

Cum cantatur ℣. *Et incarnatus est,* ad idem invitat Celebrantem et Ministros ; ipse autem, si sedet, caput profunde inclinat, si vero stat infra cantum Symboli, utroque genu genuflectit et caput inclinat.

Ad verbum *Crucifixus*, surgit, et invitat Diaconum ut accedat ad credentiam via breviori : ipsum eo ducit, bursam calicis ab Acolytho accipit, et Diacono tradit ambabus manibus ipsam præbet clausam, et ita ut pars qua aperitur ipsum Diaconum respiciat ; Diaconum non comitatur ad Altare. sed, tradita ei bursa, ad locum suum revertitur.

Nota. Ad quæstionem an Cæremoniarius hic in casu valeat ducere Diaconum etiam ad Altare cum bursa procedentem vide Notam ad n. 8 hujus Capitis. His quæ ibi referuntur, addere liceat, Cæremoniale Episcoporum in præsenti casu expresse dicere quod Diaconus bursam « portat ad Altare, incedens **solus, gravi et decoro incessu** » (Lib. I, Cap. IX, n. 3).

Ad ℣. *Et vitam venturi*, accedit ad scamnum, et invitat Celebrantem et Ministros ut assurgant, illosque præcedit a scamno ad partem anteriorem Altaris ante gradus : ipse subsistit a parte Epistolæ, aliquantum a gradibus Altaris, ut Subdiaconus, Celebrans et Diaconus possint commode ante eum transire, et ad dexteram Diaconi una cum Ministris genuflectit ; dein accedit ad credentiam.

12. Monet Acolythum 2, ut velum humerale præparet et super humeros Subdiaconi ponat ; ipse vero mox amovet a calice velum ; et cum Celebrans cantavit *Oremus*. invitat Subdiaconum ut ad credentiam accedat ; qui cum accessit, posito ab Acolytho super humeros Subdiaconi velo humerali, Cæremoniarius illud ab anteriori parte adaptat, ita ut longius pendeat a parte dextra ; deinde cum Subdiaconus calicem accepit, Cæremoniarius solam extremitatem veli longiorem, quæ ad dexteram pendet, non vero alteram, pallæ calicis imponit, eaque calicem totaliter contegit.

13. Non comitatur Subdiaconum. sed remanet prope credentiam usque ad incensationem. Cum Celebrans incensat oblata, Cæremoniarius accedit ad Altare a parte Evangelii, genuflectens in plano cum transit ante medium, et ascendit per gradus laterales : et cum Celebrans incipit incensare Altare, accipit Missale, et descendit ad planum a parte Evangelii ; quando Celebrans incensavit cornu Evangelii et recessit ab eo cornu, Cæremoniarius ascendit, et deponit Missale prope corporale, ita conversum, ut Celebrans, in medio Altaris stans, commode ex eo possit legere ; et descendit ad planum in parte Evangelii, ubi subsistit facie ad medium Altaris conversa.

14. Cum Celebrans dicit : *Orate fratres*, Cæremoniarius respondet, et ascendit ad suppedaneum prope Missale, et indicat Celebranti secretas Orationes et Præfationem, folia vertens quoties necesse erit. Caput inclinat quoties id facit Celebrans.

Cum Thuriferarius accedit ut Cæremoniarium thurificet (thu-

rificatur ordinarie post Diaconum), Cæremoniarius versus eum se convertit, et caput inclinat ante et post ductum. Si eo momento Celebrans legeret Secretas, juvat exspectare thurificationem, usque dum Præfationis initium fuerit indicatum, ne Celebrans debeat moram facere inter Orationes, aut ipsemet folia vertere.

15. Versus finem Præfationis, Cæremoniarius ad Diaconum conversus, eum invitat ut ad Celebrantem accedat ; descendit ad planum versus partem Evangelii, et tendit ad credentiam, genuflectens in plano cum transit ante medium Altaris ; ad credentiam, recitat cum Thuriferario aut cum Acolythis trisagion *Sanctus ;* ad verba *Benedictus qui venit, etc.*, Cruce se signat. Deinde accipit a Thuriferario naviculam, imponit thus in thuribulum, et genua flectit.

In Ecclesiis vero, circa finem Præfationis accedit ad partem Epistolæ, genuflectens in plano cum transit ante medium, ibique, dicto *Sanctus,* genua flectit in plano, conversus ad medium Altaris.

16. Cum elevatur SS. Sacramentum, caput profunde inclinat. Finita Elevatione surgit.

17. Dicto a Celebrante : *Nobis quoque peccatoribus,* tendit ad partem Evangelii, genuflectens uno genu in plano cum transit ante medium, et prope gradus laterales subsistit. Cum Diaconus de sinistra Celebrantis ad dexteram transit, Cæremoniarius ascendit ad suppedaneum prope Missale, et una cum Celebrante et Diacono (amota a calice palla) genuflectit ; Celebranti assistit, indicans quæ dicenda sunt, folium vertens, genuflectens quoties illud facit Celebrans.

18. Infra Orationem Dominicam ad ℣. *Et dimitte nobis,* Cæremoniarius convertit se ad Ministros, eosque invitat ut ad Celebrantis dexteram accedant.

19. Ad ℣. *Pax Domini,* Cæremoniarius convertit se ad Subdiaconum, eumque invitat ut ad Celebrantis sinistram ascendat ; ipse vero genuflectit, et descendit per gradus laterales a parte Evangelii, et accedit ad credentiam, genuflectens uno genu in plano cum transit ante medium. Dicit cum Acolythis ter : *Agnus Dei, etc.,* capite inclinato, et ter manu dextra extensa percutiens sibi pectus cum dicit *miserere nobis,* et *dona nobis pacem.* (Cfr. Regulæ generales, (2), VI.)

In Ecclesiis, cum descendit de Altari, subsistit in plano ad partem Evangelii, ibique dicit *Agnus Dei ;* dein simul cum Subdiacono, sed per planum, accedit ad planum ante gradus, ibique subsistit ad sinistram Subdiaconi.

20. Dicto ad credentiam *Agnus Dei,* Cæremoniarius accedit ad sinistram Subdiaconi ante gradus anteriores Altaris, genu-

flectit in plano et assurgit. Cum Subdiaconus accepit pacem a Diacono, Cæremoniarius simul cum Ministris genuflectit; deinde, incedens ad sinistram Subdiaconi, ducit eum ad Chorum, primum a parte Evangelii (supposito quod ibi adsit dignior), deinde a parte Epistolæ; cum transit ante medium Altaris, genuflectit. Deinde revertitur ad Altare ante medium, genuflectit una cum Subdiacono, sed in plano, et statim accedit ad dexteram Subdiaconi, et ab eo accipit pacem.

21. Si non adest Chorus, Cæremoniarius pacem a Subdiacono accipit, statim postquam hic cum Diacono genuflexit. Si ministris inferioribus pax est danda, Cæremoniarius, post acceptam a Subdiacono pacem, genuflectit, et accedit ad credentiam, pacem daturus Thuriferario: si non, accedit ad locum suum, vel ad credentiam, vel ad partem Epistolæ.

Quoad modum accipiendi et dandi pacem, cfr. Regulæ generales, (2), ad V.

22. Infra Communionem, Cæremoniarius, si stat ad partem Epistolæ, caput profunde inclinat ad utramque sumptionem.

23. Cum Celebrans legit Antiphonam dictam *Communio*. Cæremoniarius accedit prope gradus Altaris ad partem Epistolæ. Cum Celebrans, dicto *Dominus vobiscum*, accedit ad Missale, Cæremoniarius ascendit, et Celebranti dextra manu indicat Orationes, eodem modo qui supra traditur n. 5.

Dicta ultima Oratione, Cæremoniarius Missale claudit, ita ut apertura sit conversa ad medium Altaris, et accipiens Missale cum pulpito, illud defert ad credentiam, descendens per gradus laterales ad partem Epistolæ, et cavens ne tergum Altari vertat. Si vero in fine aliud Evangelium sit dicendum quam Initium Evangelii S. Joannis, Cæremoniarius Missale aperit ad hunc locum, et, relicto Missali in Altari, descendit ad partem Epistolæ, opportuno tempore admonens Subdiaconum ut, dum Diaconus cantat *Ite missa est*, deferat Missale ad cornu Evangelii.

24. Infra Benedictionem Celebrantis, utrumque genu flectit prope credentiam (vel ad partem Epistolæ), et Cruce se signat.

25. Dum Celebrans legit ultimum Evangelium, Cæremoniarius accedit ad scamnum, accipit bireta Celebrantis et Ministrorum, eaque deponit ad loca sua in gradibus inferioribus Altaris.

Nota. Si quædam preces sunt dicendæ post Missam, ex. gr., preces pro Rege, quæ dicuntur diebus Dominicis, exceptis Dominica Palmarum, et iis in quibus occurrunt Festa duplicia 1 et 2 classis, Cæremoniarius præparat librum in quo continentur, et cum Celebrans ac Ministri descenderint ante gradus Altaris, librum apertum tradit Diacono.

26. Cum Celebrans et Ministri descenderunt, Cæremoniarius una cum Ministris genuflectit ad dexteram Diaconi, in plano, deinde Diacono præbet bireta, Celebrantis primum, deinde ipsius Diaconi, et omnes reducit ad sacristiam, subsequens ipse Acolythos, præcedens vero Subdiaconum.

CAPUT III

DE OFFICIO CÆREMONIARII IN MISSA SOLEMNI CUM SACERDOTE ASSISTENTE

(21) — De privilegio Sacerdotis assistentis dicetur postea in Serie V Instructionum, in Appendice Capitis III. Hic notantur tantum ea quæ a Cæremoniario observanda sunt, in casu quo Sacerdos assistens adsit.

1. Cum omnes accedunt ad Altare, Cæremoniarius sistit ut consueto; sed quia Diaconus simul cum Subdiacono accedit ad Celebrantis sinistram, Sacerdos assistens vero ad Celebrantis dexteram, Cæremoniarius accipit bireta Celebrantis et Sacerdotis assistentis, eaque deponit ad scamnum, moxque a parte Evangelii, genuflectens quando transit ante Altaris medium, accipit bireta Diaconi et Subdiaconi, quæ itidem defert ad scamnum.

2. Ad incensationem Altaris, invitat Sacerdotem assistentem ut deferat Missale a credentia ad Altare; ipse vero remanet in plano a parte Epistolæ.

Similiter ad Orationes ante Epistolam (cfr. Caput præcedens (20), n. 5); ad incensationem Altaris (n. 13); ad Orationes, Secretas, et Præfationem (n. 14); ad finem Canonis (n. 17); ad Orationem Dominicam (n. 18); ad ea quæ sequuntur usque ad *Pax Domini* (n. 19); Cæremoniarius remanet in loco suo a parte Epistolæ, inde invitans Diaconum et Subdiaconum ut functiones suas exsequantur.

20. Post *Agnus Dei*, Cæremoniarius accedit ad medium Altaris ante gradus, eodem tempore quo Sacerdos assistens de Altari descendit; genuflectit in plano, et procedens ad sinistram Sacerdotis assistentis, ducit ipsum ad Chorum, eodem ordine et modo quo alias ducit Subdiaconum ad pacem dandam. Reversus ad Altare, genuflectit in plano, et accedit ad partem Epistolæ; cumque Subdiaconus accepit pacem a Diacono, Cæremoniarius ascendit ad Altaris suppedaneum, et ibi a Subdiacono accipit pacem.

21. Si non adest Chorus, Cæremoniarius invigilat, an Diaco-

nus et Subdiaconus accipiant pacem debito ordine, qui præscribitur in Capite III Instructionum horum Ministrorum, et ipse a Subdiacono accipit pacem, ut consueto.

23. Ad Postcommunionem, Cæremoniarius remanet in plano a parte Epistolæ : sed cum Sacerdos assistens Missale clausit, Cæremoniarius ascendit ad Altare, accipit Missale, illudque defert ad credentiam. Si vero ultimum Evangelium e Missali erit legendum, remanet loco suo Cæremoniarius.

CAPUT IV

DE OFFICIO CÆREMONIARII IN MISSA SOLEMNI ANTE SS. SACRAMENTUM EXPOSITUM

(22) — 1. Si SS. Sacramentum jam est expositum in Altari, omnes ordine consueto exeunt e sacristia ; sed quamprimum venerint in conspectum SS. Sacramenti, itaque saltem ante ingressum ad Chorum, vel Sanctuarium, omnes detegunt caput : et Cæremoniarius accipit bireta Subdiaconi, Diaconi et Celebrantis, quæ mox propinquo et opportuno loco (non ad scamnum) deponit.

2. Ad Altare cum pervenerint, omnes simul in plano ante Altaris infimum gradum genuflectunt utroque genu, cum capitis profunda inclinatione.

3. Hæc prima genuflexio ad ingressum fit in plano, utroque genu, et cum capitis profunda inclinatione ; reliquæ vero, per totam Missam, fiant uno genu, absque capitis inclinatione ; ante Altare Celebrans et Ministri sacri genuflectunt per Missam in infimo gradu, Cæremoniarius vero, et reliqui minores ministri, genuflectunt semper in plano. (Cfr. (5) n. 3, Nota I et Nota II.)

4. Si SS. Sacramentum immediate ante Missam exponitur, accessus ad Altare fit consueto modo ; Cæremoniarius observabit ea quæ dicuntur in Instructione de expositione et repositione SS. Sacramenti, Capite VII (26). Post incensationem, Celebrans et Ministri assurgunt, et antequam incipiant preces Missæ, omnes iterum genuflectunt, sed unico genu, absque capitis inclinatione.

5. Tempore Missæ, pro ipso proprio Cæremoniarii Officio, nihil speciale occurrit observandum diversum ab illo quod describitur Capite II, (20) ; ast invigilabit, utrum Celebrans et Ministri exsequantur quæ ab ipsis in casu sunt observanda ratione SS. Sacramenti expositi ; ex. gr., ad sessiones, quod bireto non utantur, quod manus ante pectus junctas teneant ; ad incen-

sationem SS. Sacramenti loco Crucis, quod flexis genibus et cum inclinationibus capitis fiat. Quod si Cæremoniarius debeat aliquando e Choro exire tempore Missæ, antequam discedat, et etiam quando iterum accedet, genuflectet utroque genu, cum capitis profunda inclinatione. (Cfr. (5) n. 3, Nota II.)

9. Post Missam, si SS. Sacramentum remanet expositum, omnes, ordine consueto dispositi ante Altaris gradus, antequam e Choro, aut Sanctuario discedant, in plano ante infimum gradum genuflectunt, utroque genu, cum capitis profunda inclinatione. Mox Cæremoniarius accipit, e loco quo ea deposuit, bireta Celebrantis, Diaconi et Subdiaconi, et quando Celebrans et Ministri, ad sacristiam regredientes, erunt extra conspectum SS. Sacramenti, ipsis successive bireta tradet.

7. Si, finita Missa, SS. Sacramentum post datam Benedictionem erit reponendum, servabit Cæremoniarius omnia quæ pro repositione præscribuntur, Capite VII (26).

CAPUT V

DE OFFICIO CÆREMONIARII IN MISSA SOLEMNI PRO DEFUNCTIS, ET IN ABSOLUTIONE

§ 1. In Missa pro Defunctis

(23) — Cæremoniarius invigilabit, utrum Celebrans et Ministri sacri in hac Missa observent quæ observanda sunt, omittant quæ sunt omittenda; ipse servabit omnia quæ præscribuntur Capite II (20), pro Missa solemni, exceptis quæ sequuntur, ad respectivos prædicti Capitis numeros mutanda.

1. Ante Confessionem, non dicitur Psalmus *Judica*, sed dicta Antiphona *Introibo ad altare Dei*, et responso *Ad Deum etc.*, statim dicitur ℣. *Adjutorium*, et *Confiteor*, cum reliquis quæ sequuntur.

2. Omittitur Altaris incensatio, et statim ac Celebrans ascendit ad Altare, Cæremoniarius accipit Missale, illudque super Altare deponit.

3. Ad initium Introitus, non se signat Cruce; et post *Kyrie eleison*, remanet in plano ad partem Epistolæ.

4. Omittitur.

7. Epistola cantata, respondet: *Deo gratias*, et rursum transiens ad Subdiaconi sinistram, ducit eum ante medium Altaris, et facta ibi genuflexione in plano, accedit ad Subdiaconi dexteram, et accipit ab eo librum, quem refert ad credentiam.

Accedit ad planum ad latus Epistolæ ; et cum Celebrans recitavit sequentiam *Dies iræ*, Cæremoniarius invitat Celebrantem et Ministros, ut per breviorem viam, scilicet per gradus laterales Altaris a parte Epistolæ, descendant ad scamnum. Servat pro sessione ea quæ dicuntur Capite II, (20), n. 4.

Circa finem cantus Sequentiæ (puta ad Stropham : *Inter oves locum præsta*), accedit prope scamnum, et invitat Celebrantem et Ministros ut assurgant, sicut dicitur eodem n. 4.

Nota. Juvat hic notare quoad sessionem ad cantum Sequentiæ : Quinque dantur Sequentiæ in Missali Romano : 1 *Victimæ paschali*, dicenda in Festo, et per Octavam Paschatis ; 2 *Veni sancte Spiritus*, in Festo, et per Octavam Pentecostes ; 3 *Lauda Sion*, in Festo, et per Octavam, in Missis de SS. Sacramento ; 4 *Stabat Mater*, in Festis Septem Dolorum B. Mariæ V. ; 5 *Dies iræ*, in Missis de *Requiem*.

Præfertur illorum auctorum opinio, qui dicunt, casu quo una ex Sequentiis in Missa cantatur, et Celebrans ac Ministri infra ejusdem cantum sedent, ipsos pro sessione ad scamnum pergere, statim postquam a Celebrante fuerit lecta Sequentia, ante lectionem Evangelii : ergo, in Missis de *Requiem*, statim post lectionem Sequentiæ, in aliis Missis vero statim post Benedictionem Subdiacono datam.

Minus autem placet praxis eorum, qui antequam sedeant, prius legunt Evangelium, imo, in Missis in quibus thus ad Evangelium adhibetur, incensum jam imponunt.

Motivum est : Sessio illa fit, quia protrahitur cantu pars Missæ quæ hic et nunc perficitur, et quæ intime conjungitur præcedenti Versui post Epistolam lecto et cantato ; sequitur autem pars Missæ omnino distincta, nempe Evangelium, cujus, antequam solemniter cantetur, præludium, tamquam initium cæremoniarum, ponitur lectio textus facta a Celebrante : incongruum sane videtur, miscere duas partes Missæ omnino distinctas ; quod tamen jam fit, si post lectionem Gradualis, Tractus et Sequentiæ, Celebrans immediate legit Evangelium, et eo lecto, iterum quasi redit ad complendum partem præcedentem ; qua cantu completa, partem sequentem resumeret ubi fuit abrupta. Melius itaque, et magis ordinate sessio fiet, dum protrahitur cantu pars Missæ quæ ad Epistolam pertinet ; et versus finem hujus cantus incipietur id quod ad sequentem Evangelii partem spectat, ita ut hujus partis interruptio nulla sit.

Accedit, quod thuris impositio, quæ, lecto Evangelio, pro hujus cantu solemni fieri debet (non tamen in Missis de *Requiem*), esset intempestiva, si, thure imposito, exspectandum foret per totum Sequentiæ cantum. (Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii Q. 306, Nota,)

9. Incensum non defertur ad Evangelium. Acolythi non assumunt candelabra, sed accedunt junctis manibus.

11. Omittitur.

12. Non præparatur velum humerale pro Subdiacono, neque velum a calice amovetur ; Cæremoniarius invitat Subdiaconum ut ad credentiam accedat, et accipiat calicem, cum velo et bursa superimpositis.

14. Cæremoniarius non incensatur.

18. Cæremoniarius invitat solum Diaconum, ut ad Celebrantis dexteram accedat.

19. Non dicitur : *miserere nobis*, neque : *dona nobis pacem*, sed : *dona eis requiem*, addito, cum tertio dicitur, *sempiternam ;* pectus non percutitur, sed totum dicitur junctis manibus.

In Ecclesiis, dicto *Agnus Dei*, Cæremoniarius accedit ad partem Epistolæ, genuflectens cum transit ante medium Altaris.

20, 21. Omittuntur.

24. Omittitur.

25, 26. Hæc non observantur, si sequitur Absolutio.

§ 2. In Absolutione pro Defunctis

(24) 1. Absolutio post Missam pro Defunctis peragitur : vel 1° super cadaver ; vel 2° absente cadavere, super tumulum in Ecclesia erectum ; vel 3° absente cadavere, super extensum in pavimento ante gradus Altaris aliquem pannum nigrum.

In omni casu, lecto ultimo Evangelio, Cæremoniarius invitat Celebrantem et Ministros, ut via breviori, directe descendant ad scamnum in partem Epistolæ ; ibi omnes deponunt manipulum, et Cæremoniarius adjuvat Celebrantem, cum iste deponit casulam, et accipit pluviale ibi a ministro præparatum.

2. Si Absolutio fit super cadaver, vel super tumulum in Ecclesia erectum, Celebrans et Diaconus accipiunt biretum, quo caput cooperiunt, usque dum pervenerint ad cadaver, vel ad tumulum ; ibi Cæremoniarius accipiet utriusque bireta, eaque tradet ministro inferiori.

3. Pro Absolutione super cadaver, notanda est sequens dispositio, quam observari curabit Cæremoniarius : Subdiaconus cum Cruce semper stat ad caput cadaveris, Celebrans et Diaconus stant ad cadaveris pedes ; sed feretrum eo modo deponitur in medio Ecclesiæ, « ut defuncti pedes, si fuerit laicus, sint versus Altare majus ; si vero fuerit Sacerdos, caput sit versus ipsum Altare. » (Rituale Rom. Tit. VI, Cap. III, n. 4.) Unde, si cadaver fuerit laici, Subdiaconus cum Cruce, et Acolythi cum candelabris accedent per sinistram cadaveris (per partem

Evangelii), ad caput cadaveris, ibique consistent inter feretrum et portam Ecclesiæ ; Celebrans vero, Diaconus, et reliqui ministri consistent ad pedes cadaveris, inter Altare et feretrum, aliquantum versus partem Epistolæ, et facie versa ad Crucem quam tenet Subdiaconus. Si cadaver fuerit Sacerdotis, Subdiaconus, qui debet stare cum Cruce ad caput cadaveris, et Acolythi, consistent inter feretrum et Altare, in medio, renibus Altari versis ; Celebrans, Diaconus, et reliqui qui debent stare ad cadaveris pedes, procedentes a dextris cadaveris (per partem Evangelii), consistent inter feretrum et portam Ecclesiæ.

4. Pro Absolutione super tumulum in Ecclesia erectum, absente cadavere, nulla fit distinctio Sacerdotes inter et laicos, et semper, tam pro Sacerdote quam pro laico. Subdiaconus stat inter tumulum et portam Ecclesiæ, Celebrans vero inter tumulum et Altare, ut supra, ad faciendam Absolutionem.

5. Cæremoniarius invigilabit, utrum omnes debitum occupent locum ; signum dabit imponendi incensum ad repetitionem ℣. *Libera ;* præcedet Celebrantem et Diaconum, quando circumeunt feretrum aut tumulum, nutu quasi indicans reverentias præstandas ; curabit ut præsto teneatur liber pro Absolutione facienda ; opportuno tempore præparare faciet pannum nigrum pro Absolutione super istum facienda : verbo, curabit ut omnes omnia sua munia debite, et præsertim cum ædificatione adstantium peragant. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Tit. VI, Q. 270, pro Absolutione ad feretrum ; QQ. 271-276, pro Officio Sepulturæ ; Q. 287, pro Absolutione ad tumulum, seu absente corpore ; Q. 288, pro Absolutione super pannum nigrum.)

CAPUT VI

DE OFFICIO CÆREMONIARII IN VESPERIS SOLEMNITER CANTATIS.

(25) — 1. Cum Celebrans medius inter Assistentes egreditur e sacristia, Cæremoniarius ipsum præcedit ; ad Altare, ante gradus genuflectit in plano ad dexteram primi Assistentis, assurgit, et mox iterum in plano genuflexus recitat Orationem *Aperi.*

2. Dicta hac Oratione, Cæremoniarius assurgit, iterat genuflexionem simplicem ante Altare, et deducit Celebrantem et Assistentes ad scamnum ; omnes simul dum pergunt, salutant Chorum, primo a parte Evangelii, dein a parte Epistolæ ; prope scamnum Cæremoniarius stat ad dexteram primi Assistentis,

versa facie ad Celebrantem ; si adsit legile, illud ponit coram Celebrante.

3. Cum Celebrans, dicto *Pater* et *Ave*, intonat : *Deus, in adjutorium, etc.*, Cæremoniarius Cruce se signat a fronte ad pectus ; ad ℣. *Gloria Patri, etc*, profunde inclinat caput versus medium Altaris.

4. Cum Cantor præintonavit primam Antiphonam, Cæremoniarius indicat Celebranti, in libro super legile posito, vel, si non adsit legile, in libro quem ambabus manibus coram facie apertum mox tenet, verba Antiphonæ a Celebrante cantanda ; quæ cum ille intonavit, Cæremoniarius retrahit se, et mox retro post scamnum exspectat, donec, ad cantum secundi versiculi Psalmi, Celebrans sedeat ; fimbriam pluvialis tunc parum elevat ; deinde ad locum suum redit, ubi et ipse sedere poterit.

5. Quoties detecto et inclinato capite reverentia erit præstanda, interea dum cantantur Psalmi et Antiphonæ, scilicet, ad ℣. *Gloria Patri ;* ad verba *Sit nomen Domini benedictum ;* ad SS. Nomina *Jesu,* et *Mariæ :* ad nomen Sancti cujus Officium peragitur ; toties nutu illud indicabit Cæremoniarius.

6. Cæremoniarius librum tenet coram Celebrante, indicans prius quæ sunt cantanda, vel ea indicat in libro super legile posito : ad Capitulum, ad primum versum Hymni, ad prima verba Antiphonæ ad *Magnificat,* ad Orationes.

7. Cæremoniarius nutu indicabit semper quando erit standum, vel sedendum, aut genuflectendum. Celebrans et Assistentes stant in principio functionis, usque dum cantatus fuerit primus versus primi Psalmi ; deinde a Capitulo usque ad intonationem Antiphonæ ad *Magnificat ;* interea dum cantatur *Magnificat ;* et ad Orationes. — Sedent interea dum cantantur Psalmi, eorumque Antiphonæ, inde a secundo versu primi Psalmi, usque ad Capitulum ; dein post intonationem Antiphonæ ad *Magnificat*, si Officium est duplex ; et cum repetitur aut cantatur Antiphona post Canticum. — Genuflectunt vero in infimo gradu Altaris a parte Epistolæ, cum cantatur prima stropha Hymni *Ave, maris stella,* et Hymni *Veni, Creator,* sed tantum postquam Celebrans prima verba intonavit ; item dum cantatur in Hymno *Pange, lingua* tota stropha *Tantum ergo*, sed tantum coram SS. Sacramento exposito, vel saltem in Tabernaculo Altaris in quo functio fit recondito ; et in Hymno *Vexilla Regis* ad totam stropham *O crux, ave.* In casu, Cæremoniarius aufert legile, si ante Celebrantem habeatur positum.

8. Quando cantatur versus primus Cantici *Magnificat,* omnes assurgunt, et Cruce a fronte ad pectus se signant ; Cæremoniarius aufert legile, si positum sit coram Celebrante ; et deducit

Celebrantem et Assistentes ad Altare ; fiunt salutationes ad Chorum, prius a parte Epistolæ, dein a parte Evangelii ; ante gradus Altaris, Cæremoniarius facit genuflexionem simplicem in plano, ad dexteram primi Assistentis, et ibi exspectat, donec incensato Altari, Celebrans et Assistentes de Altari descendunt ; iterantur tunc reverentiæ ad Altare, et ad Chorum ; Cæremoniarius ducit Celebrantem ad scamnum ; et postquam Celebrans fuerit incensatus, reponit ante ipsum legile.

9. Postquam Celebrans, Orationibus cantatis (cfr. supra n. 6), dixerit ℣. *Fidelium animæ etc.*, Cæremoniarius deducit Celebrantem ad Altare : ibi genuflexionem simplicem facit in plano, deinde fiunt reverentiæ ad Chorum, primum a parte Evangelii, dein a parte Epistolæ ; et omnes, quo ordine venerunt, eodem discedunt ad sacristiam.

10. Si Completorium non statim sequitur, Celebrans, post ℣. *Fidelium animæ etc.*, recitabit secreto : *Pater noster*, dein dicet : *Dominus det nobis etc.*, et statim recto tono inchoabit Antiphonam finalem B. Mariæ V., stans, vel genuflectens in infimo gradu a parte Epistolæ, pro temporis varietate ; addet versum, et stans Orationem respondentem : dein dicet ℣. *Divinum auxilium etc.* Tunc quo ordine numero præcedenti indicatum fuit, reditur ad sacristiam.

CAPUT VII

DE OFFICIO CÆREMONIARII IN EXPOSITIONE ET BENEDICTIONE SS. SACRAMENTI

(26) — Præter munus præcipuum Cæremoniarii, invigilandi nempe ut omnes debito ordine et modo omnia peragant, pauca sunt quæ Cæremoniarii proprium in hac functione munus constituunt. Sequentia ordinarie observabit :

1. Ad Altare in quo habetur Tabernaculum, et in quo supponitur primum functio celebranda, accessus Celebrantis et Ministrorum fit consueto modo.

2. Quando ascendit Diaconus ad Tabernaculum, si Ostensorium vacuum repositum habetur super credentiam, Cæremoniarius illud mox e credentia assumit, et per partem lateralem Epistolæ defert ad Altare, idque reponit super mensam prope Diaconum.

Si Ostensorium velatum depositum est in Tabernaculo, ascendit itidem Cæremoniarius, ut accipiat velum, illudque deferat ad credentiam. In utroque casu genuflexionem simplicem facit, quando accedit ad latus Diaconi.

3. Locus proprius Cæremoniarii est ad dexteram secundi Acolythi ; ibi remanet genuflexus, nisi aliquid sit peragendum.

4. Versus finem Hymni, aut Responsorii, aut cantionis, quando a Celebrante dicenda est Oratio, antequam cantatur Versus ante Orationem, Cæremoniarius assurgit, genuflectit cum transit ante medium Altaris, e credentia assumit librum, accedit ad dexteram Diaconi, et cum cantatur Versus, ipsi indicat Orationem traditque librum, et genuflectit in plano ad dexteram Diaconi, usque dum, cantata Oratione, Diaconus ipsi librum reddat. Assurgit tunc, refert librum ad credentiam, et redit ad locum suum, genuflectens cum transit ante Altaris medium.

Ante functionem, Cæremoniarius quæret et parabit, appositis signaculis, diversas Orationes dicendas.

5. In fine functionis, post Orationem SS. Sacramenti, reposito libro super credentiam, accipit velum humerale, explicat et tenet ad lintea apposita ; accedit retro post Celebrantem, et super hujus humeros adaptat velum, et ante pectus lintea conjungit ; dein genuflexionem simplicem facit, et ad locum suum reversus genua flectit.

6. Data Benedictione, cum Celebrans reponit Ostensorium super Altaris mensam, si Ostensorium velatum reconditur in Tabernaculo, Cæremoniarius mox assurgit, accipit e credentia velum illudque refert ad Diaconum ad Altare ; genuflexionem simplicem facit, et statim descendit ad Celebrantem ; accipit ab humeris Celebrantis velum, genuflexionem simplicem facit, accedit ad credentiam, et ibi replicat velum, illudque deponit super credentiam.

Caveat jam replicare velum, aut retro post Celebrantem, aut interea dum accedit ad credentiam ; caveat item nimium extendere aut elevare brachia cum velum replicat.

7. Recessus ad sacristiam fit consueto modo.

---

(27) — 8. Si SS. Sacramentum ad aliud Altare est exponendum quam in quo asservatur in Tabernaculo, Cæremoniarius, ad Altare Tabernaculi, post incensationem a Celebrante factam, imponit velum humerale super humeros Celebrantis, et cum ad Altare Expositionis Celebrans, tradito Ostensorio Diacono, descendit, ipse velum humerale accipit, et ad credentiam deponit, ut supra. Reposito post functionem SS. Sacramento ad Altare Tabernaculi, ibi Cæremoniarius accipit velum humerale a Celebrante, ut supra.

9. Ordo servandus in delatione SS. Sacramenti ab uno Altari ad aliud, sequens est, quem observare faciet Cæremoniarius :

primo procedunt Acolythi gestantes candelabra : sequuntur Ceroferarii, bini et bini, sed tamen aliquantum ab invicem separati, ita ut tertius posset inter ipsos procedere, gestant funalia manu interiori ; sequitur Thuriferarius, dextera leviter agitans thuribulum ; tandem procedunt Celebrans et Ministri sacri, qui fimbrias pluvialis manu interiori tenent, sub baldachino quod defertur ab uno retro post Celebrantem, vel a pluribus a lateribus Diaconi et Subdiaconi.

Ipse Cæremoniarius poterit procedere a latere dextro Thuriferarii.

CAPUT VIII

DE SALUTATIONIBUS AD CLERUM IN CHORO CONGREGATUM

(28) – Superscriptus Capitis titulus generalis est, qui spectat, non ad Cæremoniarium tantum, sed ad omnes qui functioni sacræ intersunt ; cujus motivum est, quod præsertim pro hujusmodi salutationibus præstat Cæremoniarium docere omnia quæ ab omnibus præstanda sunt, potius quam indicare solummodo quæ solus ipse præstare debet : cum in his singulos vi functionis ipse dirigere debeat. Quapropter, etiamsi in diversis Instructionibus specialiter dicatur, quid a diversis Ministris circa hoc sit observandum, hic generatim pro omnibus qui functioni sacræ intersunt, regulæ pro salutationibus in Missa ad Chorum præstandis describuntur ; quo facilius valeat Cæremoniarius sua propria aliorumque munera perpendere, ut si quid erroris accidat, aut incaute fiat, ipse statim corrigere possit.

A. In accessu ad Altare.

Nota. Qui infra describitur ordo salutationum refertur ad Ecclesiam nostram Metropolitanam, ubi communiter ad Altare accedunt Celebrans ejusque ministri per ingressum lateralem a parte Epistolæ, ita ut ingredientes habeant Chorum proxime a parte sinistra, Altare vero a parte dextra ; unde fit ut Chorum quasi transeant antequam ad Altare perveniant. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 369.)

1. Ad ingressum Chori, Thuriferarius subsistit versus dexteram partem aditus ; Acolythi dirimuntur ; et inter Acolythos se sistit Celebrans cum Diacono et Cæremoniario a dextris, ac Subdiacono a sinistris.

2. Celebrans, Diaconus et Subdiaconus caput nudant ; et omnes simul in linea recta stantes, et momento subsistentes,

capitis inclinatione efficiunt reverentiam ad clerum a parte Epistolæ ; et paulum progressi, iterum subsistentes, eamdem reverentiam præstant ad clerum a parte Evangelii ; dein Celebrans et Ministri sacri biretum capiti imponunt, et omnes recta linea iterum progrediuntur usque ad gradus Altaris.

3. In hoc accessu ad Altare, lentius procedant qui sunt a dextris Celebrantis, ita ut retineri possit omnium dispositio in linea recta, et ut, qui sunt a sinistris Celebrantis, non debeant citius quam decet, accelerare gradum.

4. Ante Altare, Celebrans, Diaconus et Subdiaconus deponunt biretum ; et omnes salutant Altaris Crucem, Celebrans profunda inclinatione corporis, reliqui genuflexione in plano. Si Diaconus et Subdiaconus fuerint Canonici, in Ecclesia Metropolitana profundam corporis inclinationem efficient, sicuti Celebrans.

5. Thuriferarius et Acolythi mox accedunt ad credentiam.

B. In regressu a scamno ad Altare.

1. Assurgente Celebrante, assurget etiam in Choro clerus.

2. Subdiaconus, Celebrans et Diaconus recedunt a scamno, et cum paucos passus e scamno fuerint progressi, Diaconus se sistit a dextris Celebrantis, Subdiaconus a sinistris. Cæremoniarius sistit ad sinistram Subdiaconi. Celebrans et Ministri salutant clerum qui a latere Epistolæ est ; tum procedunt duos tresve alios passus versus medium, salutantque clerum a latere Evangelii ; et dehinc ad Altare progrediuntur.

C. A Subdiacono ad cantum Epistolæ.

1. Cum dicitur in conclusione ultimæ Orationis : *Qui tecum vivit*, vel *Qui vivis,* Subdiaconus, et Cæremoniarius, qui prope sinistram Subdiaconi aliquanto post ipsum subsistit, procedunt simul ad Altare, et genuflexionem efficiunt ante Crucem, Subdiaconus in infimo gradu, Cæremoniarius in plano.

2. Mox convertuntur ambo per suam dexteram ad partem Chori quæ a latere Evangelii est, et salutant clerum ; progrediuntur unum alterumve passum versus partem Epistolæ, et subsistentes salutant clerum qui a parte Epistolæ est ; dein progrediuntur ad locum ubi cantatur Epistola.

3. Cantata Epistola, Subdiaconus et Cæremoniarius, eodem quo supra modo efficiunt genuflexionem ad Altare, et salutationes ad clerum.

4. Clerus non assurgit, sed inclinatione capitis tantum respondet salutationi Subdiaconi.

D. A Diacono, cum defert ad Altare 1° Librum Evangeliorum, 2° bursam.

1. Cum Diaconus ad lectionem Evangelii se signavit in fronte, ore et pectore, conversus per dexteram suam descendit ad planum a parte Epistolæ, et accipit Librum Evangeliorum.

2. Conversus super sinistram suam, paucosque passus progressus versus clerum qui in Choro a parte Epistolæ est, subsistens eumdem salutat; iterumque duos tresve passus progressus, subsistens salutat clerum a parte Evangelii; et dein progreditur ante medium Altaris, ubi in infimo gradu genuflectit ad Crucem.

3. Clerus non assurgit, sed inclinatione capitis tantum respondet salutationi Diaconi.

4. Idem observat Diaconus tempore cantus Symboli; accepta nempe bursa, salutat clerum eodem quo supra modo.

E. Ante cantum Evangelii.

1. Diaconus cum Subdiacono, Acolythi cum Thuriferario, et Cæremoniarius, stantes suis locis ante Altare, genuflectunt ad Crucem Altaris; dein salutant clerum, primo versus partem Epistolæ, dein versus partem Evangelii.

2. Ad hoc præstandum, Subdiaconus et Acolythus secundus per dexteram suam se convertunt ad partem Epistolæ, reliqui per sinistram suam se convertunt ad eamdem partem, ibique omnes salutant clerum; omnes simul duos tresve passus progrediuntur in recta linea versus clerum qui a parte Evangelii est, eumdemque salutant.

3. Tum ordine consueto procedunt ad locum ubi cantatur Evangelium; præcedit Thuriferarius cum Cæremoniario, sequuntur Acolythi, et post hos Diaconus cum Subdiacono qui a sinistris Diaconi progreditur.

4. Clerus in Choro non assurgit pro salutatione reddenda Ministris; sed inclinatione capitis huic salutationi respondet; consurgit cum Diaconus incipit canere Evangelium.

F. In regressu ad sacristiam.

1. Ante gradus Altaris, Celebrans facit ad Crucem inclinationem capitis profundam; reliqui omnes Ministri genu dextrum flectunt in plano. Celebrans, Diaconus et Subdiaconus accipiunt et tenent manibus biretum.

2. Omnes simul convertuntur ad clerum qui in Choro a parte Evangelii est; Celebrans, Subdiaconus, et Acolythus secundus per dexteram suam, reliqui per sinistram suam, eumque salutant; procedunt omnes simul in linea recta tres quatuorve passus, et subsistentes salutant clerum qui in Choro a parte Epistolæ est; deinde procedunt ad sacristiam, primo Thuriferarius, secundo Acolythi, quos sequuntur Cæremoniarius, Subdiaconus, Diaconus et Celebrans.

3. Post salutationem Chori, Celebrans, Diaconus et Subdiaconus caput bireto cooperiunt.

Nota. Prædictæ salutationes ad clerum fiunt in omnibus Missis, etiam Defunctorum ; verum omittuntur exposito SS. Sacramento, et præsente Illmo ac Rmo D. Archiepiscopo.

CAPUT IX

DE OFFICIO CÆREMONIARII IN VARIIS SACRIS FUNCTIONIBUS PER ANNUM

(29) — Hucusque Officia Cæremoniarii pro quibusdam, iisque frequentioribus functionibus fuerunt descripta.

Restant variæ sacræ functiones, rarius, vel semel tantum per annum exercendæ, ex quibus nonnullæ omnino singulares sunt.

Supervacaneum foret, in his Cæremoniarii Instructionibus speciatim Officia Cæremoniarii in hujusmodi functionibus exponere : omnia jam essent repetenda, quæ in variis Instructionibus pro Celebrante et Ministris descripta suis locis sunt ; cum ipse omnes in his functionibus quasi dirigere, et consequenter omnium Officia perspecta habere debeat.

Quare, pro observandis in usu planetæ plicatæ, in Benedictionibus Candelarum, Cinerum, Palmarum, in functionibus et Officiis Hebomadæ sanctæ, in Processionibus, in Missis coram Archiepiscopo solemniter celebrandis, etc., debebit Cæremoniarius, in variis Instructionibus pro Celebrante et Ministris, examinare et perpendere quidquid ipsis præscribitur peragendum, omniumque præscriptorum debitæ exsecutioni, ut secundum ordinem fiant, invigilare.

Attamen, utile visum fuit hic breviter, indicare quænam sint in singularibus quibusdam functionibus præparanda ; Cæremoniarius enim, priusquam sacræ alicujus functionis initium fiat, inspicere debet « an omnia recte disposita, et ordinata sint, quæ ad celebrationem spectant, nempe an Ecclesia, Altare, abacus,.... sint decenter apparata ornataque, an cetera ad ipsius celebrationis actum necessaria, ut sacræ vestes, paramenta, et vasa, candelabra, cerei, funalia, aliaque utensilia, sint suo quæque loco præparata, et congrue disposita juxta normam, et regulas. » (Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. V, n. 2.) Ita faciendo, etiam prospiciet decori sacrarum functionum, ut ordinatim, et expedite, sine interruptione peragi queant.

Ideo in sequentibus paragraphis indicantur, quæ præparanda sunt pro variis sacris functionibus, in Ecclesiis parochialibus,

aut similibus, in quibus hujusmodi functiones celebrantur cum assistentia Diaconi et Subdiaconi.

§ 1. De præparandis pro Benedictione Candelarum, Processione, et Missa, in Festo Purificationis B. Mariæ Virginis

(30) — Oportet Cæremoniarium scire, quod si Festum Purificationis B. Mariæ V., 2 Februarii, venerit in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ, quæ sunt Dominicæ II classis, et prævalent Festo duplici II classis Purificationis, in casu Missa Purificationis transfertur in Feriam secundam immediate sequentem ; sed Benedictio Candelarum, distributio et Processio fiunt in Dominica, et non transferuntur. (Cfr. Rubrica specialis Missalis Romani, ad 2 Februarii.)

Postulatum fuit a S. Rituum Congregatione, an, quia fideles in quibusdam locis, ob Festi Purificationis suppressionem in foro, difficile Ecclesias frequentant die 2 Februarii, vel quia in aliis locis Festi solemnitas transfertur in Dominicam sequentem, Benedictio solemnis Candelarum et Processio transferri valeant ad Dominicam sequentem. S. Congregatio semper respondit Benedictionem et Processionem fieri debere ipsa die 2 Februarii, et non posse transferri. (Cfr. Decreta 7 Februarii 1874, n. 3321, antiq. 5573 ; et 27 Januarii 1899, n. 4010.)

In Dominicis diebus primo fit aspersio aquæ benedictæ, et dein Benedictio Candelarum, distributio, et Processio ; et tunc celebratur Missa.

1. **Altare** : instruitur pallio, seu antipendio albi coloris ; super quod imponitur aliud violaceum, quod facile amoveri poterit, tempore Processionis.

In cornu Epistolæ apponitur Missale, super legile coopertum tegumento violaceo.

2. **Prope cornu Epistolæ** : mensa, quæ conspici a Celebrante possit, cooperta tobalea alba ; super eam Candelæ ex cera alba benedicendæ, contectæ velo violaceo, aut mappa aliqua munda.

3. **Super credentiam** : Calix paratus pro Missa, cum velo et bursa coloris albi.

Pelvicula, cum ampullis et manutergio.

Liber Epistolarum et Evangeliorum.

Velum humerale albi coloris.

Vas aquæ benedictæ, cum aspersorio.

Pelvis, vasculum aquæ, et manutergium, pro lotione manuum post distributionem Candelarum.

Operimentum albi coloris pro legili, tempore Missæ.

Tabellæ Altaris.

4. **Prope credentiam** : Crux processionalis.

5. **Super scamnum** : Paramenta albi coloris : manipuli tres, tunicella, stola diaconalis, et dalmatica, stola sacerdotalis, et casula.

6. **In sacristia** : Superpellicea pro ministris inferioribus.

Candelabra Acolythorum cum candelis accensis.

Thuribulum et navicula.

Paramenta violacei coloris : pluviale, cum stola sacerdotali ; stola diaconalis ; si Ecclesia fuerit ex præcipuis, duæ planetæ plicatæ.

Amictus tres, albæ tres, cingula tria, bireta tria.

Nota. Si occurrat hac die una ex Dominicis privilegiatis, ut supra dictum fuit, paramenta alba pro Altari, pro calice, pro Celebrante et Ministris non sunt præparanda, siquidem Missa erit celebranda in colore violaceo ; sed in casu super scamnum ponuntur manipuli tres, tunicella, dalmatica et casula, omnia violacei coloris, pro Missa.

§ 2. De præparandis pro Benedictione Cinerum, et Missa, Feria IV, in capite Jejunii

(31) — 1. **Altare** : instruitur pallio, seu antipendio violacei coloris.

In cornu Epistolæ ponitur Missale super legile coopertum tegumento violaceo.

Inter Missale et cornu Epistolæ paratur pelvicula argentea, vel ex alia pulchra materia, cum cineribus ex ramis in anni præcedentis Dominica Palmarum benedictis, combustis et subtiliter cribratis, et aridis ; cooperitur vel operculo consimili, vel parvo velo violaceo.

2. **Super credentiam** : Calix paratus pro Missa, cum velo et bursa violacei coloris.

Pelvicula, cum ampullis et manutergio.

Liber Epistolarum et Evangeliorum.

Velum humerale violacei coloris.

Vas aquæ benedictæ, cum aspersorio.

Pelvis, vasculum aquæ, et manutergium, pro lotione manuum post distributionem Cinerum.

Tabellæ Altaris.

Stola latior violacei coloris pro Diacono, si utitur planeta plicata.

3. **Super scamnum** : Manipuli tres, et casula, violacei coloris.

4. **In sacristia** : Superpellicea pro ministris inferioribus.

Candelabra Acolythorum cum candelis accensis.

Thuribulum et navicula.

Paramenta violacei coloris : pluviale, cum stola sacerdotali ; stola diaconalis ; si Ecclesia fuerit ex præcipuis, duæ planetæ plicatæ.

Amictus tres, albæ tres, cingula tria, bireta tria.

§ 3. De præparandis pro Benedictione Palmarum, Processione, et Missa, in Dominica Palmarum

(32) — 1 **Altare** : instruitur pallio, seu antipendio violacei coloris.

In cornu Epistolæ ponitur Missale super legile, coopertum tegumento violaceo.

2. **Prope cornu Epistolæ** : mensa, quæ conspici a Celebrante possit, cooperta tobalea alba ; super eam rami Palmarum benedicendi, contecti velo violaceo, aut mappa aliqua munda.

3. **Super credentiam** : Calix paratus pro Missa, cum velo et bursa violacei coloris.

Pelvicula, cum ampullis et manutergio.

Liber Epistolarum et Evangeliorum.

Velum humerale violacei coloris.

Vas aquæ benedictæ, cum aspersorio.

Pelvis, vasculum aquæ, et manutergium, pro lotione manuum post distributionem Palmarum.

Tabellæ Altaris.

Vitta, seu chordula violacea, pro liganda Palma in summitate Crucis processionalis.

Stola latior violacei coloris pro Diacono, si utitur planeta plicata.

4. **Prope credentiam** : Crux processionalis, cooperta velo violaceo.

5. **Super scamnum** : Manipuli tres, et casula violacei coloris.

6. **In sacristia** : Superpellicea pro ministris inferioribus.

Candelabra Acolythorum cum candelis accensis.

Thuribulum et navicula.

Paramenta violacei coloris : pluviale, cum stola sacerdotali ; stola diaconalis ; si Ecclesia fuerit ex præcipuis, duæ planetæ plicatæ.

Amictus tres, albæ tres, cingula tria, bireta tria.

Pro tribus Diaconis qui Passionem cantant : manipuli tres,

stolæ diaconales tres, coloris violacei ; amictus tres, albæ tres, cingula tria, bireta tria ; liber pro cantu Passionis.

§ 4. De præparandis pro Matutinis Tenebrarum in Feriis IV, V et VI Majoris Hebdomadæ

(33) — 1. **Altare** : Feria IV instruitur pallio, seu antipendio violacei coloris, tobaleis, Cruce cooperta velo violaceo, et sex candelabris cum cereis, quos Cæremoniale Episcoporum notat esse ceræ communis (Lib. II, Cap. XXII, n. 4). Feria V et Feria VI, Altare erit omnino denudatum, et apponentur tantum sex candelabra cum Cruce ; Feria VI Crux erit detecta.

2. **A parte Epistolæ** : Quo loco cantari solet Epistola, vel propius Choro, si locus amplus est, ponitur candelabrum ligneum, in cujus culmine aptatum erit triangulum pariter ligneum, accommodatum ad sustinendos quindecim cereos ceræ communis, quorum unus in summitate trianguli positus est, reliqui quatuordecim vero ab utroque latere ita ordine dispositi sunt, ut inferiores sint in angulis inferioribus trianguli.

Prope candelabrum ponitur hasta cum extinctorio, ad candelas extinguendas in decursu Officii, ordine qui infra præscribitur.

3 **In medio Chori** : Legile sine ullo tegumento, cum Libro Lamentationum et Lectionum Matutini.

Nota. I. Juvat ex Cæremoniali Episcoporum (Lib. II, Cap. XXII) indicare ordinem, quo in decursu Officii extingui debent successive cerei, vel a Cæremoniario, vel ejus jussu ab alio ministro.

Absoluto primo Psalmo Matutini, cum repetitur Antiphona, Cæremoniarius extinguit cereum ultimum, seu infimum positum in extremitate candelabri triangularis versus partem Evangelii; et finito secundo Psalmo, extinguit cereum infimum a parte Epistolæ. In fine tertii Psalmi extinguit cereum penultimum a parte Evangelii ; et post quartum Psalmum penultimum a parte Epistolæ ; atque ita deinceps successive alternatim ab utraque parte singulos cereos extinguit in fine cujuslibet Psalmi Matutini.

Post primum Psalmum ad Laudes (*Miserere*), Cæremoniarius extinguit cereum decimum, nempe quintum ab infimo a parte Epistolæ ; et dein successive quatuor cereos alternatim, usque ad decimum quartum, seu septimum a parte Epistolæ inclusive. Notandum est quod pro duobus Psalmis, *Deus, Deus meus*, et *Deus misereatur nostri*, qui dicuntur sub una Antiphona, extinguitur tantum in fine secundi horum Psalmorum cereus

duodecimus, qui est sextus a parte Epistolæ ; et item pro tribus Psalmis *Laudate, Cantate,* et *Laudate,* qui itidem dicuntur sub una Antiphona, extinguitur tantum in fine tertii horum Psalmorum cereus decimus quartus, seu septimus a parte Epistolæ.

Remanet tunc in candelabro accensus solus cereus decimus quintus in summitate positus.

Quando incipitur Canticum *Benedictus*, Cæremoniarius cum hasta et extinctorio per planum accedit ad cornu Evangelii Altaris, genu dextrum flectens cum transit ante Altaris medium.

Ad septimum Cantici versiculum : *Ut sine timore.* Cæremoniarius ascendit ad suppedaneum, et extinguit cereum Altaris qui ponitur ultimus a parte, seu in angulo Evangelii : quo facto, in suppedaneo recedit ad angulum a parte Epistolæ, genu dextrum flectens in suppedaneo cum transit ante Crucem Altaris ; et quando cantatur versiculus Cantici sequens, seu octavus : *In sanctitate,* extinguit cereum Altaris ultimum in angulo Epistolæ positum. Redit tunc eodem modo, et cum genuflexione ante Crucem Altaris, ad partem Evangelii, et ad sequentem, seu nonum Cantici versiculum : *Et tu puer,* extinguit cereum penultimum, seu medium a parte Evangelii ; et ita successive alternatim ad singulum Cantici versiculum sequentem extinguit unum ex Altaris cereis, ita ut ad ultimum versiculum duodecimum : *Illuminare,* extinguatur cereus qui a parte Epistolæ Cruci Altaris est proximus.

Ita in fine Cantici *Benedictus* reperiuntur extincta luminaria in Choro omnia, præter cereum qui positus est in summitate candelabri triangularis.

Extincto ultimo Altaris cereo, quando dein repetitur Antiphona Cantici *Benedictus*, Cæremoniarius, deposita hasta, accedit ad candelabrum, et tollit e summitate illius cereum accensum, accedit cum cereo accenso ad cornu Epistolæ Altaris, et ad Altaris medium conversus, manu dextra sustinet cereum super cornu Epistolæ.

Absoluto cantu Antiphonæ post Canticum *Benedictus,* quando inchoatur cantus *Christus factus est etc.*, Cæremoniarius cum cereo accenso descendit de cornu Epistolæ, et recedit retro Altare, et ibi remanet, abscondens cereum accensum.

Completa conclusione, quæ dicitur submissa voce, Orationis *Respice, quæsumus, etc.,* fit in Choro modestus strepitus et fragor ; mox Cæremoniarius de retro Altari accedit versus Chorum, et cereum accensum manu dextra defert et quasi ostendit ; quo prolato omnes cessare debent a strepitu.

Quando tunc omnes e Choro exierint, cereus extinguitur.

Animadvertat Cæremoniarius, hæc omnia sedulo esse observanda ; mysteriis enim sunt plena, ut explicatur apud varios

auctores. (Cfr. Guéranger, *L'année liturgique*, Tom. VI, *La Passion.* Le Jeudi Saint à l'Office de la nuit.)

Nota. II. Feria IV et Feria V observantur in Matutino Tenebrarum salutationes debitæ ad Crucem Altaris et ad Chorum ; ex. gr., qui accedunt ad Chori medium, pro cantu Lamentationum et Lectionum, facta prius in medio genuflexione, vel, si sunt Canonici, inclinatione ad Crucem Altaris, salutant deinde Chorum inclinatione capitis, primo versus partem Evangelii, dein versus partem Epistolæ ; post Lectionem cantatam, ante discessum e Chori medio, iterant prædictas reverentias primo ad Altaris Crucem, dein ad Chorum. Sed in Officio Tenebrarum quod cantatur Feria VI, omnes debent genu dextrum flectere versus Crucem, omittunt vero reverentias seu salutationes ad Chorum ; quod observatur ratione Crucis, in Officio hujus Feriæ VI ad mane solemniter detectæ, cui soli omnis honor tunc tribuitur.

§ 5. De præparandis pro functionibus, Feria V, in Cœna Domini persolvendis

(34) — 1. **Altare** : instruitur pallio, seu antipendio albi coloris.

Crux Altaris contecta sit velo albi coloris.

Super Altare præparantur Tabellæ.

2. **Super credentiam** : Calix paratus pro Missa, cum velo et bursa albi coloris ; super patenam Calicis ponuntur duæ Hostiæ majores.

Calix pretiosior, cum palla, patena, velo serico albi coloris quod totum Calicem contegere possit ; et ligula serica albi coloris, qua velum Calici possit alligari.

Pyxis cum particulis consecrandis, pro communione cleri et populi.

Mappa munda, in communione ad Altare adhibenda.

Stolæ albi coloris, in sufficienti numero, pro communione Sacerdotum.

Missale super legile, coopertum tegumento albi coloris.

Liber Epistolarum et Evangeliorum.

Pelvicula, cum ampullis et manutergio.

Velum humerale albi coloris.

3. **Prope credentiam** : Crux processionalis, cooperta velo violaceo.

4. **In sacristia** : Superpellicea pro ministris inferioribus.

Candelabra Acolythorum cum candelis accensis.

Thuribulum et navicula.

Paramenta albi coloris : manipuli tres, tunicella, stola diaconalis, et dalmatica, stola sacerdotalis, et casula.

Amictus tres, albæ tres, cingula tria, bireta tria.

Pluviale albi coloris, afferendum ad scamnum in fine Missæ.

Funalia, aut cerei, pro Ceroferariis, et pro clero in Processione.

Thuribulum alterum, pro Thuriferario secundo in Processione.

Stola sacerdotalis, et stola diaconalis, violacei coloris, pro denudatione Altarium.

5. **Prope sacristiam** : Baldachinum sive umbella, albi coloris.

6. **In Sacello parato pro Repositione SS. Sacramenti :**

Super Altare, capsula elegans pro Calice servando.

Intra capsulam, et super Altaris mensam, Corporale.

Candelabra cum candelis albis accensis, in sufficienti numero.

Cæterum ornabitur Sacellum et Altare decenter, festivo more, velis pretiosis, pluribus luminibus, sed sine Reliquiis aut imaginibus Sanctorum. Flores utique, sicut in cæteris festivis functionibus, rite in hac Expositione adhibentur ; sed ita disponentur, ut ideam viridarii, seu horti nullo modo præsentent ; quippe qui theatricium et profanum ita demonstrantes discordent a ritu, et a principali, seu potius unico cultus objecto fideles distrahant.

Nota. Juvat ulterius notare de hoc Sacello et Altari Repositionis :

Juxta consuetudinem vulgariter nominatur « Sepulchrum » ; et hæc denominatio occurrit quidem in Memoriali Rituum et in quibusdam Decretis S. Rituum Congregationis ; attamen, etiamsi sit repræsentativum sepulturæ Domini, potius in ipso repræsentatur institutio Augustissimi Sacramenti.

Ecclesia præscribit ut ornetur hoc Sacellum et Altare « decenter quoad fieri potest » ; « quo pulchrius magnificentiusque poterit ». (Missale, in Rubrica speciali ad Feriam V in Cœna Domini ; et Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. XXIII, n. 2.) Et ad dubium an liceat pannis lugubribus obtegere Cappellam, et an hoc sit omnino prohibendum, S. Rituum Congregatio respondit : « Vetitum est adhibere quæcumque indumenta nigri coloris ad ornatum Sepulchri Feria V et VI majoris Hebdomadæ, cum intra tum extra locum ipsius Sepulchri. » (Decret. 21 Januarii 1662, n. 1223, antiq. 2146.)

Quæstio super Altari Sepulchri pluries agitata fuit in S. Rituum Congregatione ; et expuncto Decreto 14 Maji 1887 (n. antiq. 5986), in nova Decretorum Collectione anno 1900 prodiit De-

cretum in quo quæstio sub duplici sequenti dubio reproposita fuit, nimirum :

« I. Utrum in Altari, in quo, Feria V et VI Majoris Hebdomadæ, publicæ adorationi exponitur et asservatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, repræsentetur sepultura Domini ; an institutio ejusdem Augustissimi Sacramenti ? »

« II. Utrum liceat ad exornandum prædictum Altare adhibere statuas aut picturas, nempe Beatissimæ Virginis, S. Joannis Evangelistæ, S. Mariæ Magdalenæ et militum custodum, aliaque hujusmodi ? »

S. Congregatio, exquisitis trium Consultorum suffragiis, attenta quoque antiqua et præsenti Ecclesiæ disciplina, rescribendum censuit :

Ad I. « Utrumque. »

Ad II. « Negative. Poterunt tamen Episcopi, ubi antiqua consuetudo vigeat, hujusmodi repræsentationes tolerare : caveant autem ne novæ consuetudines hac in re introducantur. »

Atque ita rescripsit, contrariis quibuscumque Decretis abrogatis ; et SS. Dominus Leo Papa XIII Rescriptum ratum habuit et confirmavit. (Decret. 15 Decembris 1896, n. 3939. Cfr. etiam Suffragium super hoc Decreto, in IV Volumine Collectionis, pag. 419.)

§ 6. De præparandis pro Officio Feriæ VI, in Parasceve

(35) — 1. **Altare** : undequaque nudum absque ornamento erit.

Super Altare apponuntur sex candelabra, cum cereis ex cera communi, extinctis, et inter candelabra Crux, cooperta velo quod facile solvi, aut removeri possit.

In secundo Altaris gradu, ponuntur tria, et ad oram suppedanei alia tria pulvinaria, coloris violacei, pro prostratione.

Nota. I. Crux Altaris sit lignea, potius quam metallica, quo melius respondeat textui cantus : *Ecce lignum Crucis, etc.*

Attamen notari potest sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « Crux quæ Feria VI in Parasceve est detegenda et adoranda, debet ne esse lignea ; an potest esse etiam de metallo, præsertim si in ea lignum veræ Crucis includatur ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Servetur Rubrica Missalis vel laudabilis consuetudo. » (Decret. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 53, antiq. 4669, ad 59.)

Nota. II. Colorem veli Crucis pro hujus diei functione plures auctores designant nigrum, potius quam violaceum ; sed perperam.

Hac super re datur sequens S. Rituum Congregationis De-

cretum: Ad dubium : « Utrum velum quo Crux cooperitur Feria VI in Parasceve possit esse coloris nigri ; an debeat omnino esse coloris violacei ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Servetur Rubrica. » (Decret. 30 Decembris 1881, n. 3535, ad 8, antiq. 5830, ad 15.) Sensus hujus Decreti declaratur sequens in Indice generali Decretorum (ad articulum « Velum ») : « Velo violaceo cooperiri debet Crux Altaris in Feria VI Parasceve, non vero nigro. » Quomodo tali sensu queat Rubrica declarari explicant Ephemerides Liturgicæ (V, 1891, pag. 250).

2. **Super credentiam** : Bursa nigri coloris, cum corporali, et purificatorium.

Velum Calicis, nigri coloris.

Missale super legile cum tegumento nigri coloris.

Pelvicula, cum ampullis aquæ et vini, ac manutergio.

Mappa unica Altaris, ad mensuram mensæ, plicata.

Liber Epistolarum et Evangeliorum.

Stola latior nigri coloris pro Diacono, si utitur planeta plicata.

3. **Prope credentiam** : Crux processionalis, contecta velo violaceo (quod velum aufertur post denudationem Crucis).

Tapete violaceum, pulvinar violaceum, velum sericum album serico violaceo contextum, pro Crucis adoratione.

Lanx, pro oblationibus in Crucis adoratione deponendis.

Nota. Ad quid hæc omnia requirantur pro Crucis adoratione, indicat Cæremoniale Episcoporum : « Dum dicuntur ultimæ Orationes, ministri extendunt tapete magnum, vel pannum violaceum ante gradum Altaris, vel presbyterii, et super primos ejus gradus ponunt pulvinar amplum, et super eo velum, seu mappam sericeam, ut supra, ubi ponenda erit Crux. » (Lib. II, Cap. XXV, n. 22.) Et Cæremoniarius paulo ante adorationem « ponere debet prope ipsum pulvinum lancem ad dexteram adorantis, ubi pecuniæ, quæ Cruci offeruntur, ponantur. » (Ibid. n. 24.)

4. **In Sacello ubi reponitur SS. Sacramentum** : Corporale stratum super Altaris mensam.

Velum humerale albi coloris.

Baldachinum, sive umbella, albi coloris.

Intorticia et cerei, pro Clero in Processione.

5. **In sacristia** : Superpellicea pro ministris inferioribus.

Candelabra Acolythorum cum candelis ex cera communi, extinctis.

Thuribula duo cum navicula.

Paramenta nigri coloris : manipuli tres, stola diaconalis, stola sacerdotalis, et casula ; et, si ecclesia fuerit ex præcipuis, duæ planetæ plicatæ.

Amictus tres, albæ tres, cingula tria, bireta tria.

Pro tribus Diaconis qui Passionem cantant : manipuli tres, stolæ diaconales tres, coloris nigri ; amictus tres, albæ tres, cingula tria, bireta tria ; liber pro cantu Passionis.

§ 7. De præparandis pro functionibus, in Sabbato sancto persolvendis

(36) — 1. **Altaria diversa Ecclesiæ** : jam poterunt summo mane ornari, appositis festivis candelabris, et Cruce denudata ; nondum tamen auferentur vela ab Imaginibus, cum istæ tantum in fine Litaniarum sint detegendæ ; neque apponi possunt Reliquiæ, aut ornamenta inter candelabra, neque pallia, aut antipendia albi coloris ; hæc enim tantum post functionem adhiberi possunt.

2. **Altare majus** : ornatur Cruce, et sex candelabris festivis, cum candelis ex cera alba, extinctis.

Pallium, seu antipendium apponitur albi coloris, superposito alio violacei coloris.

Potest a principio functionis jam tapete super Altaris gradus extendi.

3. **A latere Evangelii** : Candelabrum magnum, et super ipsum Cereus paschalis benedicendus ; in Cereo, infra medietatem, adsint quinque foramina, in modum crucis disposita ; Cerei ellychnium sit ita paratum ut facile possit accendi.

Prope candelabrum, versus Altare, legile majus, coopertum nobili panno albi coloris, ita dispositum, ut Diaconus ante legile possit stare ad cantandum Præconium, quemadmodum solet stare ad Evangelium cantandum.

Scabellum idoneum, si necesse fuerit, ut possit Diaconus commode infigere grana thuris Cereo.

Basis, pro firmanda arundine, nisi adsit minister qui eam teneat tempore Præconii.

4. **Super credentiam** : Calix paratus pro Missa, cum velo et bursa albi coloris.

Missale super legile coopertum tegumento violaceo.

Operimentum albi coloris pro legili, tempore Missæ.

Tabellæ Altaris.

Liber Epistolarum et Evangeliorum.

Liber continens Præconium.

Pelvicula, cum ampullis et manutergio.

Velum humerale albi coloris.

Candelabra Acolythorum cum candelis ex cera alba, extinctis.

Lampades, ita aptatæ et dispositæ, ut facile possint accendi.

5. **Prope credentiam :** Super legile, liber in quo describuntur Prophetiæ ; quando erunt dicendæ Prophetiæ, disponitur in medio Chori, aut Presbyterii.

Pulvinaria tria, vel sex, violacei coloris, disponenda super Altaris gradus, antequam incipiatur cantus Litaniarum.

6. **Super scamnum** : Planeta, et manipuli duo, violacei coloris.

7. **In atrio Ecclesiæ** (scilicet extra portam principalem ; aut in aditu, si Ecclesia caruerit porticu) : Mensa cooperta tobalea munda ; super mensam ponuntur :

Missale super legile coopertum tegumento violaceo.

Vas aquæ benedictæ, cum aspersorio.

Lanx argentea, cum quinque granis incensi.

Candela parva, disposita super parvum candelabrum, vel in laterna.

Gossypium ceratum, vel duo aut tria sulphurata, ad accendendum e favilla lumen.

Thuribulum absque igne, cum navicula.

Manipulus, stola diaconalis, et dalmatica, albi coloris. pro Diacono.

Manipulus violacei coloris, pro Subdiacono.

Prope hanc mensam ponuntur :

Tripes cum foculo, in quo carbones accendendi pro novo igne.

Forcipes ferreæ, ad sumendos carbones.

Instrumenta ad excutiendum favillam e petra focaria, seu silice.

Arundo cannea, posita super basim, in cujus summitate paratur tricereus, seu cereus albus, simplex in infima parte, superius autem distinctus in tres quasi ramos, ex eodem trunco nascentes, æqualiter inter se distantes, forma et altitudine similes. (Cfr. Conferentiæ Ecclesiasticæ Archidiœcesis Mechlinien-sis, anni 1881, ex Liturgia Q. I.)

8. **In Baptisterio** : Fons, hoc mane repletus aqua limpida.

Mensa, cooperta alba tobalea ; super mensam ponuntur :

Missale super legile cum tegumento violaceo.

Stola, violacei coloris.

Vasculum aquæ benedictæ vacuum, cum aspersorio.

Vasculum, ad hauriendum aquam e fonte.

Ampullæ SS. Oleorum Chrismatis et Catechumenorum.

Bombacium, urceus cum pelvi, et manutergium, ad manus tergendas.

9. **In sacristia** : Superpellicea pro ministris inferioribus.

Paramenta albi coloris pro Missa : manipuli tres, stola diaconalis, stola sacerdotalis, tunicella, dalmatica, et casula.

Paramenta violacei coloris : pluviale, et stola sacerdotalis, stola diaconalis ; si ecclesia fuerit ex præcipuis, duæ planetæ plicatæ.

Amictus tres, albæ tres, cingula tria, bireta tria.

Crux processionalis.

Appendix. De Cereo paschali

(37) — 1. Cæremoniarius sciat oportet quibus diebus, et in quibus ecclesiasticis functionibus accendi debet et potest Cereus paschalis.

Hac super re Rubricæ Missalis et Cæremoniale Episcoporum vix aliquid notant ; sed ex variis Decretis S. Rituum Congregationis ipsa satis declaratur.

2. Ad dubium : « Quando debeat accendi Cereus paschalis, quibus diebus, quibus horis ; num tantum Dominicis, an etiam aliis diebus festis, et in Missis et Vesperis, an etiam in Matutinis solemniter celebratis ? » S. Congregatio respondit : « Cereus paschalis regulariter accenditur ad Missas et Vesperas solemnes in tribus diebus Paschæ, Sabbato in Albis, et in diebus Dominicis, usque ad Festum Ascensionis D. N. J. C., quo die, cantato Evangelio, extinguitur ad Missam ; et in aliis diebus et solemnitatibus etiam solemniter celebratis non accenditur, nisi adsit consuetudo, quod durante tempore Paschali accendatur, quæ servanda esset. » (Decret. 19 Maji 1607, n. 235, ad 11, antiq. 351, ad 12.)

3. Memoriale Rituum pro minoribus Ecclesiis parochialibus notat quod Cereus paschalis « remanens in suo candelabro accendetur in Missis in omnibus Dominicis, ac Festis Domini et Sanctorum de præcepto ; et usque ad Evangelium inclusive in die Ascensionis Domini ; quo dicto, Cereus extinguitur, et completa Missa, removetur e candelabro, et servatur accendendus in Vigilia Pentecostes ad Benedictionem Fontis. » (Tit. VI, Cap. II, § VII, n. 6.)

4. Specialis Rubrica Missalis, in Missa Festi Ascensionis Domini, notat quod Cereus paschalis, extinctus post Evangelium hujus Missæ ulterius non accenditur, « nisi in Sabbato Pentecostes ad Benedictionem Fontis. » Quod intelligendum est stricte pro sola Fontis Benedictione ; etenim ad dubium : « Cereus paschalis debetne ardere, dum cantatur Missa in Vigilia Pentecostes ? » S. Rituum Congregatio respondendum censuit : « Negative ; et servetur specialis Rubrica Missalis. » (Decret. 24 Novembris 1899, n. 4048, ad 10.) — Itaque Cereus paschalis, in functione Vigiliæ Pentecostes, non debet reponi super candelabrum a parte Evangelii, sed præparari apud creden-

tiam ; sub finem ultimæ Prophetiæ accenditur, et ab Acolytho accensus defertur in Processione ad Fontem ; quando post Benedictionem Fontis Processio accedit ad Altare, Acolythus, cum pervenerit ante Altare, genu dextrum flectit ad Crucem, et refert mox Cereum ad sacristiam, ubi ipsum extinguit.

5. Cereus paschalis non debet accendi ad Laudes vespertinas; etenim ad dubium : « Num quoties detur Benedictio SSmi Sacramenti cum Ostensorio, tempore Paschali, Cereum paschalem toties accendere liceat? » S. Rituum Congregatio rescribere rata est : « Negative. » (Decret. 8 Februarii 1879, n. 3479, antiq. 5764, ad 3.)

SERIES III INSTRUCTIONUM

DE OFFICIO SUBDIACONI

IN SACRIS FUNCTIONIBUS

PRÆNOTANDA

I. De præparatione ad Officia

Adepturi, filii dilectissimi, officium Subdiaconatus, sedulo attendite, quale ministerium vobis traditur.

Videte, cujus ministerium vobis traditur : ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis. (Pontificale Romanum ; de Ordinatione Subdiaconi.)

(38) — **Notanda circa ipsum ministerium.** — 1. Ut suo ministerio in Missa fungi valeat Subdiaconus, Missa debet esse solemnis, nam Missa lecta cum Ministris sacris Diacono et Subdiacono prohibetur ; etenim ad dubium : « An loco Missæ solemnis cum cantu, ad evitandam diuturniorem moram, celebrari possit Missa lecta eidem inservientibus Diacono et Subdiacono, dalmatica et tunica indutis ? » S. Rituum Congregatio respondendum censuit : « Negative. » (Decret. 21 Julii 1855, n. 3031, antiq. 5211, ad 1.)

2. Nonnumquam ponitur quæstio, utrum superior, vel ecclesiæ rector, seu parochus, vel Episcopus permittere possit, clericum, vel minoristam, sacris paramentis absque manipulo indutum, in Missa fungi munere Subdiaconi ; vel, dum alter in majoribus constitutus ordinibus adest; vel, quamvis Sacerdotes adsint, qui tamen aut cantui, aut confessionibus excipiendis, aut aliis sacri ministerii operibus incumbunt ; vel, in casu absoluti defectus Sacerdotum, ex. gr., in ruralibus ecclesiis, in quibus duo tantum Sacerdotes adsunt ?

Deficiente Subdiacono pro Missa solemni, extra casum absolutæ et præcisæ necessitatis, non est substituendus per superiores aliquis constitutus in minoribus ad cantandam Epistolam, paratus absque manipulo ; et Episcopo præcipitur ut hujusmodi abusum abscindat, ubi invaluit. Ita pluribus Decretis rescripsit et servari mandavit S. Rituum Congregatio. (Decreta 5 Julii

1698, n. 2002, ad 13, antiq. 3477, ad 18 ; 18 Decembris 1784, n. 2525, antiq. 4418, ad 1 ; 22 Julii 1848, n. 2965, ad 4, antiq. 5126, ad 5 ; 23 Novembris 1880, n. 3525, antiq. 5819, ad 1.)

Postea tamen ad dubium : « Num qui Subdiaconatus ordinem nondum recepit, Subdiaconi munere fungi valeat in Missa solemni ? » S. Congregatio rescribere rata est : « Affirmative ; dummodo Clericali saltem tonsura sit initiatus, manipulum non ferat, et vera urgeat necessitas. » (Decret. 17 Julii 1894, n. 3832, ad 7.)

Hujusmodi necessitatis casus daretur, ex. gr., si Sacrum solemne esset nuntiatum, et ille qui vocatus fuit ad Officium Subdiaconi peragendum, casu vel accidente non adesset ; non autem talis censeri posset, si rector ecclesiæ, aut parochus, præsente aliquo clerico, ideo ut isti munus assistendi offerre posset, non advocaret aliquem in majoribus ordinibus constitutum, quem ad hoc munus potuisset advocare.

Extra necessitatis casum ergo, Missa potius cantanda est absque assistentia Sacrorum Ministrorum.

Si clericus in necessitate munere Subdiaconi fungitur, debet assistere paratus, sed absque manipulo ; cætera autem Subdiaconi munia in Missa peraget tamquam si esset Subdiaconus.

3. Missam solemnem celebrare cum solo Diacono, absque Subdiacono, non permittitur. (Cfr. Nouvelle Revue théologique. X, 1878, pag. 329 ; et Decret. S. Rituum Congregationis. 7 Decembris 1888, n. 3697, ad 10.)

4. Loco Ministrorum sacrorum, ubi desunt Diaconus et Subdiaconus, pro cæremoniis Missarum solemnium inservire nequeunt duo laici, induti vestibus sacris, quin tamen aliquam functionem ad sacros ordines pertinentem obeant ; hujusmodi consuetudo, ubi existeret, tamquam abusus omnino est eliminanda. (Decret. S. Rituum Congregationis, 11 Septembris 1847, n. 2952, antiq. 5103.)

5. Supra jam dictum fuit, non posse Missam solemnem celebrari cum solo Diacono et Subdiacono, sine aliis ministris. (Cfr. Series I, Caput II, (5), Nota I.)

(39) — **Dispositiones in ministerio.** — 1. Subdiaconus in sacro suo ministerio memor erit, rubricas diligenter, et religiose esse servandas, cæremoniasque peculiari studio exercendas esse.

2. Antequam sacro præsertim Missæ Sacrificio assistat, in ecclesia aliquantulum orabit, ut cum vero fructu munia sacra obire, et Deo placere possit.

3. Ante Missam et Officia, semper perleget Epistolam, aut Lectiones, et quæ alia aliquando cantanda sunt, ut in ipso Officio hæc integre, distincte, tractim et cum pausa decenti, devote,

et reverenter cantare possit. — In Missali quo utitur Celebrans etiam inquiret Missam, ut sciat ubi descriptum sit Evangelium quod ipse Celebranti indicare debet. — Si Subdiaconus ipse Calicem non præparat, ante Missam saltem examinabit utrum omnia necessaria debite adsint. Non semel delatus fuit ad Offertorium Calix in quo una alterave res, imo ipsa Hostia deficiebat!

4. In sacris functionibus peragendis, præ oculis habeat Subdiaconus earum omnium, sed præcipue tremendi Missæ Sacrificii dignitatem, necnon fidelium ædificationem ; ut Mysteriorum magnitudo et majestas externa cæremoniarum ac rituum specie magis eluceat.

5. Actiones omnes sint gravitate plenæ, non tamen morosæ, quæ tædio afficiant circumstantes.

Ideo sedulo observet, et sæpius eum in finem relegat præcepta quæ proponunt Regulæ generales in capite Tractatus (2).

Stans sit erectus corpore, erectus capite ; caveat caput aut corpus indecenter librare seu agitare ; pedes teneat in eadem linea juxtapositos.

Procedat incessu gravi, erecto corpore ; et semper resplendeat conveniens modestia, tum in gravitate et decore incessus, tum etiam in oculorum demissione.

Si a loco suo secedere debet, etiam uno tantum passu, numquam id faciat lateraliter secedendo, sed semper se convertat versus locum ad quem secedere debet. — Item quando descendere debet, etiam uno gradu tantum, numquam id faciat retrocedendo, sed se convertat ad gradum vel locum ad quem descendere debet.

Regula generalis sit quod Subdiaconus, nisi aliter expresse notetur, teneat manus ante pectus junctas ; et quando una manu aliquid agere debet, alteram teneat pectori admotam. — Quando ad Altaris mensam stans genuflectere debet, numquam manus vel manum imponat mensæ Altaris ; Celebranti soli enim hoc licet.

6. Fraudulenter opus Domini faceret, si dum Missæ assistit Horas canonicas recitare auderet. Cum Cæremoniarius cujusdam Collegiatæ Ecclesiæ S. Rituum Congregationi proposuisset dubium : « An ministri parati, dum canitur Missa solemnis conventualis, privatim recitare valeant Horas canonicas ? » S. Rituum Congregatio non solum ordinario suo breviori modo negative respondit, sed quasi indignabunda rejecit inauditum suppositum, rescribens : « Non est interloquendum ; seu negative. » (Decret. 20 Martii 1869, n. 3201, ad 9, antiq. 5430, ad 11.)

(40) — **Assumptio sacrarum vestium.** — 1. Hora constituta Subdiaconus præsto erit in sacristia, et manus lavabit ;

quod, etiamsi per rubricas præscriptum non sit, maxime convenit ante SS. Missæ Sacrificium, in quo sacra vasa tangit ; ante alia Officia item convenit, saltem si mundas non habeat ; deinde ad tabulam, in qua disposita sunt sacra paramenta, ad sinistram Celebrantis accedet ut sacras vestes induat.

2. Subdiaconus accipit ambabus manibus amictum circa extremitates ad chordulas, et osculatur in medio, ubi est Crux ; mox circumducens manum dextram super caput et humerum sinistrum versus humerum dextrum, simulque elevans sinistram, amictum, qui ita facto jam a retro pendet, superiori parte ponit super caput ; post momentum a capite illum retrahens, declinat ad collum, ita ut amictus collum, dorsum et scapulas cooperiat ejusque extremitates cum chordulis dependeant ab utroque humero super pectus ; tunc ducit chordulas sub brachiis, scilicet, quæ pendet a sinistro humero dextrorsum, et quæ pendet ab humero dextro sinistrorsum : eas circumducit per dorsum, ante pectus reducit, et ligat ; deinde utraque manu apte ad collum vestium collaria amicto circumtegit, ita ut nihil horum amplius videri possit.

3. Induit albam, primum caput submittens, ita ut alba undequaque usque ad terram dependeat ; deinde in manicam dextram immittit brachium dextrum, et in sinistram brachium sinistrum ; et albæ operturam colligat ante collum.

4. Elevans utraque manu albam, primum ante et dein a lateribus hinc inde, ita ut ipsa tegat vestem talarem, et ad latitudinem digiti vel circiter super terram æqualiter fluat, et honeste dependeat, accipit utraque manu cingulum per ministrum a tergo sibi porrectum, duplicatum, cum floccis dextrorsum pendentibus, et ducit illud ad altitudinem renum ante medium pectus. Minister elevat albam super cingulum circumcirca, et ejus fimbrias diligenter aptat, ut undique latitudo digiti vel circiter mediet inter terram et albæ extremitatem. Subdiaconus extremitates cinguli ante pectus firmati hinc inde ab utroque latere ipsi cingulo conjungit.

5. Accipit tunicellam, caput submittens ; et si tunicella Romano modo sit confecta, immittit in manicam ejus dextram brachium dextrum, et brachium sinistrum in manicam sinistram.

6. Tandem accipit manipulum, et osculans prius Crucem quæ est in medio seu superiori parte, eum imponit brachio sinistro, ad ulnam, pulsum inter et cubitum ; chordulis, si adsint, manipulum alligat brachio, ne decidat. — Manipulum non accipit, nisi immediate Missa sit celebranda.

7. Etiamsi præscriptum per rubricam non habeatur, valde tamen convenit, ut Subdiaconus, induens sacras vestes, recitet

preces pro Celebrante præscriptas. Quapropter prædictæ preces hic subjunguntur.

Ad manuum lotionem : *Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam : ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.*

Ad amictum : *Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.*

Ad albam : *Dealba me, Domine, et munda cor meum, ut in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.*

Ad cingulum : *Præcinge me, Domine, cingulo puritatis, et exstingue in lumbis meis humorem libidinis : ut maneat in me virtus continentiæ, et castitatis.*

Ad tunicellam dicere potest : *Tunica jucunditatis, et indumento lætitiæ induat me Dominus.*

Ad manipulum : *Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris : ut cum exsultatione recipiam mercedem laboris.*

8. Subdiaconus vestibus indutus, in silentio et sacræ rei meditatione exspectabit, donec signum exeundi e sacristia detur.

II. Preces a Subdiacono in Missa dicendæ

(41) — Commodi gratia describuntur hic preces, quæ a Ministris in celebratione Missæ solemnis memoriter dicendæ sunt. — Quæ a solo Diacono dici debent, in Serie IV Instructionum indicabuntur.

1. Ad principium Missæ :

Sacerdos incipit : *Introibo ad altare Dei.*

Ministri ℟. *Ad Deum qui lætificat juventutem meam.*

S. *Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta : ab homine iniquo, et doloso erue me.*

M. *Quia tu es Deus fortitudo mea : quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus ?*

S. *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.*

M. *Et introibo ad altare Dei : ad Deum qui lætificat juventutem meam.*

S. *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus : quare tristis es anima mea, et quare conturbas me ?*

M. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei, et Deus meus.*

S. *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.*

M. *Sicut erat in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen.*

S. *Introibo ad altare Dei.*

M. *Ad Deum qui lætificat juventutem meam.*

S. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

M. *Qui fecit cœlum et terram.*

S. *Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus sanctis, et vobis fratres : quia peccavi nimis cogitatione, verbo, et opere :* percutit sibi pectus ter, dicens :) *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes sanctos, et vos fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.*

M. *Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam.*

S. *Amen.*

M. *Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus sanctis, et tibi pater : quia peccavi nimis cogitatione, verbo, et opere : mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes sanctos, et te pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.*

S. *Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam.*

M. *Amen.*

S. *Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum nostrorum, tribuat nobis omnipotens, et misericors Dominus.*

M. *Amen.*

S. *Deus tu conversus vivificabis nos.*

M. *Et plebs tua lætabitur in te.*

S. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.*

M. *Et salutare tuum da nobis.*

S. *Domine exaudi orationem meam.*

M. *Et clamor meus ad te veniat.*

S. *Dominus vobiscum.*

M. *Et cum spiritu tuo.*

2. Post Introitum :

S. *Kyrie eleison.* — M. *Kyrie eleison.* — S. *Kyrie eleison.* — M. *Christe eleison.* — S. *Christe eleison.* — M. *Christe eleison.* — S. *Kyrie eleison.* — M. *Kyrie eleison.* — S. *Kyrie eleison.*

Hymnum *Gloria in excelsis* submissa voce prosequuntur Ministri cum Celebrante usque ad finem, eum legentes e tabella quæ ponitur in medio Altaris.

Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex cœlestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite Jesu Christe. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad de-

xteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus. Tu solus Dominus. Tu solus Altissimus, Jesu Christe. Cum sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. Amen.

3. **Ad lectionem Evangelii** respondet Subdiaconus : *Et cum spiritu tuo; — Gloria tibi, Domine ;* — et lecto Evangelio, dicit : *Laus tibi, Christe.*

4. **Symbolum** submissa voce prosequuntur Ministri cum Celebrante usque ad finem, illud legentes e tabella quæ ponitur in medio Altaris.

Credo in unum Deum. Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri : per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. (Hic genuflectitur.) *Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine : Et homo factus est. Cruxifixus etiam pro nobis : sub Pontio Pilato passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum : sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, et mortuos : cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum, et vivificantem : qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur : qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.*

5. **Ad Offertorium ;**

Ampullam aquæ ostendens Celebranti, Subdiaconus dicit : *Benedicite Pater Reverende.*

Ad *Orate fratres*, Ministri respondent : *Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem, et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ.*

6. **Post Præfationem,** Ministri dicunt : *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli, et terra gloria tua. Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.*

7. **Post Canonem** : Cum Celebrans cantat : *Pax Domini,* Ministri respondent : *Et cum spiritu tuo ;* deinde simul cum Celebrante dicunt :

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi : miserere nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi : miserere nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi : dona nobis pacem.

In Missis pro Defunctis non dicitur : *miserere nobis,* sed ejus loco dicitur : *dona eis requiem ;* et tertio, loco : *dona nobis pacem,* dicitur : *dona eis requiem sempiternam.*

8. **Ad pacem,** Minister qui pacem accipit, dicit : *Et cum spiritu tuo* ; qui vero pacem dat, dicit : *Pax tecum.*

9. **Post Postcommuniones** : Cum Diaconus cantavit : *Ite missa est*, vel *Benedicamus Domino*. Ministri respondent : *Deo gratias* ; et in Missis Defunctorum, ad verba : *Requiescant in pace*, respondent : *Amen.* Sabbato sancto, et per totam hebdomadam Paschatis, usque ad Sabbatum in Albis inclusive, dicitur : *Deo gratias, alleluja, alleluja.*

10. **Ad Benedictionem,** Ministri respondent : *Amen.*

11. **Ad ultimum Evangelium,** Subdiaconus respondet Celebranti : *Et cum spiritu tuo* ; — *Gloria tibi, Domine* : - et in fine dicit : *Deo gratias.*

12. Nota. In Ritu celebrandi Missam non præscribitur ut Ministri respondeant Celebranti, cum hic cantat Orationes, aut initium Præfationis, aut Orationem Dominicam : docent plerique auctores, Ministros posse, sed non debere ea quæ a Choro respondentur voce submissa dicere. (Cfr. Tractatus de celebratione Missæ, Q. 298, Nota.)

III. Regulæ circa genuflexiones, a Subdiacono in SS. Missæ Sacrificio faciendas, ratione motus e loco in locum

(42) De genuflexionibus quæ a Ministris sacris fieri debent in Missa solemni et in aliis functionibus, multum disputatum fuit ; et dum alii eas multiplicant ultra debitum, alii peccant per defectum, omittentes nonnumquam genuflexiones quæ expresse per Rubricas et Decreta præscribuntur. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XI, 1897, pag. 712 et sqq.)

I. Primo hic describuntur speciales quædam genuflexiones quæ Subdiacono expresse præscribuntur in Ritu celebrandi Missam, de quibus igitur dubium nullum exstare potest, et quæ omitti numquam possunt in Altari quocumque, sit majus vel minus, et etiamsi non sit in Altari Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso.

1° Ad incensationem Altaris, tum in principio Missæ ante Introitum, tum etiam ad Offertorium (in iis Missis in quibus Subdiaconus patenam non tenet), « Diaconus et Subdiaconus hinc inde assistunt Celebranti, cum incensat, et cum transeunt ante Crucem, semper genuflectunt. » (Ritus, Tit. IV, n. 7.)

2° Ad conclusionem ultimæ Orationis, Subdiaconus, deferens ambabus manibus librum Epistolarum supra pectus, accedit ad medium Altaris ante ultimum gradum, et in eo « facta Altari

genuflexione », vadit ad partem Epistolæ, contra Altare. (Ritus, Tit. VI, n. 4.)

3° Epistola cantata, Subdiaconus « facit iterum genuflexionem Altari in medio », ut supra. (Ritus, loco citato.)

4° Post Offertorium, Subdiaconus, accepta patena eaque cooperta extremitate veli humeralis, descendit post Celebrantem in planum ante medium Altaris, « et facta genuflexione » in ultimo gradu, ibi stat. (Ritus, Tit. VII, n. 9.)

5° Circa finem Orationis Dominicæ, Subdiaconus « facta genuflexione, revertitur ad Altare » ut patenam porrigat Diacono. « Reddita patena, et deposito velo quod ab humeris ejus pendebat, genuflectit, et descendit retro post Celebrantem, et cum dicitur : *Pax Domini,* iterum genuflectens accedit ad sinistram Celebrantis, et simul dicunt : *Agnus Dei.* Deinde facta ibidem Sacramento genuflexione, redit post Celebrantem... Accepta pace a Diacono, et facta Altari genuflexione,...vadit ad Chorum, et dat pacem..., et reversus ad Altare, facta genuflexione, dat pacem Acolytho qui ipsum comitaverat. » (Ritus, Tit. X, n. 8.)

II. Secundo describitur Decretum S. Rituum Congregationis quo traditur norma pro genuflexionibus peragendis in Altari.

« E pluribus Diœcesibus huic Sacræ Rituum Congregationi sequens propositum fuit dubium resolvendum ; nimirum :

Quænam a Diacono et Subdiacono tenendæ sint normæ pro genuflexionibus peragendis in Altari :

1. Dum ab uno latere in aliud transeunt :

2. Dum ab uno latere pergunt in medium :

3. Dum e medio ascendunt ad Altare aut vice versa ?

Et Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa auditoque voto Commissionis Liturgicæ, respondit :

Ad 1. Diaconus et Subdiaconus, Sacramento non exstante super Altari, semper genuflectunt et tantum in medio ; Sacramento vero exstante super Altari, semper et tantum genuflectere debent in utroque latere.

Ad 2. et 3. Diaconus et Subdiaconus, Sacramento exstante super Altari, semper et tantum genuflectunt in loco e quo recedunt ; excepto Subdiacono, qui reversus ab incensatione Sacramenti ad Elevationem in Missa solemni de Requie, genuflectere debet in medio tantum : Sacramento non exstante super Altari, numquam genuflectunt, præter Subdiaconus quando, accepta patena, vadit post Celebrantem ante medium Altaris ; et, facta genuflexione, ibi stat.

Atque ita rescripsit servarique mandavit.

Die 9 Junii 1899. » (Decret. n. 4027.)

Nota. 1°. Hoc Decreto traditur norma pro genuflexionibus

peragendis « in Altari » : Nomine Altaris ibi intelliguntur ipsa Altaris proprie dicti structura, et ea quæ cum hac structura unum efficiunt, nempe suppedaneum, et gradus tum anteriores, tum laterales per quos ad suppedaneum pervenitur : quamdiu ergo Ministri sacri stant « in Altari », intellige in suppedaneo, in gradu aliquo, aut ante infimum Altaris gradum, servabunt traditam normam.

Nota. 2°. Ubi in Decreto agitur de Sacramento exstante vel non super Altari, intelliguntur et distinguuntur diversæ partes Missæ, tum illa pars per quam Sacramentum exstat super Altari, nempe a Consecratione usque ad Communionem, tum reliquæ Missæ partes, nempe ante Consecrationem et post Communionem, per quas Sacramentum super Altari non exstat. Norma tradita non respicit casum quo totius Missæ tempore SS. Sacramentum vel reconditum habetur in Tabernaculo super Altari posito, vel expositum est in Throno super Altari disposito.

III. Decretum supra descriptum non tradit normam pro genuflexionibus quæ a sacris Ministris peragi debent, in iis casibus quibus ad Altare accedunt de loco qui non est proprie dictum Altare cum suis adnexis, ut supra (ad II, Nota 1) describitur, aut de Altari discedunt ad locum qui Altare ita intellectum amplius non est ; ex. gr., pro cantu Evangelii ; vel quando accedere debent ad credentiam et de ea ad Altare reverti ; etc.

Pro hujusmodi casibus, regula datur quod Ministri sacri semper debent genuflectere, ad quodcumque Altare, quando ad Altaris **medium** accedunt, vel de **medio** Altaris recedunt ; ex. gr., ad accessum Altaris e sacristia, et recessum ab Altari ad sacristiam ; quando discedunt ad scamnum infra cantum Hymni *Gloria in excelsis* et Symboli, et de scamno revertuntur ad Altare ; ad cantum Evangelii, etc.

Nota. Hæc genuflexio fit in plano ante infimum Altaris gradum in duobus casibus, nempe in accessu e sacristia ad Altare, et in recessu ab Altari ad sacristiam ; sed quoties genuflectendum est infra celebrationem Missæ ante Altaris medium ad infimum gradum, semper et toties genuflexio fit non in plano sed in ipso infimo Altaris gradu. (Decret. S. Rituum Congregationis, 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 47, antiq. 4669, ad 51.)

(43) — Præscriptæ regulæ pro genuflexionibus observari debent in Altari quocumque, tam minori quam majori, in quo disposita est Crux in ejus medio requisita.

I. Si vero in Altari, in quo Missa solemnis celebratur, dispositum habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso,

observanda venit, præter alias, sequens Rubrica Missalis quæ præscribit Celebranti, pro incensatione Altaris, quod « si in Altari fuerit Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, accepto thuribulo, antequam incipiat incensationem, genuflectit, quod item facit quotiescumque transit ante medium Altaris. » (Ritus, Tit. IV, n. 6.) — Singularis est hæc genuflexio ante incensationem præscripta, quæ fit ratione SS. Sacramenti quod latet, dum tamen incensatur, sed absque ulla reverentia pro ipsa, Altaris Crux. — Patet quod si genuflexio præscribitur in casu Celebranti, eadem genuflexio profecto observari debet a Ministris; datur enim in Rubrica Missalis regula generalis quod « Ministri semper genuflectunt cum Celebrante. » (Rubricæ generales, Tit. XVII, n. 4.) Igitur in casu genuflectere debent Ministri simul cum Celebrante, tum ante tum post Crucis incensationem. (Cfr. Gavantus et Merati, *Thesaurus Sacrorum Rituum*. Romæ, 1736, Tom. I, pag. 414.)

Aliæ genuflexiones insuper ratione Tabernaculi præscribuntur a Rubricis, sed præscribuntur Celebranti in diversis casibus, in quibus jam præscriptæ habentur Ministris sacris, juxta regulas supra datas, etiamsi in Altari non adsit Tabernaculum SS. Sacramenti; — exemplum sit genuflexio a Celebrante facienda in incensatione Altaris quotiescumque transit ante Altaris medium; hæc a Celebrante non est facienda si non fuerit Tabernaculum; hæc eadem tamen jam a Ministris semper et in omni casu facienda noscitur præscripta a Rubricis et Decretis.

Igitur in supposito quod in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, a Ministris sacris, præter duas, nempe ante et post Crucis incensationem genuflexiones supra præscriptas, aliæ plures observandæ non sunt quam consuetæ; et pro casu quo in Altari de latere Altaris ad medium accedunt, vel de medio Altaris ad latus secedunt, aut de medio ad Altare ascendunt, aut vice versa, servabitur Decretum 9 Junii 1899, supra (42, II) descriptum, sicut in casu ubi in Altari non asservatur S. Eucharistia.

II. Si in Altari, in quo Missa solemnis celebratur, exposita fuerit palam, et in loco principali Altaris, Reliquia S. Crucis, aut Dominicæ Passionis, observandum venit sequens S. Rituum Congregationis Decretum: Ad dubium: « An cæremoniæ in Missa coram Sacræ Crucis Ligno palam exposito, differant ab iis quæ in Missa coram Sanctissimo Sacramento adhibentur? » S. Congregatio rescripsit: « Affirmative; et solum est genuflectendum in accessu et recessu, et quoties opus sit transire ante medium Altaris, seu a latere ad latus, ut in incensatione. » Decret. 23 Maji 1835, n. 2722, antiq. 4743, ad 1.) — Cum præ-

dictæ genuflexiones jam sint Ministris in omni casu præscriptæ, ratione hujusmodi expositionis nullam præter consuetas genuflexionem observare debent, et præscripta in Decreto referuntur ad Celebrantem.

III. Si in Altari expositum fuerit in throno SS. Sacramentum tempore celebrationis Missæ solemnis, plures et diversæ genuflexiones erunt observandæ, de quibus postea dicetur in Capite V, (49).

(44) — De conformitate servanda in actionibus. -

1. Supra (43, I) notata fuit Rubrica Missalis, præscribens quod « Ministri semper genuflectunt cum Celebrante. » Sed et insuper Diaconus et Subdiaconus, nisi aliunde sint occupati, semper debent in Missa solemni inclinare caput, seque signare cum Celebrante, quoties hic clara voce (quæ in Missa solemni potest esse submissa) aliqua recitat, vel canit, vel canit Chorus, quæ dicta signa exigunt; sive stent juxta Celebrantem, sive post ipsum. Quando autem Celebrans eadem signa vel actiones peragit, quæ verbis secreta voce dictis respondent, etsi hæc audiant Ministri, ad ea non debent attendere, nec signum ullum facere. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 174.)

Hæc regula illustratur sequenti S. Rituum Congregationis Decreto: Ad dubium: « An Diaconus et Subdiaconus teneantur se Celebranti conformare, quotiescumque hic se signat vel inclinat, dum aliquid cantat vel clara voce profert, aut submissa in Missa solemni juxta Rubricam, quod, inquam, non ad secreta pertinet; nempe ad Confessionem, ad Introitum, ad *Gloria* et *Credo*, ad Epistolam et Graduale, ad Evangelium, ad *Sanctus* et *Benedictus*, excepto quando Celebrans recitat *Confiteor Deo*, et etiam excepto Subdiacono patenam sustinente ad *Benedictus*? » S. Congregatio rescribendum censuit: « Affirmative. » (Decret. *Urgellen.*, 29 Maji 1900, ad 5; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 531.)

Igitur Ministri sacri debent, ex. gr., se signare simul cum id facit Celebrans ad Introitum, in fine lectionis Hymni *Gloria*, etc.; se inclinare quando et quomodo id facit Celebrans in Orationibus, et ubicumque occurrit Sanctum Nomen Jesu, aut nomen B. Mariæ Virginis, etc.; pectus percutere cum id facit Celebrans quando ad *Agnus Dei* dicit *miserere nobis*; hæc enim omnia verbis respondent clara voce a Celebrante prolatis; — e contra non possunt se signare quando Celebrans id facit ad verba *omni benedictione* in Oratione *Supplices te rogamus*; aut ad verba *da propitius pacem* in Oratione *Libera nos*; nec se inclinare quando in Canonis Oratione *Communicantes* id facit Celebrans ad nomina Jesu et Mariæ; nec pectus percu-

tere, cum Celebrans id facit dicens *Nobis quoque peccatoribus*, vel *Domine non sum dignus* ; hæc enim signa et inclinationes respondent verbis secreto a Celebrante prolatis, et actui secreto aut vix externo Celebrantis, quæ ita sunt Celebrantis propria, ut ad ministros non pertineant.

Quod si dubium aliquod suboriri potest super percussione pectoris ad *Nobis quoque peccatoribus*, et *Domine non sum dignus,* ratio dari potest, quia, etsi dicta verba non secreto proferantur, totam dicunt ad secreta relationem, sine quibus nullum aut vix perfectum sensum haberent. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIII, 1899, pag. 119.) Cæterum ita servandum mandavit S. Rituum Congregatio, nam ad dubium : « An Diaconus et Subdiaconus teneantur pectus percutere simul cum Celebrante ad *Nobis quoque peccatoribus*, ad *Agnus Dei,* et demum ad *Domine non sum dignus* ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Teneri tantum ad *Agnus Dei.* » (Decret. 30 Decembris 1881, n. 3535, ad 3, antiq. 5830, ad 4.)

2. Propositis hisce regulis, pro praxi addere juvat animadversionem, quod semper maximam curam habere debet Subdiaconus, ut in genuflexionibus, in inclinationibus, aliisque actionibus quæ communiter, sive cum Diacono, sive cum Celebrante et Diacono faciendæ sunt, decentem conformitatem omnino servet, una simul cum eis, scilicet eodem modo, et uno eodemque tempore genuflectendo, vel se inclinando, vel se signando.

CAPUT I

DE OFFICIO SUBDIACONI AD ASPERSIONEM AQUÆ BENEDICTÆ IN DOMINICIS

(45) — 1. Dato signo exeundi, Subdiaconus, omnibus sacris paramentis præter manipulum indutus, una cum omnibus caput profunde inclinat Cruci sacristiæ, et biretum capiti imponit. Sinistram manum ad pectus apponit, et dextera tenet extremitatem pluvialis ad sinistram Celebrantis, et ita ad Altare procedit. — Ad sacristiæ januam nemo se signat accepta aqua benedicta, quæ in casu non traditur quia mox sequitur aspersio aquæ benedictæ.

Quæ forsan in via ad Altare observari deberent reverentiæ, item salutationes ad clerum in Choro congregatum, exponuntur postea Capite XI, (56, 57).

Nota. In sacris functionibus, in quibus Celebrans est indutus

pluviali et ejus Ministri sunt induti dalmatica et tunicella, dicti Ministri non possunt incedere unus post alium ante Celebrantem ; sed Ministri incedere debent unus ad dexteram alter ad sinistram Celebrantis. (Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Augusti 1766, n. 2482, antiq. 4336, ad 3.)

2. Ad Altare Subdiaconus stans ante gradus ad sinistram Celebrantis, demittit pluviale, tradit ministro, vel deponit in gradu biretum suum, et simul cum Diacono uno genu in plano ante Altaris infimum gradum genuflectit. (Hæc prima genuflexio fit in plano, item ultima ante regressum ad sacristiam, reliquæ vero per totum Officium fiunt in infimo gradu. Cfr. (42), III, Nota.)

3. Mox Subdiaconus genua flectit in infimo gradu ad sinistram Celebrantis, et, sinistra pectori apposita, dextera tenet cum Diacono librum ante Celebrantem. Intonata Antiphona, relinquit librum Diacono, jungit manus, et cum aspergiur, caput inclinat, et se Cruce a fronte ad pectus signat. Incipit deinde Celebrans cum Ministris alternatim recitare Ps. *Miserere*.

Nota. Ministri debent aspergi a Celebrante, et non possunt accipere manu aquam benedictam ex aspersorio a Celebrante præsentato ; etenim ad dubium : « An Sacerdos Missam Dominicalem celebraturus in Ecclesiis Collegiatis possit offerre aquam benedictam Diacono et Subdiacono manu eorum aspersorio capiendam, vel potius ipsos aspergere debeat, non obstante contrario usu ? » S. Rituum Congregatio censuit respondendum : « Negative, ad primam partem ; Affirmative, ad secundam. » (Decret. 27 Septembris 1698, n. 2013, antiq. 3493, ad 2.)

4. Assurgit, et facta mox genu dextro genuflexione in infimo gradu, comitatur Celebrantem (tenens dextera pluvialis extremitatem, et sinistra ad pectus posita) : 1° ad Chorum a parte Evangelii ; 2° ad Chorum a parte Epistolæ, genu dextrum flectens, cum transit ante medium Altaris ; 3° ad Chori ingressum, pro aspersione populi. — Dum cantatur ℣. *Gloria Patri*, interrumpitur aspersio, et Subdiaconus simul cum Celebrante et aliis se convertit ad Altare, stans parum inclinatus ; dein aspersio continuatur. — Reversus ad Altare, demittit pluviale, genu dextrum in infimo gradu flectit, et assurgens stat ad sinistram Celebrantis. Ad Versiculos et Orationem, stans, tenet dextera, simul cum Diacono, librum ante Celebrantem.

5. Post Orationem relinquit librum Diacono, junctisque manibus, genu dextrum in infimo gradu flectit, et tendit ad scamnum ; manipulum osculatur, et sinistro brachio apponit. Reversus ad Altare, genu dextrum flectit in infimo gradu.

Nota. Celebrans potest etiam deponere pluviale et induere

casulam, et Ministri accipere possunt manipulum in medio Altaris ante gradus, nisi expositum in Altari habeatur SS. Sacramentum, et nisi adsit Episcopus. (Decret. S. Rituum Congregationis, 2 Martii 1862, n. 3110, antiq. 5318, ad 4.)

CAPUT II

DE OFFICIO SUBDIACONI IN MISSA SOLEMNI

(46) — 1. **Accessus ad Altare.** — Dato signo exeundi e sacristia, Subdiaconus, omnibus sacris paramentis indutus, una cum omnibus caput profunde inclinat Cruci sacristiæ, et biretum capiti imponit ; manibus junctis, subsequitur ministros inferiores, et præcedit Diaconum.

Ad sacristiæ januam possunt omnes accepta aqua benedicta se Cruce signare ; ideo Subdiaconus ibi dextera aufert biretum e capite et mox illud tenet sinistra ad pectus ; dein summis indice et medio dexteræ accipit aquam benedictam e vase ibi posito, vel e manu Cæremoniarii, et conversus per dexteram ad Diaconum huic iisdem digitis aquam præsentat, et mox seipsum Cruce signat ; quo facto, dextera biretum capiti imponit, et procedit.

Quæ forsan in via ad Altare observari deberent reverentiæ, item salutationes ad clerum in Choro congregatum, exponuntur postea Capite XI, (56, 57).

Si sacristia sit a parte Evangelii, advertit Subdiaconus ut ad Altare recedat a gradibus quantum necesse est, ut Diaconus et Celebrans possint ante eum transire.

Ad Altare cum pervenerit, Subdiaconus stans ante gradus ad sinistram Celebrantis, dextera aufert biretum e capite, illudque tradit ministro, vel deponit in gradu ; et manibus junctis, simul cum Diacono uno genu in plano ante Altaris infimum gradum genuflectit. (Cfr. dicta Capite I, (45), n. 2.)

Nota. Dicitur supra quod Subdiaconus simul cum Diacono genuflectit in plano ; non debet advertere ad reverentiam quam facit Celebrans, nam si in Altari non habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, Celebrans inclinationem tantum facere tenetur, interea dum Ministri hic in quocumque supposito genuflexionem præstare debent. Diaconus et Subdiaconus vero advertent ut simul dum Celebrans se inclinat ipsi genuflectant.

2. **Principium Missæ.** — Subdiaconus se Cruce signat ad verba *In nomine Patris, etc.* ; respondet Celebranti ; ad *Gloria*

Patri, caput inclinat ; ad *Adjutorium*, iterum Cruce signat se : ad *Misereatur tui*, modice inclinat caput versus Celebrantem ; ad *Confiteor*, profunde corpus inclinat, paulum se vertens versus Celebrantem ad verba *tibi Pater*, et *te Pater* ; ad verba *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa*, percutit sibi pectus manu dextra totaliter extensa, posita interim sinistra manu infra pectus ; post *Misereatur vestri*, erigit se ; ad *Indulgentiam*, Cruce se signat ; et ad versiculos *Deus tu conversus, etc.*, facit corporis inclinationem mediocrem.

Pro modo faciendi inclinationes, signum Crucis, percussionem pectoris, etc., videantur Regulæ generales in limine hujus Tractatus traditæ (2), I, IV, VI.

3. **Incensatio.** — Dicto a Celebrante *Oremus*, Subdiaconus, junctis manibus, simul cum Celebrante ascendit ad suppedaneum, pari passu, movens primo dextrum pedem ; et cum ad suppedaneum pervenerit nullam facit reverentiam. Cum Celebrans Altare osculatus est, Subdiaconus convertit se una cum Celebrante ad Thuriferarium ; incenso a Celebrante imposito, una cum eo se convertit ad Altare.

4. Subdiaconus caput profunde inclinat cum Celebrante ante Crucis incensationem ; sinistra pectori apposita, dextera modicum elevat partem posteriorem casulæ. Cum Celebrante caput profunde inclinat iterum post incensationem Crucis, parumque recedens post sinistram Celebrantis, ipsum sequitur euntem ad cornu Epistolæ, revertentem ad medium, ubi simul cum Diacono genu dextrum flectit ; et similiter ad cornu Evangelii, iterum simul cum Diacono genu dextrum flectens ad regressum ante medium. — Hanc utramque genuflexionem peragere debent Diaconus et Subdiaconus, quia ab uno latere Altaris in aliud transeunt (cfr. (42), II) ; Celebranti vero in casu præscribitur tantum profunda capitis inclinatio. — Cum redit ad cornu Epistolæ, ubi Celebrans incensavit partem anteriorem Altaris, demittit casulam Subdiaconus, et ad latus dextrum Celebrantis transiens, descendit ad planum in parte Epistolæ, se adjungit Diacono stans ad ejus sinistram, et convertit se ad Celebrantem, ac una cum Diacono caput Celebranti inclinat ante et post Celebrantis thurificationem.

Nota. I. Si in Altari fuerit Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, Celebrans « accepto thuribulo, antequam incipiat incensationem, genuflectit, quod item facit quotiescumque transit ante medium Altaris. » (Ritus, Tit. IV, n. 6.) Ideo in hoc casu Subdiaconus genu dextrum flectit simul cum Celebrante et Diacono, primo ante, dein post Crucis incensationem ; denique bis, nempe cum transit ante Altaris medium. (Cfr. dicta (43), I.)

Nota. II. Si in Altaris loco principali palam fuerit exposita Reliquia S. Crucis, Celebranti præscribitur quidem genuflexio quoties transit ante medium Altaris, sed non ante et post Crucis incensationem (cfr. dicta (43), II); in casu Subdiaconus nullas peraget genuflexiones præter duas consuetas præscriptas ad transitum ante Altaris medium.

Nota. III. Si in Altari fuerint expositæ prope Crucem, vel inter candelabra, Reliquiæ seu Imagines Sanctorum, Celebrans « incensata Cruce, et facta ei reverentia, antequam discedat a medio Altaris, primum incensat eas quæ a dexteris sunt, idest a parte Evangelii prope Crucem, bis ducens thuribulum, et iterum facta Cruci reverentia, similiter incensat bis alias, quæ sunt a sinistris, hoc est a parte Epistolæ; deinde prosequitur incensationem Altaris ut supra. » (Ritus, Tit. IV, n. 5.) Ideo in casu Subdiaconus, præter reverentias consuetas præscriptas, caput profunde inclinabit postquam a Celebrante incensatæ fuerint Reliquiæ quæ a dextris sunt, idest a parte Evangelii. Illam inclinationem repetere post incensationem Reliquiarum quæ sunt a sinistris, hoc est a parte Epistolæ, Rubrica non præscribit.

Quod si Reliquiæ Sanctorum sint expositæ in Altari in quo fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, Subdiaconus genu dextrum flectet ante et post incensationem Crucis, caput vero inclinabit priorem inter et alteram incensationem Reliquiarum.

Nota. IV. Si in Altari fuerit expositum in Throno SS. Sacramentum, observabit Subdiaconus pro incensatione Altaris ea quæ præscribuntur Capite V, (49).

5. **Introitus.** — Cum Diaconus, post thurificationem, ascendit ad dexteram Celebrantis, Subdiaconus remanens in plano appropinquat ad Altare, et stat ad dexteram Diaconi; ad initium Introitus, Cruce a fronte ad pectus se signat; ad *Gloria Patri* caput inclinat versus Crucem Altaris. Alternatim cum Celebrante recitat *Kyrie eleison.* (Cfr. (41), 2.)

6. Sub finem cantus *Kyrie,* sequitur Celebrantem ad medium Altaris, incedens in planum; se sistit post Diaconum ante gradum infimum, nulla facta ante Altaris medium reverentia.

Nota. I. In Sabbatis Quatuor Temporum, aliisque paucis diebus, in Missis de Tempore, dicto *Kyrie eleison,* dicuntur Orationes cum Prophetiis. In casu Subdiaconus, dicto *Kyrie eleison,* incedens in planum, se sistit ante infimum gradum ante cornu Epistolæ, et stat sicut Diaconus retro post Celebrantem qui remanet ante Missale in cornu Epistolæ. Celebrans cantat: *Oremus,* et ad hanc vocem Subdiaconus caput profunde inclinat Cruci; Diaconus immediate post cantat: *Flec-*

ctamus genua, et genu dextrum flectit ; simul Subdiaconus genu dextrum flectit in infimo gradu, versus cornu Epistolæ, non versus Crucem Altaris, sed mox assurgit et cantat : *Levate*. Quo tono debeat cantari vox *Levate*, describitur in Appendice II hujus Tractatus. — In Quatuor Temporibus Pentecostes non dicitur *Flectamus genua*, nec *Levate*.

Nota. II. Si, dicto *Kyrie eleison*, interea dum ejus cantus protrahitur a Choro, Celebrans et Ministri ad sedendum accederent ad scamnum. Subdiaconus in loco ubi stat simul cum Celebrante et Diacono caput profunde inclinat ad Crucem Altaris (non genu dextrum flectit, quia non stat in medio Altaris), et convertens se per dexteram suam, directe accedit cum ipsis ad scamnum. Ibi omnia observat quæ pro sessione præscribuntur in numero sequenti 7. Quando terminatur a Choro *Kyrie eleison*, Celebrans et Ministri accedunt ad Altare per viam longiorem, ut præscribitur numero 9.

7. **Gloria.** — Cum Celebrans intonat hymnum *Gloria*, ad verbum *Deo*, Subdiaconus simul cum Diacono caput profunde Cruci inclinat, et ascendit ad sinistram Celebrantis ; cum eo hymnum prosequitur submissa voce, et profunde caput Cruci inclinat, cum dicit : *Adoramus te ; Gratias agimus tibi ; Jesu Christe ; Suscipe deprecationem nostram* ; et iterum *Jesu Christe*. Cum dicit in fine : *Cum sancto Spiritu, etc.*, Cruce a fronte ad pectus se signat (cfr. (2), I, 1). Dein manibus junctis genu dextrum flectit ; notatur hic, quod Subdiaconus ad Altaris mensam stans, et ibi genuflectens, semper manus junctas tenet, et numquam eas Altari imponit (cfr. (39), 5) : et convertens se per dexteram suam, tendit ad scamnum directe per partem Epistolæ, Celebrantem comitans ad dexteram, non præcedens. Ad scamnum convertit se versus Celebrantem, ad ejus sinistram, partem inferiorem planetæ dextera sublevat, et cum Celebrans sedet, sumit biretum in dextera ante pectus, inclinatur paulum ad Diaconum, sedet, et sedens caput cooperit ; manus ambas extensas super genua ponit (ordinarie ponuntur infra tunicellam, sed melius super illam ponerentur).

8. Quando verba supra nº 7 indicata pro inclinatione cantantur, dextera accipit biretum, illudque tenet prope genu dextrum, cum apertura versus pectus, et caput profunde inclinat.

9. Ad ℣. *Cum sancto Spiritu*, caput detegit, surgit, biretum deponit in scamnum, et manibus junctis per viam longiorem seu planum se confert ante Altaris infimum gradum, præcedens Celebrantem. Ubi Celebrans advenit ante medium Altaris, Subdiaconus ad ejus sinistram genu dextrum flectit in infimo gradu ; et cum Celebrans ascendit ad Altare, Subdiaconus

accedit ad medium in plano, et stat a tergo Celebrantis et Diaconi.

10. **Orationes.** — Cantato a Celebrante ℣. *Dominus vobiscum*. Subdiaconus nullam faciens reverentiam sequitur Celebrantem ad cornu Epistolæ, incedens semper in planum, et stat ante cornu Epistolæ a tergo Celebrantis et Diaconi. Una cum eis omnes capitis inclinationes, quotiescumque faciendæ occurrunt, facit, vel versus Crucem, vel versus librum, scilicet : 1° profunde versus Crucem, ad *Oremus*, et ad nomen *Jesu* ; 2° versus librum, mediocriter ad nomen B. Mariæ V. ; 3° inclinatione minima ad nomina Sanctorum de quibus dicitur Missa, aut fit Commemoratio specialis in eorum Festis ; item in Oratione pro Papa, quando nominatur.

Nota. Si in Altaris loco principali posita fuerit Imago B. Mariæ V., aut Sancti ad cujus nomen inclinatio facienda est, ad eam Imaginem caput inclinatur. (Decret. S. Rituum Congregationis, 13 Februarii 1892, n. 3767, ad 25 ; cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 205.)

11. **Epistola.** — Ad ultimam Orationem, Subdiaconus a Cæremoniario, vel ministro stante ad suam dexteram, accipit, sine inclinatione, ambabus manibus librum Epistolarum, ad inferiores angulos, cum apertura versus sinistram, eumque clausum defert super, seu contra pectus. Cum proferuntur verba conclusionis : *in unitate, etc.*, procedit ad medium ante Altare, et genu dextrum flectit in infimo gradu (cfr. (42), I, 2°), et vadit ad partem Epistolæ contra Altare (scilicet ubi infra Orationes stetit), et, post *Amen*, e libro quem sustinet ambabus manibus cantat Epistolam. Quo tono debeat cantari Epistola describitur in Appendice II hujus Tractatus.

Dum Epistolam cantat Subdiaconus, si quando ad quædam ejus verba dum dicuntur præscribitur genuflexio, genu dextrum dum ea cantat flectit, in infimo Altaris gradu si ibi ad gradum stat, alias in plano. Observabit etiam Subdiaconus capitis inclinationes numero præcedenti præscriptas, ad nomina *Jesu* et *Mariæ*, et ad nomen Sancti in ejus Festo ; attamen hac super re rescripsit S. Rituum Congregatio, inclinationem non esse faciendam ad nomina Sanctorum in initiis Epistolæ, ex. gr., quando in Festo S. Pauli annuntiatur Lectio ex ejusdem Epistolis. (Decret. 13 Februarii 1892, n. 3767, ad 25.)

Nota. In quibusdam Ecclesiis disponitur legile in loco ubi Subdiaconus cantat Epistolam ; Subdiaconus potest in casu deponere librum Epistolarum super legile ; sed applicat, dum cantat Epistolam, palmas manuum super utramque partem libri, a latere et versus inferiorem libri partem.

12. Epistola cantata, claudit librum, defert eum eodem modo ut supra, cum apertura versus sinistram, et facit iterum genuflexionem Altari in medio infimi gradus (cfr. (42), I, 3°), et incedens per planum presbyterii,vadit ad latus Epistolæ, ascendit gradus, et in suppedanii extremitate genu utrumque flectit ante Celebrantem qui ad eum parumper convertitur; genuflexus librum removet paululum a pectore, ita ut Celebrans in summitate libri imponere valeat manum; osculatur mox manum Celebrantis, dein inclinat profunde caput et a Celebrante accipit benedictionem.

Nota. I. Subdiaconum benedictionem accepturum debere genuflectere in ipso suppedaneo, et non in plano, neque in gradu inferiori, rescripsit S. Rituum Congregatio, per Decretum 12 Julii 1901, *Colimen.*, ad 5. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 461.)

Nota. II. Si Celebrans lectionem Tractus aut Sequentiæ nondum absolvit post cantatam Epistolam, Subdiaconus, accedens ad latus Epistolæ in plano, conversus ad Altare exspectat, et cum Celebrans absolvit lectionem, ascendit.

Nota. III. Si interea dum Sequentia cantatur Celebrans pro sessione accedit ad scamnum (cfr. pro tempore quo ad scamnum procedendum erit ea quæ dicuntur supra, Series II, Cap. V, § 1, (23), in Nota ad 7), Subdiaconus, accepta benedictione assurgit, reddit librum ministro, et facta ubi stat inclinatione profunda capitis Cruci Altaris, simul cum Celebrante et Diacono, convertit se per dexteram et directe accedit ad scamnum, ubi observat omnia jam supra descripta numero 7. — Ad signum Cæremoniarii versus finem Sequentiæ, omnes assurgunt et accedunt ad Altare; sed in hoc casu accedunt directe de scamno ad cornu Epistolæ, et non per viam longiorem; postquam ascenderint Celebrans et Diaconus, ascendit Subdiaconus ad cornu Epistolæ, ut deferat Missale ad cornu Evangelii quemadmodum præscribitur numero sequenti 13.

13. **Evangelium.** Accepta benedictione, Subdiaconus surgit, et sine inclinatione tradit librum ministro stanti ad suam sinistram. — In quibusdam Ecclesiis, absente Cæremoniario, Subdiaconus tradit statim librum Diacono; hoc tamen minus probandum videtur; nihil impedit ut librum tradat eidem ministro (Acolytho), a quo ante cantum Epistolæ ipsum accepit. — Tunc conscendit suppedaneum, accipit ambabus manibus Missale cum legili, et portat ante pectus; se convertit per sinistram suam, descendit per gradus laterales, incedit per planum post tergum Diaconi, genu dextrum flectit cum transit ante medium in infimo gradu, et a latere opposito per planum ascendit

ad Altare, deponit Missale super Altare ad cornu Evangelii. — Hic modus servetur in Altari in quo habentur ut consueto tres gradus; si vero plures gradus sunt, via indicata ad cornu Evangelii fieret longior: in tali casu posset servari modus qui proponitur a quibusdam auctoribus, nempe quod Subdiaconus sumat breviorem viam retro post Celebrantem; ideoque deferens Missale descendat ante Altaris medium uno gradu a suppedaneo, et ibi conversus ad Altare genuflexionem decenti modo faciat retro post Celebrantem profunde hoc momento jam inclinatum.

Subdiaconus Missale deponit super Altare ad cornu Evangelii eo modo ut Missalis pars posterior conversa sit ad angulum posteriorem cornu Evangelii. Deposito Missali, junctis manibus, ministrat Celebranti a sinistris, indicans dextera Evangelium; cum Celebrans dicit: *Dominus vobiscum*, Subdiaconus respondet: *Et cum spiritu tuo*; et cum Celebrans dicit: *Sequentia*, vel *Initium sancti Evangelii etc.*, Subdiaconus simul cum ipso se signat in fronte, ore et pectore (cfr. Regulæ generales, (2). I, 2). deinde respondet: *Gloria tibi Domine*; caput inclinat, aut genuflectit, simul cum Celebrante, quoties hic illud facit. In fine lectionis respondet: *Laus tibi, Christe.*

14. Lecto Evangelio, Celebrans accedit ad medium Altaris; Subdiaconus ambabus manibus accipit legile cum Missali, illudque paululum a mappis elevans, non vero super mappas propellens, collocat prope medium Altaris, ita ut pars Missalis posterior conversa remaneat ad posteriorem angulum cornu Evangelii; quo facto, statim manus ante pectus jungit, et accedit prope medium ad Celebrantis sinistram; convertit se ad Celebrantem, et assistit impositioni thuris; dein ad Altare convertit se, et mox conversus per dexteram suam, descendit ante gradus Altaris; ibi stat aliquantulum e medio versus cornu Evangelii, facie ad Altare conversa.

15. Dato signo in fine cantus Gradualis, etc., Subdiaconus genu dextrum flectit cum Diacono in infimo gradu, parum ab Altari recedit, locum dat Diacono, et hunc a sinistris comitatur ad locum ubi canitur Evangelium (scilicet aliquantum ab Altaris gradibus, et in eadem linea ac infimus gradus a parte Evangelii); ibi per sinistram se convertit versus Diaconum, sinistrum latus habens versus Altare, et renes vertens ad partem quæ pro Aquilone figuratur. Utraque manu accipit Evangeliarium ad partem inferiorem, et apertum sustinet ante pectus, ita ut facies sua libro contegatur. Nullam infra Evangelii cantum reverentiam, nec inclinationem, nec genuflexionem facit.

Nota. I. Non raro angustior est situs, qui non permittit processionem supra descriptam ad locum in quo Evangelium cantatur, qui locus tunc est in parva distantia ab inferiori

gradu Altaris, ita ut Acolythus secundus infra Evangelii cantum stet juxta Altaris gradum. In tali casu Subdiaconus, facta genuflexione in infimo gradu, convertit se per sinistram, et præcedens Diaconum procedit ad locum, ubi se per sinistram convertit versus Diaconum, sinistrum latus habens versus Altare ut supra.

Nota. II. In quibusdam Ecclesiis disponitur legile in loco ubi Diaconus cantat Evangelium : in casu Subdiaconus, cum pervenerit ante legile, per sinistram circuiens recedit post legile ; imposito a Diacono libro super legile, Subdiaconus ambas manus extensas apponit ad margines laterales libri, quasi librum sustinens. — Ad dubium : « An Diacono Evangelium cantante Subdiaconus teneatur sustinere librum Evangeliorum, sive ante pectus, sive in lectorile existentem ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative. » (Decret. 15 Septembris 1753, n. 2425, antiq. 4235, ad 3.)

16. Absoluto cantu Evangelii, Subdiaconus declinat librum super brachium sinistrum, tenens eum ambabus manibus ad partem inferiorem, attendit ad signum principii Evangelii a Diacono indicati, et ascendit ad Celebrantem, sine ulla genuflexione cum transit ante medium Altaris ; Celebranti principium Evangelii indicat manu dextra, resumit librum dextera, et ipsum appropinquat faciei Celebrantis.

Nota. Si Diaconus Evangelium cantaverit e libro super legile posito, Subdiaconus, absoluto cantu, accedit ad Diaconum ante legile, et ab ipso accipit librum super brachium sinistrum ut supra.

17. Postquam Celebrans principium Evangelii osculatus est, Subdiaconus librum claudit, illumque tenet ambabus manibus ante pectus, caput inclinat Celebranti, et conversus per sinistram suam, descendit de Altari per gradus anteriores a parte Epistolæ ; librum tradit ministro sine inclinatione, et junctis manibus, conversus ad Altare, ante infimum gradum ibi subsistit, dum Diaconus Celebrantem incensat.

18. Cum Diaconus ascendit ad locum suum, Subdiaconus accedit ad medium ante Altaris infimum gradum, et genu dextrum flectit in eodem gradu.

19. **Credo.** — Cum Celebrans intonat Symbolum, Subdiaconus simul cum Diacono ad verbum *Deum* caput profunde Cruci inclinat, et ascendit ad sinistram Celebrantis ; cum eo prosequitur submissa voce Symbolum ; caput inclinat Cruci, cum dicit : *Jesum Christum* ; genu dextrum flectit ad ℣. *Et incarnatus est... homo factus est* ; caput inclinat Cruci, cum dicit :

simul adoratur ; et cum in fine dicit ℣. *Et vitam venturi sæculi. Amen,* Cruce se signat a fronte ad pectus (cfr. (2), I, 1).

20. Observat deinde pro sessione ea quæ notantur nº 7.

21. Ad verba : *Jesum Christum ; Et incarnatus est... factus est ; simul adoratur,* observat ea quæ notantur nº 8.

Nota. In Festo Annuntiationis B. Mariæ V., et in tribus Missis Festi Nativitatis Domini, quando cantatur in Choro versus : *Et incarnatus... factus est,* Celebrans et Ministri debent genuflectere. (Rubricæ generales, Tit. XVII, n. 3.) Ideo Subdiaconus, una cum Celebrante et Diacono, nudato capite, assurgit, et tenens biretum ante pectus, genua flectit in infimo gradu a parte Epistolæ, et caput profunde inclinat toto tempore quo hoc versus cantatur ; dein assurgit, et recedens ad scamnum cum Celebrante et Diacono, dum Celebrans sedet, ipse manet erectus donec transierit Diaconus, ut in numero sequenti dicitur.

22. Ubi incipit cantus ℣. *Crucifixus,* Subdiaconus caput detegit, et biretum utraque manu ante pectus tenet, assurgit, et caput Diacono inclinat. Cum Diaconus ante eum transiit, ipse sedet, et caput cooperit. In regressu Diaconi ad scamnum, iterum caput detegit, surgit, caput Diacono inclinat, sedet, et caput cooperit.

23. Ad ℣. *Et vitam,* observat ea quæ notantur nº 9.

Nota. Si forte Celebrans et Ministri non sederent tempore cantus Symboli, hoc recitato, Subdiaconus cum Celebrante et Diacono remanet in suppedaneo, stans manibus junctis ad sinistram Celebrantis. Quando cantatur versus : *Et incarnatus... factus est,* Subdiaconus convertit se per dexteram suam, et descendit ad penultimum gradum, convertit se ad Altare, et cum Celebrante et Diacono genua flectit in ora suppedanei usque ad finem versus ; debet etiam, licet genuflexus, caput profunde inclinare (Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Maji 1846, n. 2915, ad 6, antiq. 5050, ad 8) ; finito cantu versus, assurgit cum Celebrante et ascendit ad Altare, stans in suppedaneo ut supra. Ad versum : *Et vitam venturi sæculi,* Subdiaconus convertit se per dexteram suam, et descendit usque ad planum, ubi ad Altare conversus stat in medio ante infimum gradum, retro post Celebrantem et Diaconum.

24. **Offertorium.** — Cum Celebrans cantat *Oremus,* Subdiaconus profunde caput inclinat ; deinde genu dextrum flectit in infimo gradu, et tendit ad abacum, seu credentiam.

25. Ad credentiam, imponitur Subdiacono velum humerale, et alligatur ante pectus per ministrum. — Si non adesset Cæremoniarius, Subdiaconus ipse velum quo calix cooperitur aufert a calice, et plicatum deponit super credentiam. — Tum

Subdiaconus sinistra accipit calicem ad nodum, et cum minister extremitatem veli, quæ ad dexteram pendet, pallæ imposuit, eaque calicem contexit, Subdiaconus eidem extremitati super pallam imponit manum dextram extensam.

Si Symbolum non fuit dictum, prius, assumpto a calice velo, super pallam ponitur bursa, quæ ipsa contegitur extremitate veli humeralis.

Deinde Subdiaconus directe tendit a credentia ad Altare, ascendens a latere Epistolæ. Quo cum advenit, consistit in suppedaneo ad dexteram Diaconi, et calicem super Altare deponit, postquam Diaconus amovit a calice extremitatem veli.

Nota. Stricte loquendo, potest calix a principio Missæ jam præparari in Altari, sed « magis decet » ut præparetur in credentia (Ritus celebrandi Missam, Tit. VII. n. 9) : eo vel magis quod omnia, quæ servanda a Ministris sacris præscribuntur, melius et facilius observari possunt, si calix sit in credentia præparatus. — Si itaque calix sit jam ante Missam in medio Altaris positus, Subdiaconus, post inclinationem factam ad verbum *Oremus*, absque ulla alia reverentia, eodem tempore quo Diaconus, ascendit ad Altare et consistit ad dexteram Diaconi qui ipse consistit ad dexteram Celebrantis. Postquam Diaconus patenam a calice sumpserit, Subdiaconus omnia peragit ut dicitur numero sequenti.

26. Deposito calice, Subdiaconus junctis manibus exspectat, donec Diaconus patenam a calice assumpserit : tunc ipse calicem sinistra sumit ad nodum ; dextera aufert cochlear, si adsit, illudque deponit super Altare ; et mox purificatorio partem interiorem calicis abstergit, semel vel bis leviter et absque motu brachiorum circumducens dextera purificatorium per cuppam calicis. Calicem reponit super Altare, et tradit Diacono, una cum purificatorio, quod ad cuppam calicis tenet totum dependens, ita ut pes calicis eo tegatur.

27. Conversus ad Acolythum, dextera assumit ampullam vini, et eam tradit Diacono ex parte ansæ ; dein accipit dextera ampullam aquæ ex parte ansæ, eamque apertam et paulum elatam sustinens ostendit Celebranti, dicens : *Benedicite Pater Reverende* ; facto signo Crucis a Celebrante, ampullam sumit in sinistram, et dextera, mediante cochleari, haurit ex ampulla, et infundit in calicem tres vel quatuor aquæ guttas. Quod in cochleari forsan remanet aquæ, refundit in ampullam, reponit cochlear super Altare prope gradum, et dextera accipit a Diacono ampullam vini, et utramque ampullam reddit Acolytho. — Quod si cochleari non utatur, Subdiaconus ampullam retinet dextera, et ex ipsa effundit in calicem tres vel quatuor aquæ guttas, prudenter quidem, ne nimium aquæ vino misceatur.

Nota. Si calix a principio Missæ in Altari positus fuerit, Subdiaconus, qui nondum velum humerale accepit, redditis Acolytho ampullis, ad cornu Epistolæ stans velum humerale a ministro accipit.

28. Junctis manibus stat dum fit oblatio calicis; dein in dextera accipit a Diacono patenam, inter pollicem et reliquos digitos, ita ut pars concava pectus respiciat, et pollice tenet circum patenam extremitatem veli a dextro humero pendentem, quacum Diaconus et patenam et Subdiaconi dexteram cooperuit; sinistram ad pectus apponit; patenam appropinquat pectori, et convertens se per sinistram, descendit ante Altare, subsistit in medio ante gradum infimum, conversus ad Altare genu dextrum in infimo gradu flectit (cfr. (42), I, 4°), et ibi stans consistit, sustinens dextera patenam ad altitudinem vultus sui, sinistramque pectori applicatam tenens. Non genuflectit cum id faciunt, vel Celebrans, vel Diaconus, ad incensationem Altaris.

29. Celebranti respondet ad *Orate fratres*, demittens interea patenam ante pectus, dum dicit: *Suscipiat Dominus etc.*

30. Cum incensatur a Diacono se per dexteram suam convertit ad Diaconum, non discedens e medio, demittit patenam ante pectus, capitis inclinationem facit Diacono ante et post duplicem ductum, iterum elevat patenam ad altitudinem vultus, et convertit se ad Altare.

31. **Præfatio.** — Ad versum *Gratias agamus etc.*, Subdiaconus demittit patenam ante pectus, et caput profunde inclinat ad verba *Deo nostro*; quo facto iterum sustinet patenam ad altitudinem vultus. Idem observat pro inclinatione capitis profunda ad nomen *Jesu*, aut pro inclinatione media ad nomen B. Mariæ V., quando hæc nomina occurrunt in Præfatione.

Rubricæ Missalis (Ritus, Tit. VII, n. 11) dicunt, quod Subdiaconus tenens patenam, in fine Præfationis accedit ad Altare, ubi cum Celebrante dicit Trisagion *Sanctus*. Attamen S. Rituum Congregatio rescripsit (Decret. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 30, antiq. 4669, ad 32), ut servetur cujuscumque loci consuetudo pro hoc puncto: consuetudo vero in his locis habet, ut Subdiaconus non ascendat, sed remaneat in loco suo, et ibi, corpore mediocriter inclinato, dicat Trisagion *Sanctus*, demissa interea patena ante pectus. Cum patenam dextera teneat, patet quod non debet se signare Cruce ad verba: *Benedictus qui venit, etc.*; ipsum non debere se signare in casu rescripsit S. Rituum Congregatio, Decreto 29 Maji 1900, ad 5, quod citatur supra (44).

32. **Canon.** — Ante Elevationem, cum Diaconus genuflectit

ad dexteram Celebrantis, Subdiaconus utrumque genu flectit in infimo gradu in medio: aut si unus gradus tantum in aliquo minori Altari haberetur, paulum e medio versus partem Evangelii; patenam ante pectus demittit, et cum Celebrans genu dextrum flectit ad adorationem S. Hostiæ, ipse caput profunde inclinat usque dum Celebrans, reposita post elevationem S. Hostia, iterum genuflexerit. Item Subdiaconus caput profunde inclinatum tenet ab una genuflexione Celebrantis ad alteram pro adoratione et elevatione S. Sanguinis. Cum Celebrans ab hac ultima genuflexione surrexerit, Subdiaconus caput elevat, assurgit, et iterum tenet patenam ante faciem. Non genuflectit Subdiaconus patenam tenens, cum id postea faciunt Celebrans et Diaconus ante *Pater noster*.

33. **Pater noster.**—Ad verba: *Et dimitte nobis*, Subdiaconus, cum genuflectit Diaconus, genu dextrum in infimo gradu flectit, ascendit ad Altare ad dexteram Diaconi in cornu Epistolæ: postquam Diaconus patenam discooperuerit removendo velum, Subdiaconus tradit patenam Diacono. Solvit velum, nisi id faciat accedens minister, velumque deponit et relinquit ministro; dein genu dextrum flectit, manibus junctis, in suppedaneo versus Sacramentum, et per sinistram conversus, descendit ante infimum gradum retro post Celebrantem. Ibi non genuflectit.

34. Una cum Celebrante et Diacono genu dextrum flectit in infimo gradu, discooperto Calice, ante fractionem S. Hostiæ.

35. Cum Celebrans cantat: *Pax Domini*, Subdiaconus genu dextrum flectit in infimo gradu, et ascendit in suppedaneum ad sinistram Celebrantis. Respondet: *Et cum spiritu tuo*. (Super hoc responso cfr. Tractatus de celebratione Missæ, Q. 298, Nota.) Cum Celebrans genuflectit, idem facit Subdiaconus; dein, capite profunde inclinato, simul cum Celebrante recitat: *Agnus Dei, etc.*, ad verba *miserere nobis*, et *dona nobis pacem*, ter percutiens sibi pectus manu dextra extensa, sinistra interim infra pectus posita. (Decret. S. Rituum Congregationis, 30 Decembris 1881, n. 3535, ad 3, antiq. 5830, ad 4.) Pro modo percutiendi pectus cfr. Regulæ generales, (2), VI.

36. Dicto *Agnus Dei*, manibus junctis, genu dextrum flectit versus Sacramentum, et per dexteram conversus, descendit ante infimum gradum retro post Celebrantem. Ibi non genuflectit.

37. **Pax.** — Cum Diaconus descendit ante gradus Altaris, Subdiaconus absque genuflexione se convertit ad eum, ita ut latus sinistrum ad Altare conversum habeat, parum e medio recedit, eique caput inclinat: mox manus suas supponens cu-

bitis Diaconi, a Diacono accipit pacem, sinistris genis sibi invicem appropinquantibus, et cum Diaconus dixit: *Pax tecum*, respondet Subdiaconus: *Et cum spiritu tuo*. Jungit mox manus, et caput inclinat Diacono. (Cfr. Regulæ generales, (2), V.)

38. Se convertit ad Altare, genu dextrum flectit in infimo gradu ad sinistram Diaconi, surgit, et vadit ad Chorum, prius a parte Evangelii (supposito quod ibi adsit dignior), dein a parte Epistolæ; cum transit ante medium Altaris, genu dextrum flectit. Data pace primo cujusque ordinis in Choro revertitur ad Altare ante medium, genu dextrum flectit in infimo gradu, et dat pacem ministro, qui ipsum comitaverat, stanti ad dexteram suam; dein sine genuflexione ascendit ad dexteram Celebrantis.

Nota. In Ecclesia Metropolitana datur in Choro pax primum illis qui sunt in stallis superioribus; ab utroque parte datur primo ex diversis Prælatis, si adsint, et primo ex Canonicis; postea datur pax illis qui sunt in stallis inferioribus, incipiendo ab illa parte in qua ultimo data fuit Canonicis; in utraque parte datur primo ex Sacerdotibus, si adsint, dein primo ex Clericis sine distinctione ordinis suscepti.

39. Si non adsint præsentes in Choro, Subdiaconus, statim post acceptam pacem a Diacono, genu dextrum in infimo gradu flectit ad ejus sinistram, dein pacem dat ministro, et ascendit ad dexteram Celebrantis.

Si pax nequidem ministris est danda, statim post acceptam pacem genu dextrum in infimo gradu flectit, et ascendit ad dexteram Celebrantis, advertens ut sinat Diacono prius transire ad sinistram Celebrantis.

40. **Communio.** — Si Subdiaconus jam ascendit ad Celebrantis dexteram ante *Domine, non sum dignus*, cum eo genu dextrum flectit, et corpus mediocriter inclinat ad *Domine, non sum dignus*; non tenetur percutere pectus ad hæc Celebrantis verba (Decret. S. Rituum Congregationis, 30 Decembris 1881, n. 3535, ad 3, antiq. 5830, ad 4); item mediocriter corpus inclinat versus Altare ad sumptionem S. Hostiæ; sed statim ac Celebrans sumpta S. Hostia se erigit, Subdiaconus simul se erigit.

41. Cum Celebrans expandit manus, Subdiaconus dextra manu pallam aufert a Calice, eamque reponit contra gradum; simul cum Celebrante genu dextrum flectit. Inclinat iterum mediocriter corpus versus Altare ad sumptionem Calicis.

42. Accipit in dextera ampullam vini (sinistra ad pectus apposita), et infundit in calicem vinum purificationis. Mox in sinistra accipit ampullam aquæ, et conversus ad Celebrantem, infundit prius vinum, dein aquam, super pollices et indices Cele-

brantis. Quo facto, vertit se per dexteram suam, et reddit ampullas Acolytho. — Quantitas vini pro calicis purificatione ea est, quæ infusa fuit ad Offertorium a Diacono ; pro ablutione vero digitorum, infundit Subdiaconus primo parum vini, dein satis aquæ, circiter in eadem quantitate quam pro purificatione calicis, sed major erit pars aquæ quam vini ; cæterum, ad utramque infusionem, ipse Celebrans pauxillum elevat calicem, cum sufficit utriusque quantitas infusa.

43. Manibus junctis, convertit se per sinistram suam, descendit a suppedaneo per anteriores gradus ad planum in medio ante ultimum gradum, genu dextrum flectit in infimo gradu, et ascendit per anteriores gradus ad cornu Evangelii. — Quantum fieri potest curabit Subdiaconus ut genuflexionem supra dictam in infimo gradu faciat eodem tempore quo Diaconus eamdem genuflexionem facit in secundo seu medio gradu, ubi transit a parte Evangelii ad partem Epistolæ. — Cum stat ante Altare paulum e medio, Subdiaconus, discedente Celebrante ad cornu Epistolæ, sinistra accipit calicem ad nodum, et dextera purificatorium, super os calicis extensum et ab utroque latere dependens, premit digitorum extremitatibus usque ad fundum et in pariete, et pollice contra cuppam exterius. Calicem sinistra paulum elevat, et inclinatum tenet, et mox dextera purificatorium leviter, sed diligenter, bis vel ter per parietes interius et exterius circumducens, parietes cuppæ interiorem et exteriorem exsiccat et mundat, præsertim in ea parte qua sumptiones factæ fuerunt ; congruum quoque erit, hoc facto, purificatorium extrahere, illud a parte opposita, adhuc sicca, iterum intromittere et bis vel ter per parietem circumducere, ut exsiccatio perfecta obtineatur. — Caveat Subdiaconus in hac calicis extersione a nimio brachiorum motu, et nimia eorum extensione. — Mox deponit calicem ad cornu Evangelii super Altare ; utraque manu purificatorium ita extendit super calicem ut ab utraque parte extremitates dependeant ; cochlear, patenam, pallam (quæ omnia e medio Altari desumit, interea dum Celebrans dicit Orationes), dextera imponit calici ; mox ambabus manibus complicat corporale, recondit illud manu dextra in bursam quam apertam tenet sinistra, et eo modo ut fimbria partis ultimo plicatæ sit juxta aperturam bursæ ; relicta bursa super Altare, dextera accipit velum calicis, et mox ambabus manibus illud tenens ad extremitates superiores, eo cooperit calicem, ita ut anterior pars usque ad pedem sit operta ; et mox utraque manu super velum ponit bursam cum apertura versus partem calicis posteriorem, quæ velo cooperta non est. — Si calicis velum, Romano more confectum, ita amplum sit ut totum calicem ab omni parte cooperire possit usque ad pedem, Sub-

diaconus medium veli ponit super pallam, ita ut æqualiter ab omni parte dependeat, et deposita super velum bursa, a parte calicis posteriori replicat velum super bursam.

Corporale, quod dividitur per plicaturas in tres æquales partes, tum in latitudine, tum in longitudine, sequenti modo complicatur : 1° pars anterior complicatur super mediam, 2° pars posterior super anteriorem ; cum ita corporale jam erit triplicatum per latitudinem, 3° pars lateralis quæ est ad manum dextram, seu a parte Epistolæ, complicatur super mediam, 4° pars lateralis quæ est ad manum sinistram super lateralem dextram.

44. Accipit sinistra calicem ad nodum, eo modo ut pars calicis posterior, quæ velo cooperta non est, teneatur versus pectus, dexteramque bursæ imponit, et nulla facta inclinatione, convertit se per dexteram suam, descendit de Altari per gradus anteriores, genu dextrum flectit in medio super gradum infimum, et vadit ad credentiam, super quam deponit calicem, ita ut pars calicis posterior sit posita versus parietem; pars anterior, quæ tota velo cooperta est, versus partem credentiæ anteriorem.

Nota. Si calix, sicut a principio Missæ in Altari potest præparari, ita etiam post Communionem in Altari relinquitur, Subdiaconus, depositis velo et bursa super calicem, hunc sinistra accipit ad nodum, dexteram imponit bursæ, et calicem collocat super medium Altaris, velumque decenter aptat, ita ut calix ab anteriori parte saltem totus sit velatus. Mox, absque ulla reverentia, junctis manibus, descendit per gradus anteriores ad planum retro post Celebrantem et Diaconum.

45. **Postcommunio.** — Subdiaconus manibus junctis redit ad Altare, ante infimum gradum, retro post Celebrantem et Diaconum ; si isti adhuc stant ad cornu Epistolæ, Subdiaconus non genuflectit, non enim accedit ad medium ; alias ad medium accedens genu dextrum in infimo gradu flectit. Stans retro post Celebrantem infra cantum Postcommunionum, observat omnes inclinationes capitis ad diversa nomina, uti præscribuntur supra n. 10 hujus Capitis.

Cantatis Orationibus, Subdiaconus sequitur Celebrantem et Diaconum ad medium Altaris, ibique stat ante infimum gradum, nullam in accessu faciens reverentiam, quia in casu de latere tantum ad medium accedit.

46. **Benedictio, et ultimum Evangelium.** — Si aliud Evangelium est dicendum in fine, quam Initium Evangelii secundum Joannem, Subdiaconus per gradus anteriores ascendit ad cornu Epistolæ dum Diaconus cantat : *Ite missa est*, accipit

Missale, illudque defert ad cornu Evangelii, eodem modo qui supra n. 13 describitur, et deposito Missali, descendit ad eumdem gradum, in quo stat Diaconus, et se convertit ad Altare, ut mox dicetur.

Si Altare haberet plures, puta quinque vel septem gradus, via per planum longior fieret, quam ut tempestive librum ad cornu Evangelii deponere, et debito jam pro benedictione loco genuflectere posset Subdiaconus : cursim quasi procedendum foret, quod dedecet. Ideo in casu, sicut modo ascendit ad cornu Epistolæ per anteriores gradus, ita et deferens librum poterit per eosdem anteriores gradus de cornu Epistolæ descendere ad planum, ibi genu dextrum flectere in infimo gradu, et inde ascendere directe ad cornu Evangelii. — Non poterit tamen, sicut in delatione Missalis pro primo Evangelio (cfr. n. 13), transire retro post Celebrantem per suppedaneum, quia in præsenti casu Diaconus stat in secundo, seu medio gradu, et ideo non decenter posset Subdiaconus genuflexionem omnino requisitam præstare Celebrantem inter et Diaconum.

47. Cantato a Diacono : *Ite missa est,* Subdiaconus respondet : *Deo gratias* ; ascendit ad superiorem gradum ante suppedaneum, e medio versus angulum cornu Evangelii, non vero ante Celebrantem ; utrumque genu in ora suppedanei flectit cum Celebrans dicit : *Benedicat vos* ; inclinat profunde caput cum accipit benedictionem, et Cruce se signat, respondet : *Amen.*

48. Accepta benedictione, assurgit, sequitur Celebrantem ad cornu Evangelii, stat ad ejus sinistram ; respondet Celebranti, et se signat in fronte, ore et pectore (cfr. n. 13) ; si est genuflectendum, genu dextrum flectit versus cornu Evangelii. (Casu quo tabellam Evangelii S. Joannis deberet sustinere ante Celebrantem, non genuflectit.)

49. Lecto Evangelio, Subdiaconus respondet : *Deo gratias* ; Missale claudit si de eo Evangelium lectum fuit, eo modo ut apertura sit versus Altaris medium ; accedit cum Celebrante ad medium Altaris, caput inclinat Cruci, et per suam dexteram conversus, descendit ante infimum gradum simul cum Celebrante et Diacono ; faciem vertit ad Altare, et simul dum Celebrans debitam facit reverentiam, ipse dextrum genu in plano flectit, accipit biretum suum, caputque cooperit, et, junctis manibus, revertitur ad sacristiam, subsequens inferiores ministros, et præcedens Diaconum.

Quæ forsan in via ad sacristiam observari deberent reverentiæ, item salutationes ad clerum in Choro congregatum, exponuntur postea Capite XI, (56, 57).

Ad sacristiæ januam nemo accepta aqua benedicta se

Cruce signat, sicut fieri potest in egressu e sacristia ad Altare.

50. In sacristia, Subdiaconus retrocedit paulum si necesse est, ut Diaconus et Celebrans possint ante eum transire ; ad sinistram Celebrantis consistens, ante Crucem caput discooperit, et inclinat, dein reverentiam facit Celebranti, et sacras vestes exuit, ordine inverso quo ipsas accepit ; osculatur manipulum et amictum, cum illos exuit, antequam eos deponat super mensam. — Pro depositione albæ notare juvat, quod, ut decenter exuatur, primo detrahitur manica e brachio sinistro, dein pars albæ quæ a sinistra est revolvitur super brachium sinistrum, ac ducitur supra caput versus dexteram, ultimoque detrahitur manica e brachio dextro ; tandem assumpta alba utraque manu composite deponitur super mensam.

CAPUT III

DE OFFICIO SUBDIACONI IN MISSA SOLEMNI CUM PRESBYTERO ASSISTENTE

(47) — Conferantur ea quæ de jure, et de consuetudine admittendi in Missa Presbyterum assistentem, dicuntur in Serie V Instructionum, in Appendice I Capitis III, (110). — His prænotatis, ubi igitur Presbyter pluviali indutus assistit Celebranti, sequentia servanda sunt a Subdiacono, et mutanda in Ordine præcripto Capite II, (46), ad numeros respectivos hujus Ordinis.

1. Subdiaconus, in eundo de sacristia ad Altare, subsequitur, ut consueto, ministros inferiores, et præcedit Diaconum ; Presbyter assistens incedit ad sinistram Celebrantis. Ad Altare Subdiaconus se sistit ad sinistram Diaconi. (Celebrans stat in medio, ad ejus dexteram stat Presbyter assistens, ad sinistram ejus stant Diaconus et Subdiaconus.) Caput detegit, accipit biretum Diaconi, illudque una cum suo porrigit ministro, aut deponit in gradu ; et genu dextrum flectit in plano.

7. Dicto Hymno, Subdiaconus genu dextrum flectit, et tendit ad scamnum ad dexteram Diaconi ; ad scamnum cum pervenerit, convertit se versus Celebrantem, stans ad sinistram Diaconi, qui et ipse stat ad sinistram Celebrantis. Cum Celebrans sedet, Subdiaconus sumit biretum in dextera ante pectus, inclinatur paulum ad Diaconum, sedet ad sinistram Diaconi, et caput cooperit.

Nota. Si Presbyter assistens sederet in scabello separato, Subdiaconus uti consueto sedet ad sinistram Celebrantis. (Cfr.

Decret. S. Rituum Congregationis, 15 Aprilis 1899, n. 4018, ad III.)

9. Ubi ad Altare pervenerit, genu dextrum flectit in infimo gradu ad sinistram Diaconi, qui genuflectit ad sinistram Celebrantis; deinde accedit ad medium.

13. Accepta benedictione, Subdiaconus surgit, tradit librum ministro, et manibus junctis accedit ad planum, retro post Celebrantem; in medio genu dextrum flectit, quia in casu, etiamsi sit cum parvula pausa, de uno latere Altaris transit ad aliud (cfr. (42), II); mox cum Celebrans, Evangelium lecturus, ad cornu Evangelii accedit, Subdiaconus ascendit ad sinistram Presbyteri assistentis qui ipse stat ad sinistram Celebrantis; si spatium in suppedaneo non sit sufficiens, Subdiaconus descendit ad penultimum gradum in cornu Evangelii, et ibi stat aliquantum conversus ad Missale.

14. Lecto Evangelio, Subdiaconus non collocat Missale prope medium Altaris, sed immediate assistit, modo consueto, impositioni thuris.

19. Cum Subdiaconus accedit ad sinistram Celebrantis, se sistit inter Celebrantem et Presbyterum assistentem, aliquantum post eos; deinde observat dicta nn. 7 et 9, ut supra.

35. Ascendit ad suppedaneum, inter Celebrantem et Assistentem, aliquantum post illos se sistens.

37. Subdiaconus consueto modo ante infimum gradum pacem accipit a Diacono; qua accepta, genu dextrum flectit in infimo gradu ad sinistram Diaconi, dat pacem Cæremoniario, et ascendit ad dexteram Celebrantis, advertens ut Diacono sinat prius transire ad sinistram Celebrantis.

Nota. I. Auctores qui tradunt regulas servandas in Missa cum Presbytero assistente, præscribunt ut iste det pacem Diacono, Diaconus autem Subdiacono. Modus vero, juxta quem uterque Minister ante infimum gradum Altaris acciperet pacem a Presbytero assistente, ab ullo auctore traditus non noscitur.

Nota. II. Si adsit clerus præsens in Choro, consuetudo apud nos immemorabilis existit quod Presbyter assistens, et non Subdiaconus pacem clero deferat. Ministri sacri in casu pacem accipiunt post clerum. Subdiaconus igitur, postquam Presbyter assistens descendit de Altari, genu dextrum flectit in infimo gradu et ascendit ad dexteram Celebrantis; Presbyter assistens reversus a Choro pacem dat Diacono, qui dein de sinistra Celebrantis accedit ad ejus dexteram, genu dextrum flectit, et pacem dat Subdiacono; Subdiaconus absque genuflexione convertit se ad Diaconum ad suam sinistram accedentem, et pacem accipit, quam immediate absque genuflexione dat Cæ-

remoniario stante ad suam dexteram.— Si forsan jam ampullam vini teneret, eam pro momento reddit Acolytho.

46. Casu quo ultimum Evangelium e Missali esset legendum, non Subdiaconus, sed Presbyter assistens librum transfert ad cornu Evangelii.

48. Ad lectionem ultimi Evangelii, stat ad sinistram Presbyteri assistentis, ut supra n° 13.

49. Lecto Evangelio, Subdiaconus accedit ad medium, ad sinistram Presbyteri assistentis, qui ipse est ad sinistram Celebrantis : caput inclinat Cruci, et per suam dexteram conversus, descendit ante infimum gradum, ad dexteram Presbyteri assistentis. (Assistens et Diaconus locum mutant ante infimum gradum.) Genuflectit Subdiaconus in plano uno genu, ad sinistram Diaconi, accipit biretum Diaconi, quod dextera ei tradit, et suum, ac caput cooperit, et manibus junctis, subsequens inferiores ministros, præcedens Diaconum, revertitur ad sacristiam.

CAPUT IV

DE OFFICIO SUBDIACONI IN MISSA SOLEMNI, IN QUA NON ASSUMIT VELUM HUMERALE

(48) — **Prænotatur** : Auctores liturgici, cum describunt cæremonias servandas in Missa solemni, innixi in textu Missalis, semper supponunt et præscribunt, ut Subdiaconus assumat velum humerale, inde ab Offertorio usque ad *Pater noster*. Praxis tamen nonnullarum ecclesiarum est, ut velum humerale non assumatur a Subdiacono, nisi in majoribus solemnitatibus ; quæ praxis contra rubricas dicenda est : Missale enim unicam exceptionem exprimit, scilicet in Missa solemni de *Requiem* pro Defunctis.

Quomodo in casu se gerere debeat Subdiaconus, sequentia indicant, mutanda ad respectivos numeros Capitis II.

24. Vel calix depositus est in credentia, vel jam ab initio depositus est in Altari.

Si in credentia : Subdiaconus servat dicta n. 24.

25. Subdiaconus ad credentiam sinistra accipit ad nodum calicem, suo velo coopertum (et bursa, si Symbolum dictum non fuit), dexteramque velo (vel bursæ) imponit, et tendit ad Altare. Calicem super Altare deponit, et statim manus jungit, interea dum Diaconus bursam, velum, pallam et patenam amovet.

Si depositus est in Altari calix jam ab initio Missæ : cantato a Celebrante *Oremus,* Subdiaconus ascendit ad suppedaneum, ad dexteram Diaconi, et manibus junctis exspectat, donec Diaconus patenam amoverit.

(Velum calicis a Diacono traditur ministro, ut deferatur ad credentiam ; vel potest etiam relinqui super mensam Altaris, plicatum, extra corporale, ad cornu Epistolæ.

Subdiaconus servat quæ præscribuntur nn. 26, 27.

28. Reddita ampulla Acolytho, Subdiaconus, per sinistram conversus, manibus junctis descendit ante infimum gradum Altaris, genu dextrum flectit in medio gradus, et ascendit ad sinistram Celebrantis. Ibi assistit impositioni thuris, et thurificationi oblatorum, et Altaris, ut præscribitur nn. 3 et 4, advertens ut etiam elevet casulam infra incensationem oblatorum.

Dum Celebrans a Diacono incensatur, Subdiaconus stat ad sinistram Diaconi ; facta capitis inclinatione ad Celebrantem postquam hic incensatus fuit, Subdiaconus mox discedit, et stat ante gradus Altaris ante cornu Epistolæ retro post Celebrantem ; ibi stans incensatur a Diacono, facta ante et post incensationem parva capitis inclinatione ad Diaconum ; cum Celebrans lotis manibus accedit ad medium Altaris, Subdiaconus etiam accedit ad Altaris medium in plano ante gradus Altaris, et nulla facta reverentia ibi stat.

Nota. Quod Subdiaconus non assumpserit velum humerale, non est ratio cur non incensarentur Ministri sacri ; in solis Missis de *Requiem* præscribit Rubrica quod præter Celebrantem nemo incensatur. (Cfr. Ritus celebrandi Missam, Tit. XIII, n. 2.)

29. Celebranti respondet Subdiaconus ad *Orate fratres.*

30. Omittitur, quia supra, nº 28 hujus Capitis, de hoc agitur.

31. In fine Præfationis, Subdiaconus ascendit ad Altare, ad sinistram Celebrantis, corpore mediocriter inclinatus recitat cum Celebrante Trisagion *Sanctus,* et cum dicit *Benedictus, etc.,* se erigit. et Cruce se signat (cfr. (2), l. 1). Dextera manu mox vertit folia, et indicat Celebranti initium Canonis. Deinde, conversus per suam dexteram, descendit ante infimum gradum, et stat retro post Celebrantem.

32. Ad Orationem Canonis *Quam oblationem,* cum Celebrans signat oblata, Subdiaconus absque ulla reverentia per planum accedit ad cornu Epistolæ, et genuflectit utroque genu in angulo anteriori infimi gradus ; accipit thuribulum a Thuriferario, et, tamquam dignior minister, triplici ductu incensat Sacram Hostiam, et deinde similiter Calicem ; scilicet, primo ductu, cum Celebrans genuflexus adorat Sacramentum, secundo ductu, cum Sacram Hostiam, aut Calicem elevat, tertio tandem ductu, cum iterum genuflexus adorat ; profundam capitis incli-

nationem facit Subdiaconus ante primum et post tertium thuribuli ductum, pro utraque specie.

Pro incensatione advertat Subdiaconus, ut in singulo ex tribus ductu thuribuli hoc vibretur duplici ictu. (Cfr. Series I, Caput II, (5), 25, Nota, ubi describitur quo modo actus thurificationis peragitur.)

Non est Subdiaconi pro hac incensatione thus imponere in thuribulum : hoc enim fieri debet, vel a Cæremoniario, vel ab aliquo Acolytho. (Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. XI, n. 8.)

Reddito post Elevationem thuribulo, Subdiaconus surgit, et iterum accedit ad medium Altaris, retro post Celebrantem ; in accessu genu dextrum flectit. (Decret. S. Rituum Congregationis, 9 Junii 1899, n. 4027, ad 2 et 3, quod refertur supra (42), II.)

Nota. In quibusdam ecclesiis, Subdiaconus, ad Orationem *Quam oblationem*, ascendit ad superiorem gradum Altaris, ubi genua flectit a tergo Celebrantis, paulum a parte Evangelii ; profunde inclinatur cum Celebrans profert verba Consecrationis ; et planetam dextera sustollit, sinistra interim pectori apposita, dum Celebrans genuflectit, Sacram Hostiam aut Calicem elevat, et iterum Sacramentum adorat. Dein assurgit, et ad locum suum redit ante infimum gradum. — Melius agit Subdiaconus, si incensat ut supra n. 32 exponitur.

32. Infra Orationem *Supplices*, ad verba *omni benedictione*, non tenetur Subdiaconus se signare Cruce, cum id facit Celebrans ; neque ad verba *Nobis quoque peccatoribus*, pectus dextera percutere tenetur. (Decret. S. Rituum Congregationis, 30 Decembris 1881, n. 3535, ad 3, antiq. 5830, ad 4.)

Genu dextrum flectit in infimo gradu, quoties Celebrans ante *Pater noster* genuflectit.

33. Infra cantum *Pater noster*, non ascendit ad suppedaneum.

34. Omnia servantur ut præscribuntur Capite II, (46).

CAPUT V

DE OFFICIO SUBDIACONI IN MISSA SOLEMNI ANTE SS. SACRAMENTUM EXPOSITUM

(49) — **Prænotatur** I : Si SS. Sacramentum jam est expositum in Altari, Subdiaconus, quamprimum exiens e sacristia venerit in conspectum SS. Sacramenti, et priusquam Cappellam Expositionis ingrediatur, caput detegit, biretumque tradit ministro. Ad Altare, omnes simul in plano, ante Altaris infimum gradum, genuflectunt utroque genu, cum capitis profunda in-

clinatione. – Hæc prima genuflexio fit in plano, utroque genu, et cum capitis inclinatione ; item ultima post Missam ; reliquæ vero, per totam Missam, fiunt in infimo gradu, uno genu, sine capitis inclinatione. (Cfr. (42), III, Nota.)

Si SS. Sacramentum immediate ante Missam exponitur, egressus e sacristia, et accessus ad Altare fiunt consueto modo. Subdiaconus observat ea quæ dicuntur in Instructione de Expositione et Repositione SS. Sacramenti, quæ traditur infra, Capite X, (55). Post incensationem, reddito thuribulo, Celebrans et Ministri assurgunt, et antequam incipiunt preces Missæ, genuflectunt uno genu in infimo gradu Altaris.

Prænotatur II : Exposito SS. Sacramento, omittuntur semper quæcumque salutationes ad clerum in Choro præsentem ; non autem omittuntur illæ reverentiæ quæ potius ritus quam honoris causa præstantur, ex. gr., ad incensationem, ad pacem, etc. — Omnes oculorum elevationes, et capitis inclinationes, et genuflexiones, quæ alias ad Crucem Altaris diriguntur, ad SS. Sacramentum dirigi debent.

Prænotatur III : Juvat animadvertere quod, ubi in Decreto S. Rituum Congregationis, 9 Junii 1899 (n. 4027, descripto supra (42), II), agitur de genuflexionibus præstandis Sacramento exstante vel non exstante « super Altari » : hæc distinctio spectat ad diversas ejusdem Missæ partes, non vero ad præsentem casum Missæ coram SS. Sacramento exposito celebratæ (ut ibidem (42) in Nota 2ª jam dictum fuit) ; et ideo, inde a Consecratione ad Communionem, Sacramento exstante super Altare, id est, super Altaris mensam, omnes genuflexiones fiunt uti in qualicumque Missa solemni, nulla habita ratione SS. Sacramenti in throno super Altare expositi : ante Consecrationem vero et post Communionem, Sacramento nondum, vel non amplius exstante super Altaris mensam, Subdiaconus observabit omnes genuflexiones uti sunt pro aliis Missis præscriptæ ; sed insuper, ratione SS. Sacramenti in throno expositi, genuflexionem simplicem dextri genu præstare debet Subdiaconus, quoties ad Altaris medium accedit, vel de Altaris medio recedit.

Prænotatur IV : Describitur in sequentibus ritus servandus juxta illum quem proponunt « *Commentaria ad Instructionem Clementis XI pro Expositione SS. Sacramenti in forma XL Horarum* », quæ Commentaria S. Rituum Congregatio ad instar Appendicis adjunxit suæ Decretorum Collectioni, anno 1900 (Vol. IV). De Missa coram SS. Sacramento exposito celebranda agitur in his Commentariis § XXX. (Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, QQ. 307-318.)

Servabit Subdiaconus in hac Missa omnia quæ præscribun-

tur pro Missa solemni, exceptis quæ inferius notantur mutanda ad respectivos numeros Capitis II, (46).

3. Dicto a Celebrante *Oremus,* Subdiaconus, absque ulla genuflexione, junctis manibus, ascendit ad suppedaneum, et simul cum Celebrante ibi genu dextrum flectit. Cum Celebrans Altare osculatus erit, ipse et Ministri non genuflectunt, sed statim convertunt se ad Thuriferarium, paulum e medio Altaris recedentes (Subdiaconus humeris conversis ad cornu Evangelii, facie versa ad partem Epistolæ). Cum Celebrans incensum benedixit, Subdiaconus cum Celebrante, absque prævia genuflexione, descendit ad penultimum gradum Altaris, et simul cum Celebrante et Diacono genuflectit utroque genu, in suppedanei anteriore extremitate, ad sinistram Celebrantis.

4. Celebrans, accepto thuribulo, una cum Ministris facit profundam capitis inclinationem. Subdiaconus, sinistra pectori apposita, dextera elevat casulam, dum Celebrans SS. Sacramentum incensat; deinde, manibus junctis, capitis inclinationem renovat, assurgit, ascendit ad suppedaneum, genu dextrum flectit, parum recedit post sinistram Celebrantis, et elevat dextera planetam; Altaris thurificatio fit consueto modo, in quantum spectat ad Subdiaconum pro genuflexionibus præstandis. Celebrans cum incensatur, stat in plano ad cornu Epistolæ, facie versa ad populum; Subdiaconus stat ad sinistram Diaconi, conversis humeris ad populum, et cum eo facit parvas capitis inclinationes, ante et post incensationem Celebrantis.

6. Accedens ad Altaris medium, Subdiaconus genu dextrum flectit in infimo gradu.

Nota. Quando post *Kyrie eleison* dicendæ sunt Orationes cum Prophetiis (cfr. Caput II, (46), n. 6°, Nota I), genuflexio præscripta ad verba *Flectamus genua* fieri debet more solito ante Missale et versus Missale, non versus SS. Sacramentum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 18 Februarii 1843, n. 2859, antiq. 4962.)

7. Cum Celebrans intonat hymnum *Gloria,* ad verbum *Deo* Subdiaconus caput profunde inclinat, deinde genu dextrum flectit, et ascendit ad sinistram Celebrantis.

Accessus ad scamnum fit, ut alias, per breviorem viam. (Decret. S. Rituum Congregationis, *Colimen.,* 12 Julii 1901, ad 6; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 462.)

Neque Celebrans neque Ministri bireto utuntur, et per totum hymni cantum manus junctas ante pectus tenent.

10. Cum Celebrans, antequam se convertit ut dicat: *Dominus vobiscum,* genuflectit, Subdiaconus etiam genu dextrum flectit in infimo gradu, hancque genuflexionem repetit, cum Celebrans, mox ad Altare conversus, iterum genuflectit, ante-

quam discedat ad cornu Epistolæ; deinde sequitur Subdiaconus Celebrantem ad cornu Epistolæ.

13. Subdiaconus transfert librum Missalem ad cornu Evangelii eodem omnino modo quam alias; itaque genuflexionem consuetam præstat in medio tantum, non vero in utroque latere.

14. Infra lectionem Evangelii a Celebrante, inclinatio facienda cum pronuntiatur nomen *Jesu*, fit versus SS. Sacramentum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 30 Novembris 1895, n. 3875, ad 4.)

Lecto Evangelio, Celebrans non movebitur loco, sed extra medium Altaris manens, convertit se ad Thuriferarium, ut ponat incensum in thuribulo. Incenso benedicto, Celebrans cum Ministris accedit ad medium Altaris, et omnes genu dextrum flectunt. Deinde Subdiaconus, conversus per dexteram suam, descendit ante gradus Altaris.

19. Cum Celebrans intonat Symbolum, ad verbum *Deum* Subdiaconus caput profunde inclinat, deinde genu dextrum flectit, et ascendit ad sinistram Celebrantis. Cfr. dicta n. 7.

24. Cum Celebrans, antequam se convertit ut dicat *Dominus vobiscum*, genuflectit, Subdiaconus etiam genu dextrum flectit in infimo gradu; similiter genuflectit cum Celebrans, mox ad Altare conversus, iterum genuflectit, antequam dicat: *Oremus*; deinde, facta capitis profunda inclinatione ad verbum *Oremus*, Subdiaconus iterum genu dextrum flectit in infimo gradu, et discedit ad credentiam.

28. Subdiaconus accepta patena a Diacono, antequam descendat non debet genuflectere in suppedaneo, sed tantum genuflectat cum descenderit ante infimum gradum Altaris, uti consueto.

Subdiaconus sustinens patenam non debet genua flectere, quando Celebrans genuflexus thurificat SS. Sacramentum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 11 Februarii 1764, n. 2474, antiq. 4322.)

30. Cum incensatur a Diacono, Subdiaconus prius genu dextrum flectit, dein paulum recedit e medio Altaris, ad partem Evangelii, se ad Diaconum convertens; et ubi incensatus est, iterum accedit ad medium, se convertens ad Altare, et genu dextrum flectit.

32. Inde a Consecratione usque ad Communionem, Subdiaconus observat omnia ut præscribuntur nn. 32 ad 41, intendens unice præsentiam SS. Sacramenti depositi in mensa Altaris.

42. Purificatione calicis sumpta, Celebrans genu dextrum flectit priusquam accedat ad cornu Epistolæ pro digitorum ablutione; cum Celebrante genu dextrum flectit Subdiaconus,

et parum recedit versus cornu Epistolæ, ubi vinum et aquam modo consueto infundit super digitos Celebrantis. (Cfr. Tractatus de Celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 312, Nota.)

44. Subdiaconus non debet genuflectere in suppedaneo antequam cum calice descendat, sed faciet uti in aliis Missis.

47. Cum Celebrans dicit Orationem : *Placeat, etc.*, Subdiaconus genu dextrum flectit in infimo gradu, priusquam ascendat ad suppedaneum pro benedictione.

48. Si est genuflectendum infra ultimum Evangelium, ex. gr., ad verba : *Et Verbum caro factum est,* genu dextrum flectit Subdiaconus, aliquantum ad SS. Sacramentum conversus. (Decret. S. Rituum Congregationis, 30 Novembris 1895, n. 3875, ad 4.)

49. Lecto ultimo Evangelio, Subdiaconus accedit cum Celebrante ad medium Altaris, genu dextrum flectit, et per suam dexteram conversus, descendit ante infimum gradum Altaris ; faciem convertit ad Altare.

Si SS. Sacramentum remanet expositum, Subdiaconus una cum Celebrante genuflectit in plano, utroque genu, cum profunda capitis inclinatione ; quo facto, ad sacristiam revertitur ; cum extra conspectum SS. Sacramenti pervenit, accipit a ministro biretum, et simul cum Celebrante et Diacono caput cooperit.

Si vero repositio, aut Processio fiat statim finita Missa, tunc post lectum Evangelium, Subdiaconus ascendit ad medium cum Celebrante, genu dextrum flectit in suppedaneo, et cum Celebrante directe tendit per gradus laterales a parte Epistolæ ad scamnum ; ibi ipse deponit manipulum, et ibi Celebrans accipit pluviale. Revertitur tunc Subdiaconus cum Celebrante per planum ante medium Altaris, ad sinistram Celebrantis, dextra manu elevans pluvialis fimbriam, sinistra ad pectus posita ; genuflectit cum Celebrante utroque in genu in plano, et caput profunde inclinat ; assurgit, et mox, sine capitis inclinatione utroque genu in infimo gradu genuflectit. Servat deinde dicta pro repositione SS. Sacramenti, infra, Capite X, (55).

Nota. I. Supra descriptum modum agendi, in casu repositionis, aut Processionis post Missam, proponunt Commentaria in quarto Prænotato hujus Capitis laudata. Nuper vero hac super re prodiit sequens Decretum S. Rituum Congregationis : Ad dubium : « An post Missam solemnem, qua finita, benedictio cum SSmo Sacramento datur, dum Celebrans et Ministri recedunt ab Altari ad scamnum in cornu Epistolæ, ut ibi Celebrans exuat casulam et manipulum induatque pluviale, ac Ministri manipulos deponant, debeant coram SSmo Sacramento discooperto in ipso Altari, ubi Missa celebrata est, in

plano utroque genu flectere, aut unico genu in gradu infimo Altaris? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Juxta praxim Ecclesiarum Urbis in plano utroque genu flectitur. » (Decret. 24 Novembris 1899, n. 4048, ad 5.)

Nota. II. Non licet Celebranti, benedictionem in fine Missæ daturo cum SS. Sacramento exposito, retinere casulam cum manipulo ; sed debet assumere pluviale. (Decret. S. Rituum Congregationis, 6 Februarii 1892, n. 3764, ad 8.)

CAPUT VI

DE OFFICIO SUBDIACONI IN MISSA SOLEMNI PRO DEFUNCTIS, ET IN ABSOLUTIONE

A. In Missa solemni

(50) — Servabit Subdiaconus in hac Missa omnia quæ præscribuntur Capite II, (46), pro Missa solemni, exceptis quæ sequuntur, ad respectivos prædicti Capitis numeros mutanda.

2. Ante Confessionem non dicitur Psalmus *Judica*, sed dicta Antiphona : *Introibo ad altare Dei*, et responso a Ministris : *Ad Deum etc.*, dicitur ℣. *Adjutorium*, et *Confessio*, cum reliquis.

3. Dicto a Celebrante : *Oremus*, cum Celebrans ascendit ad suppedaneum, Subdiaconus remanet in plano, et se sistit in medio, retro post Celebrantem et Diaconum. Omittitur Altaris incensatio. Cum Celebrans Altare osculatus est, Subdiaconus, absque ulla reverentia, cum Celebrante et Diacono accedit ad latus Epistolæ, se sistens ut alias ad Introitum (n. 5) ; non se signat, quando Celebrans incipit legere Introitum. Alternatim deinde cum Celebrante recitat *Kyrie eleison*. Servantur deinde dicta ad nn. 6, 10, 11 ; omissis quæ traduntur nn. 7, 8, 9.

12. Epistola cantata, Subdiaconus claudit librum, defert ut ante, et facit iterum genuflexionem consuetam Altari in medio ; redit ad locum suum, ante infimum gradum, a parte Epistolæ, retro post Celebrantem et Diaconum, et reddit librum Cæremoniario, vel Acolytho. Cum Celebrans absolverit lectionem Sequentiæ *Dies iræ*, Subdiaconus, una cum Celebrante caput profunde inclinat versus Crucem Altaris (cfr. (46), n. 12, Nota III), convertit se per dexteram suam, et directe tendit ad scamnum, ubi servat omnia quæ pro sessione præscribuntur n. 7. Circa finem cantus Sequentiæ (puta ad Stropham *Inter oves locum præsta*), Celebrans et Ministri redeunt de scamno ad Altare, non per gradus anteriores, sed per viam brevio-

rem a parte Epistolæ (cfr. (46), n. 12, Nota III) ; itaque Subdiaconus, postquam ascenderint Celebrans et Diaconus, ascendit ipse per gradus laterales ad Altare ; ibi, nulla facta reverentia, accipit Missale cum legili, et observat quæ præscribuntur n. 13.

Quoad hanc regulam pro sessione ante Evangelii lectionem, conferantur ea quæ dicta sunt in Serie II Instructionum, de Officio Cæremoniarii, Capite V, § 1, (23), n. 7, in Nota.

14. Lecto Evangelio, Celebrans accedit ad medium Altaris ; Subdiaconus collocat Missale prope medium Altaris, et item accedit ad medium manibus junctis ; mox conversus per dexteram suam, descendit ante gradus Altaris, et ibi stat, facie ad Altare conversa, aliquantum versus partem Evangelii.

Observat præscripta n. 15.

16. Absoluto cantu Evangelii, Subdiaconus non defert librum Evangeliorum ad Celebrantem, sed statim illum claudit et tradit eum ministro ; deinde, manibus junctis, accedit ad medium ante Altaris infimum gradum, et genu dextrum flectit in eodem gradu.

Omittuntur dicta nn. 17 ad 23.

24. Ad Offertorium, cum in Missis de *Requiem* Subdiaconus non assumat velum humerale, neque teneat patenam (Ritus celebrandi Missam, Tit. XIII, n. 2), servat omnia inde ab Offertorio usque ad *Pater noster,* quæ præscribuntur Capite IV, (48), harum Instructionum, excepto quod sequitur pro n. 27.

Nota. In plerisque nostris ecclesiis, occasione exsequiarum, in Missa fiunt oblationes a fidelibus : vetustissimus est usus, monumentum et imitatio antiqui ritus. Attamen, « usum oblationum in Missis temporibus nostris non habet Ecclesia Romana, nisi in Consecrationibus Episcoporum, Benedictionibus Abbatum, Ordinationibus, et similibus » (Decret. S. Rituum Congregationis, 31 Julii 1665, n. 1322, ad 17, antiq. 2345, ad 18) ; insuper multi abusus et defectus in his oblationibus accipiendis irrepserunt. Omissis variis, duos abusus hic locus est signare :

1°. In quibusdam ecclesiis oblationes accipiuntur immediate ante vel post incensationem oblatorum. Debent oblationes fieri postquam Celebrans legit Offertorium, antequam calix detegatur. (Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 306, 5.)

2°. Quando major est numerus accedentium, non raro Celebrans, acceptis primis oblationibus, cessat, et accipere continuat tunc Diaconus ; sed et Subdiaconus cum Celebrante ad Altare accedens, ad Offertorium, et per notabilem quandoque Missæ partem, absente ad Altare Diacono, fungitur officio Diaconi simul et Subdiaconi. Intolerabilis et damnandus est hujusmodi abusus. Si, Celebranti non placet omnes oblationes

accipere, oportet omnino ut accedat tunc alius Sacerdos, superpelliceo indutus, qui incœptum opus perficiat ; sed neque Diacono, neque etiam Subdiacono id facere licet, relicto proprio ad Altare officio.

Hanc antiquissimam oblationum consuetudinem abrogare aut negligere, si non licet Parocho, nisi auditis Superioribus, et suadente tantum gravissima causa, ipsius tamen absque dubio officium est, abusus eliminare qui liturgico sensui contrarii omnino sunt.

27. Non benedicitur aqua in calicem mittenda ; itaque tradita Diacono ampulla vini, Subdiaconus accipit sinistra ampullam aquæ, et statim dextera, mediante cochleari, extrahit aquam quam infundit in calicem.

28. Solus Celebrans in hac Missa incensatur ; quo a Diacono facto, Subdiaconus accedit ad planum ante gradus anteriores Altaris a parte Epistolæ, retro post Celebrantem et Diaconum, et ibi stat conversus ad Altare, dum Celebrans manus lavat ; cum Celebrans, lotis manibus, accedit ad medium, Subdiaconus etiam accedit ad medium ante gradum inferiorem ; ibi nullam facit reverentiam.

32. Subdiacono expresse præscribitur infra Missam de *Requiem* incensare Sacram Hostiam et Calicem (Ritus celebrandi Missam, Tit. XIII, n. 2) ; itaque consuetudo quarumdam ecclesiarum pro Missis quæ non sunt de *Requiem*, de qua in Nota ad hunc numerum Capite IV (48), nullo modo admitti potest pro Missis de *Requiem*. — Cæterum servabit Subdiaconus pro incensatione modum agendi ibidem præscriptum ; et cum post Elevationem accedit ad locum suum ante gradus Altaris, in medio infimi gradus genu dextrum flectet, quemadmodum expresse præscribitur per Decretum S. Rituum Congregationis, 9 Junii 1899, ibi citatum.

35. Recitat Subdiaconus ter *Agnus Dei*, cum clausulis *dona eis requiem* ; ultimo addit: *sempiternam*. Non percutitur pectus, sed manus junctæ ante pectus tenentur.

36. Dicto *Agnus Dei*, Subdiaconus genu dextrum flectit ad sinistram Celebrantis, et per dexteram suam conversus, descendit ad penultimum gradum, ut possit Diaconus transire ipsum inter et Celebrantem, et transit ad Celebrantis dexteram, ubi iterum genu dextrum flectit.

Omittuntur dicta nn. 37 ad 39.

40. Genu dextrum flectit Subdiaconus cum Celebrante, mediocriter corpus inclinat ad *Domine non sum dignus*, et servat omnia præscripta usque ad n. 45.

Omittuntur dicta n. 46.

47. Cantato a Diacono : *Requiescant in pace*, Subdiaconus

remanet in loco suo, et cum Celebrans, dicta Oratione *Placeat*, accedit ad cornu Evangelii, ut dicat ultimum Evangelium, Subdiaconus absque ulla reverentia ascendit prope Celebrantem, stat ad ejus sinistram, et servat dicta n. 48.

Si post Missam fieri debet Absolutio, dicto Evangelio, Subdiaconus accedit cum Celebrante ad medium Altaris, et ibi genu dextrum flectit ad Crucem ; mox cum Celebrante directe tendit ad scamnum a latere Epistolæ, et ibi deponit manipulum. Servatur deinde ritus præscriptus pro Absolutione, ut explicatur in subsequenti Sectione B hujus Capitis.

B. In Absolutione

(51) – **Absolutio post Missam** pro Defunctis peragitur : vel 1° super cadaver ; vel 2°, absente cadavere, super tumulum in ecclesia erectum ; vel 3°, absente cadavere, prope Altare, super extensum in pavimento ante gradus Altaris aliquem pannum nigrum.

I. Absolutio super cadaver, seu super feretrum. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, QQ. 270, 273.)

1. Lecto ultimo Evangelio, Subdiaconus accedit cum Celebrante ad medium Altaris, et flectit genu dextrum ad Crucem Altaris ; descendit cum Celebrante et Diacono ad scamnum a parte Epistolæ, et ibi deponit manipulum, cujus Crucem osculatur.

2. Cum Celebrans indutus est pluviali, Subdiaconus accedit ad credentiam, et accipit a ministro Crucem processionalem ; medius inter Acolythos procedit ante medium Altaris ad ingressum presbyterii ; et mox sine ulla reverentia convertit se versus ecclesiam, et passu gravi accedit ad caput cadaveris (scilicet, inter portam ecclesiæ et tumulum, si fuerit cadaver laici, incedens per cadaveris sinistram, seu per partem Evangelii ; — inter Altare et tumulum, si fuerit cadaver Sacerdotis) ; consistit ad extremitatem tumuli, relinquens spatium sufficiens ut possit Celebrans circumire tumulum, et ibi subsistit usque ad finem Absolutionis ; Crucis pedem poterit in pavimento reponere, utraque tamen manu eam semper tenebit.

3. In Officio Sepulturæ, Subdiaconus post Absolutionem portat Crucem medius inter Acolythos in processione ad locum sepulturæ ; ipsum præcedunt thuriferarius, et minister cum vasculo aquæ benedictæ, sequitur clerus ; cum ad locum sepulturæ pervenerit, iterum se sistit ad caput cadaveris, usque ad finem.

4. Post Officium Sepulturæ, omnes revertuntur ad ecclesiam,

et ad sacristiam, recitantes preces ultimas, ut infra n. 5 dicitur; Subdiaconus iterum præibit, portans Crucem inter Acolythos, et per viam breviorem redibit ad sacristiam, nullam faciens in ecclesia reverentiam. Ad sacristiam deponit Crucem, et mox simul cum Celebrante sacra exuit indumenta.

5. In itinere a sepulchro ad sacristiam dicuntur preces ultimæ ad suffragium omnium fidelium defunctorum ; Subdiaconus cum reliquis de clero respondet ad istas preces, quæ infra in Nota indicantur.

Nota. Preces dicendæ post sepulturam (aut post Absolutionem defunctorum ad tumulum, excepto die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum), sunt sequentes :

Celebrans sine cantu dicit Antiphonæ verba : *Si iniquitates* ; deinde a Celebrante et iis qui ipsum comitantur recitatur Psalmus : *De profundis*, alternatim, sine cantu. In fine dicitur ℣. *Requiem... eis*, in plurali, et ab omnibus repetitur Antiphona integra : *Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?*

Subjunguntur dein sequentes preces, alternatim a Sacerdote et clero dictæ : *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster,* secreto. ℣. *Et ne nos...* ℟. *Sed libera...* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue, Domine, animas eorum.* ℣. *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.* ℣. *Domine, exaudi...* ℟. *Et clamor...* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Et Sacerdos dicit : *Oremus*, et Orationem : *Fidelium, Deus, omnium conditor etc.* ℟. *Amen.* Post Orationem Sacerdos dicit alternatim cum clero : ℣. *Requiem æternam dona eis, Domine.* ℟. *Et lux perpetua luceat eis.* ℣. *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.*

(Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 273, nn. 7, 8, 9.)

II. Absolutio super tumulum in ecclesia erectum. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 287.)

1. Subdiaconus eadem observabit quæ supra, pro supposito I, ad nn. 1 et 2 præscribuntur ; animadvertitur quod, absente cadavere, semper Subdiaconus se sistit inter portam ecclesiæ et tumulum, etiamsi Officium celebretur pro Sacerdote. (Decret. S. Rituum Congregationis, 20 Junii 1899, n. 4034, ad 3.)

2. Post Absolutionem, nempe cum Celebrans post Orationem dicit ℣. *Anima ejus, etc.*, Subdiaconus recedit per partem Epistolæ a tumulo, et accedit ad planum ante Altare, non in medio, sed a parte Epistolæ, ubi stat Celebrans ; — si vero sacristia est a parte Evangelii, accederet per partem Evangelii — ; mox, absque ulla reverentia, lente procedit portans Crucem medius inter Acolythos ad sacristiam.

3. Subdiaconus cum reliquis de clero respondet Celebranti ad preces quæ dicuntur ad suffragium omnium fidelium defunctorum, dum revertuntur ad sacristiam. (Istæ preces describuntur supra in Nota ad I ; omittuntur, sicut et ℣. *Anima ejus, etc.*, in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum.) Subdiaconus deponit Crucem et exuit sacra paramenta postquam istæ preces fuerint dictæ.

III. Absolutio super pannum, ante Altaris gradus extensum. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 288.)

1. Deposito post Missam ad scamnum manipulo, Subdiaconus simul cum Celebrante per gradus laterales a parte Epistolæ ascendit ad suppedaneum, absque ulla reverentia, ibique in cornu Epistolæ consistit ad sinistram Celebrantis, manibus ante pectus junctis.

2. Cum Celebrans imponit incensum in thuribulo, Subdiaconus accedit ad ejus dexteram, et tenet fimbriam pluvialis elevatam usque dum Celebrans incensum benedixerit ; dein iterum convertitur ad Altare ad sinistram Celebrantis.

3. Postquam Celebrans, remanens in cornu Epistolæ, et adhuc conversus ad Missale cantaverit *Pater noster*, Subdiaconus aliquantulum recedit retro a Celebrante ut hic et Diaconus possint transire ad Altaris medium, et accedens ad Celebrantis dexteram, convertitur per sinistram suam ad pannum extensum ante gradus Altaris, et stat manibus junctis, humeris conversis ad Altare, ad Celebrantis sinistram, interea dum Celebrans aspergit, et thurificat pannum ; quo facto, convertitur per eamdem viam simul cum Celebrante ad Altare, et stat ad dexteram Celebrantis, recedens mox paululum ab Altari, ita ut Celebrans et Diaconus possint transire, iterum se sistit ad sinistram Celebrantis stantis ante librum ad cornu Epistolæ.

4. Subdiaconus stat manibus junctis interea dum Celebrans cantat Versus et Orationem. Antequam Celebrans post Orationem cantat ℣. *Requiem æternam etc.*, ipse et Ministri, remanentes in cornu Epistolæ, convertunt se ad pannum, nulla facta reverentia ; Subdiaconus convertit se per sinistram suam, et cum Celebrans, interea dum dicit hunc Versum, facit signum Crucis versus pannum, Subdiaconus sinistra elevat fimbriam dextram pluvialis Celebrantis ; quo facto, omnes per eamdem viam se convertunt iterum ad Missale in cornu Epistolæ.

5. Postquam Celebrans dixit Versum : *Anima ejus, etc.*, Subdiaconus cum Celebrante accedit ad medium Altaris, caput inclinat Cruci, et convertens se per dexteram suam, descendi de Altari ; conversus ad Altare, ante infimum gradum genu

dextrum flectit in plano, et discedit ad sacristiam, ad sinistram Celebrantis, cooperto capite, tenens dextera fimbriam pluvialis Celebrantis, sinistra pectori apposita.

6. Dum omnes revertuntur ad sacristiam, statim post reverentiam Altari factam, Celebrans incipit, et cum eo Ministri sacri alternatim dicunt preces ad suffragium omnium fidelium defunctorum. — Istæ preces omittuntur in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, sicut et Versus : *Anima ejus, etc.*, de quo supra ad 5. — Preces terminantur in sacristia : eis absolutis, et non prius, omnes deponunt sacra paramenta.

CAPUT VII

OBSERVANDA A SUBDIACONO AD CONCIONEM POST EVANGELIUM

(52) — 1. Postquam Diaconus, cantato Evangelio, incensavit Celebrantem, et accessit ad gradum infimum Altaris paulo extra medium a parte Epistolæ, accedit Subdiaconus ante eumdem gradum infimum paulo extra medium a parte Evangelii, ad sinistram Diaconi ; cum Diacono genu dextrum flectit in infimo gradu ; et dum Celebrans de suppedaneo descendit directe ad scamnum, Subdiaconus, sequens Diaconum, per planum accedit ad scamnum, et sistit ad sinistram Celebrantis.

2. Si Celebrans concionem habet, Subdiaconus ad scamnum stat, usque dum Celebrans exuerit manipulum et casulam, ac recesserit ab Altari ad cathedram ; dein simul cum Diacono sedet in scamno, et caput cooperit : vel cooperto capite, et manibus ante pectus junctis, accedit ad locum præparatum ubi concionem erit auditurus, ibique sedet ad sinistram Diaconi.

3. Si alius concionator sermonem habet, Subdiaconus sedet ad sinistram Celebrantis, vel in scamno, vel in alio loco ad audiendam concionem præparato.

4. Caput detegit Subdiaconus, cum fit signum Crucis, et enuntiatur sacer textus concionis, ac quoties proferuntur sacra nomina *Jesu* et *Mariæ*.

5. Post concionem, Subdiaconus simul cum Diacono accedit ad scamnum, si in alio loco concionem audierit ; et adveniente Celebrante, stans capite detecto, exspectat donec hic casulam et manipulum assumpserit ; dein accedunt omnes ad Altare per planum ; ante Altare, in infimo gradu genu dextrum flectit Subdiaconus, et mox stat in loco suo ante infimum gradum, retro post Diaconum.

6. Si Celebrans concionem non habuerit, hac terminata,

Subdiaconus cum Celebrante et Diacono de scamno, vel de loco quem occupavit, accedit ad planum ante Altare, et facit ut supra.

CAPUT VIII

DE OFFICIO SUBDIACONI IN MISSA SOLEMNI CUM PLANETA PLICATA

(53) - Quibus diebus usuveniant Planetæ plicatæ, exponitur in Rubricis generalibus Missalis Romani, Tit. XIX, n. 6.

Cfr. Tractatus de Celebratione Missæ, Q. 137.

1. Subdiaconus, cum Celebrans incipit cantare ultimam Orationem ante Epistolam, ad signum Cæremoniarii accedit absque ulla reverentia ad scamnum, et ibi deponit Planetam; revertitur ad locum suum retro post Diaconum aut Celebrantem, et accipit a ministro librum Epistolarum. Pro cantu Epistolæ consuetus ordo servatur.

2. Cantata Epistola, accipit benedictionem a Celebrante, reddit librum ministro, et mox accedit ad scamnum, et resumit Planetam: dein a scamno directe accedit ad Altare, ut deferat Missale ad cornu Evangelii.

CAPUT IX

DE OFFICIO SUBDIACONI IN MISSA SOLEMNI AD CLERI POPULIQUE COMMUNIONEM

(54) - 1. Post sumptionem S. Sanguinis, Subdiaconus dextera pallam ponit super Calicem; dein genu dextrum flectit simul cum Diacono, quocum locum mutat, transit ad sinistram Celebrantis, et iterum genu dextrum flectit.

2. Cum Diaconus detegit Pyxidem, Subdiaconus iterum genu dextrum flectit simul cum Celebrante; deinde discedit ad cornu Evangelii, descendens si necesse fuerit de suppedaneo, in gradum superiorem, ut liceat Celebranti stare ad partem Evangelii extra medium Altaris; et stat conversus ad medium Altaris.

Nota. Si Pyxis inclusa est in Tabernaculo, Diaconus aperit Tabernaculum, et statim Subdiaconus cum Celebrante et Diacono genu dextrum flectit; postquam Diaconus Pyxidem e Tabernaculo extraxit, et super corporale deposuit, ac portam

Tabernaculi clausit, et Pyxidem detexit, iterum genu dextrum flectit ut supra Subdiaconus, et discedit ad cornu Evangelii.

3. Cum Diaconus profunde inclinatus recitat *Confiteor,* Subdiaconus item profunde corpus inclinat, et ita remanet, usque dum Celebrans dixerit : *Misereatur, etc.*, et ipse responderit : *Amen.* Ad verba : *Indulgentiam, etc.*, erectus, Cruce a fronte ad pectus se signat, et postea respondet : *Amen.*

4. Si sumpturus est S. Eucharistiam, Subdiaconus, post ℣. *Indulgentiam,* simul cum Diacono procedit ad medium, et genu utrumque flectit in extremo suppedaneo, ante Celebrantem, ad sinistram Diaconi. (Etiamsi Subdiaconus jam esset ordinatus presbyter, non debet assumere stolam pro Communione.) Accepta S. Communione, assurgit, et accedit ad Celebrantis sinistram, seu ad latus Epistolæ, humeris ad Altare versis, ibique dum S. Communio ad Altare ministrabitur, stabit junctis manibus, conversus ad communicandos.

Nota. Diaconus et Subdiaconus semper communicant primi, etiamsi communicarent alii Sacerdotes dignitate superiores ; idque fit ratione ministerii sui.

5. Si de sacra mensa non participat, Subdiaconus, post dictum ℣. *Indulgentiam,* genu dextrum flectit in cornu Evangelii, et mox de latere Evangelii transit ad latus Epistolæ, recedens aliquantulum de mensa Altaris ut Diaconus possit ipsum inter et Celebrantem transire ; non genuflectit cum transit ante medium Altaris ; sed cum pervenerit ad latus Epistolæ, ad dexteram Celebrantis hoc momento ad Altare conversi, genu dextrum flectit ; deinde quando Celebrans cum Pyxide se convertit ad communicandos, Subdiaconus per sinistram item se convertit, et stat junctis manibus ad Celebrantis sinistram.

6. Clerici omnes ad Altare communicantur ; si dein laicis distribuenda est S. Communio, id fiet ad cancellos Presbyterii, et Subdiaconus comitatur Celebrantem a sinistris.

Nota. Cum Celebrans Sacerdos sacram Communionem distribuit, non licet Diacono tenere Pyxidem, nec Subdiacono tenere patenam, quemadmodum fit Episcopo celebrante. (Decret. S. Rituum Congregationis, 13 Junii 1676, n. 1572, antiq. 2791, ad 2.)

7. Finita distributione, Subdiaconus, statim ac Celebrans Pyxidem deposuit super Altaris mensam, genu dextrum flectit, transit retro post Celebrantem et Diaconum ad Celebrantis sinistram, ubi iterum genu dextrum flectit ; postquam Diaconus Pyxidem clausit, et in Tabernaculo reposuit, antequam Diaconus Tabernaculum claudat, Subdiaconus iterum cum Celebrante et Diacono genu dextrum flectit. Clauso Tabernaculo, Subdiaconus mox de sinistra Celebrantis transit ad ejus dexte-

ram ; ideo descendit ad penultimum gradum, ut possit Diaconus ipsum inter et Celebrantem transire ; cum transit ante Altaris medium, retro post Diaconum et simul ac ipse genu dextrum flectit, et accedit ad Celebrantis dexteram.

Si nullæ sacræ particulæ remanserint post distributionem S. Communionis, Subdiaconus, ubi de cancellis cum Celebrante pervenerit ad gradus Altaris, postquam ascenderint Celebrans et Diaconus, ascendit et ipse ad dexteram Celebrantis, et genu dextrum flectit. Si in casu distributio facta fuerit ad Altare tantum, hac terminata, se convertit ad Altare, et stat ad dexteram Celebrantis.

Stans ad Celebrantis dexteram, aufert pallam a calice, et ministrat vinum pro purificatione.

CAPUT X

DE OFFICIO SUBDIACONI IN EXPOSITIONE ET BENEDICTIONE SS. SACRAMENTI

(55) — **I. Expositio.** — 1. Hora statuta, Subdiaconus indutus amictu, alba, cingulo et tunicella, facta in sacristia inclinatione capitis ad imaginem, caput bireto cooperit, sinistram applicat pectori, dextera accipit fimbriam anteriorem pluvialis Celebrantis, et ad sinistram Celebrantis procedit ad Altare SS. Sacramenti.

Nota. Si Missa celebratur coram SS. Sacramento exposito, possunt Ministri sacri cum supradictis paramentis jam assumere manipulum ; nisi SS. Sacramentum deferatur immediate ante Missam ad Altare a Celebrante pluviali induto ; quia tunc manipulum assumunt ad scamnum, postquam SS. Sacramentum ad Altare fuit expositum.

2. Ante Altare Subdiaconus detegit caput, genu dextrum flectit in plano, et mox ad sinistram Celebrantis genu utrumque flectit in infimo gradu.

3. Si SS. Sacramentum ad aliud Altare est deportandum, cum Diaconus aperuit Tabernaculum et descendit, Subdiaconus simul cum Celebrante se erigit, et conversus ad Thuriferarium, ad dexteram Celebrantis, dextera elevat fimbriam pluvialis, dum Celebrans incensum imponit ; iterum genu utrumque flectit in infimo gradu prope sinistram Celebrantis, dextera elevat fimbriam pluvialis, et profunde inclinat caput simul cum Celebrante, ante et post incensationem.

4. Cum Celebrans accepit e manibus Diaconi Ostensorium et descendit ad planum, Subdiaconus, retro post Celebrantem,

locum mutat cum Diacono, et accedit ad Celebrantis sinistram ; fimbriam pluvialis elevat dextera, sinistra pectori apposita, cum procedunt ad Altare expositionis, ad quod cum Celebrante ascendit usque ad penultimum gradum, ubi genu utrumque flectit, sed mox simul cum Celebrante descendit, et genu utrumque flectit ad ejus sinistram in infimo gradu ; iterum assistit impositioni thuris et thurificationi, ut sequenti numero dicetur.

5. Si SS. Sacramentum exponitur ad idem Altare in quo reponitur in Tabernaculo, postquam Diaconus illud exposuerit, et descenderit, Subdiaconus simul cum Celebrante se erigit, et conversus ad Thuriferarium, ad dexteram Celebrantis, dextera elevat fimbriam pluvialis dum Celebrans incensum imponit : iterum genu utrumque flectit in infimo gradu ad sinistram Celebrantis, dextera elevat fimbriam pluvialis, et profunde inclinat caput simul cum Celebrante, ante et post incensationem.

6. Deinde assurgit, et ad duos passus a Celebrante secedens, iterum genu utrumque flectit in infimo gradu, et ibi remanet in adoratione SS. Sacramenti. (Si sequitur Missa, observantur dicta supra (49), Capite V.)

Nota. In nostris Laudibus vespertinis semper genuflexi per totam functionem remanent Celebrans et Ministri, etiamsi cantentur Hymni, aut alia sub quibus in Officio stare præcipitur : ex. gr., etiamsi cantetur diebus Dominicis aliqua Antiphona B. Mariæ V., uti *Salve Regina*, aut tempore Paschali quocumque die *Regina cœli*, aut quocumque tempore Canticum *Benedictus*, aut *Magnificat*. Unica datur exceptio pro cantu Hymni *Te Deum laudamus*, infra cujus cantum Celebrans et Ministri stare debent. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 185, Nota ; et Q. 182, B, Nota III.)

7. Quando Celebrans debet cantare Orationes vel Versiculos, Subdiaconus absque capitis inclinatione assurgit, et propius accedens ad Celebrantem, genu utrumque flectit ad ejus sinistram, et sinistra pectori apposita, dextera tenet simul cum Diacono librum ad partem inferiorem ; dicta Oratione, relinquit librum in manu Diaconi vel ministri, absque capitis inclinatione assurgit, et genu utrumque flectit iterum in loco quem in adoratione occupavit.

Nota. I. Liber tenetur a Ministris sacris genuflexis, quando Celebrans cantat Orationem, aut Versiculos cum Oratione ; quando autem Celebrans legit tantum, seu recitat quasdam precationes, ex. gr., Litanias B. Mariæ V., Orationem ad S. Joseph, etc., ipse librum sibi tenet.

Si vero Celebrans intonat aliquem Hymnum, ex. gr., *Veni Creator*, *Te Deum laudamus*, quem post intonationem alterna-

tim cum Ministris legit. Ministri sacri qui librum tenent ad intonationem, eumdem tenere continuant usque ad finem recitationis ; et postea iterum librum tenent quando Celebrans cantat Versiculos et Orationes.

Nota. II. Dictum fuit supra in Nota ad n. 6, quod Celebrans et Ministri stant infra cantum Hymni *Te Deum laudamus* ; notare juvat quod, terminato cantu Hymni, quando cantantur Versiculi post Hymnum, omnes debent genuflectere, etiam Celebrans : iste tamen solus assurgit pro cantu Orationis.

II. Benedictio. 8. Cum cantatur strophа *Genitori*, Subdiaconus cum Celebrante assurgit, et assistit impositioni thuris et thurificationi ut supra ; remanet prope Celebrantem, et tenet cum Diacono librum ad Orationem SS. Sacramenti.

9. Imposito humeris Celebrantis velo humerali, Subdiaconus simul cum eo ascendit, tenens dextera pluvialis fimbriam, et ad penultimum gradum subsistens a parte Evangelii, genu utrumque flectit in ora suppedanei, relinquens fimbriam pluvialis. Genuflexus remanere debet non ante Celebrantem, et quasi prope Diaconum, sed in aliquali distantia e medio versus partem Evangelii, ita ut Celebrans, conversus ad populum pro benedictione, posset quasi procedere Diaconum inter et Subdiaconum.

10. Cum Celebrans, tenens SS. Sacramentum, conversus versus populum benedictionem impertitur, Subdiaconus ad ipsum conversus, et genuflexus, ut supra n. 9 dicitur, dextera tenet fimbriam pluvialis et caput profunde inclinat : data benedictione, relinquit fimbriam pluvialis, manus jungit, caput erigit : et cum Celebrans, deposito SS. Sacramento, genuflexit et assurgit, simul cum ipso assurgit Subdiaconus, et recedens paulum a parte Evangelii, descendit ad planum, ubi conversus ad Altare iterum genu utrumque flectit in infimo gradu cum Celebrante.

11. Si SS. Sacramentum post datam benedictionem ad aliud Altare est reportandum, Subdiaconus, data benedictione, assurgit et descendit simul cum Celebrante, sustinens paulum sinistra cubitum dextrum Celebrantis, dum hic de gradibus Altaris descendit ; ubi in planum descenderint, Subdiaconus, retro post Celebrantem, mutat locum cum Diacono ; accedit ad Celebrantis sinistram, et dextera elevat fimbriam pluvialis, sinistra pectori apposita ; ad Altare ubi reponitur SS. Sacramentum in Tabernaculo, Subdiaconus cum Celebrante ascendit ad penultimum gradum ; relinquit pluvialis fimbriam, manibus junctis genu utrumque flectit, et mox simul cum Celebrante descendit ad planum, ubi genuflexus remanet.

12. Cum Diaconus post repositionem SS. Sacramenti descendit, Subdiaconus simul cum Celebrante assurgit, et omnes simul genu dextrum flectunt in plano, et caput bireto operiunt; Subdiaconus dextera tenet fimbriam pluvialis Celebrantis, et ad hujus sinistram procedit ad sacristiam.

Nota. In exponendo ritu Expositionis et Benedictionis SS. Sacramenti, descriptus fuit ordo cæremoniarum præscriptus Clero Diœcesis Mechliniensis per Instructionem datam 6 Decembris 1872. (Cfr. Instructio in Tractatu de administratione Sacramentorum, Q. 186.)

CAPUT XI

OBSERVANDA A SUBDIACONO PRO REVERENTIIS PRÆSTANDIS, TUM INTER EUNDUM AD ALTARE, TUM CLERO IN CHORO

§ 1. Reverentiæ præstandæ inter eundum ad Altare

(56) — Subdiaconus, quando cum Celebrante et Diacono e sacristia progreditur per ecclesiam ad Altare, inter eundum sequentes præstare debet reverentias :

1. Transiens ante Altare majus Ecclesiæ, cum pervenerit ante Altaris medium, subsistit, convertitur ad Altare, stat ad Diaconi sinistram, si Celebrans casula indutus est, ad Celebrantis sinistram vero, si iste pluviali indutus est, caput detegit dextera, genu dextrum flectit, assurgit, caput bireto cooperit, et progreditur.

2. Transiens ante Altaria minora ecclesiæ, nullam ratione Altaris facit reverentiam.

3. Transiens ante Altare in quo habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, genu dextrum, ut supra ad 1 pro Altari majori, flectit.

Idem faciendum est quando transit, non quidem directe ante Altare hujusmodi, sed ab ejus latere.

4. Transiens ante Altare in quo celebratur Missa, distinguendum est sub quanam parte Missæ transit :

a) Ante Consecrationem, et post Communionem, nullam ratione Missæ facit reverentiam.

b) Infra Consecrationem et Elevationem : subsistit, convertit se ad Altare, caput detegit, genu utrumque flectit, caput profunde inclinans adorat SS. Sacramentum usque dum Calix fuerit depositus super Altare, surgit, caput cooperit, et progreditur.

c) Inter Elevationem et Communionem, ante Altare caput detegit, genu dextrum flectit, assurgit, caput cooperit et progreditur, eodem modo agens quam in casu quo Tabernaculum habetur in Altari, ut supra n. 3.

5. Transiens ante Altare in quo distribuitur sacra Communio : caput detegit statim ac venerit in conspectum SS. Sacramenti, subsistit ante Altare, convertit se ad Altare, genu utrumque flectit, caput profunde inclinat sine pausa, assurgit, progreditur, et caput cooperit quando erit extra conspectum SS. Sacramenti.

6. Transiens ante Altare in quo SS. Sacramentum est expositum, sive in Pyxide, sive in Ostensorio, eodem modo agit quam supra ad 5.

7. Transiens ante Altare in quo loco principali exposita est Reliquia S. Crucis, vel Dominicæ Passionis, genu dextrum flectit agens eodem modo quam supra ad 1 et 3.

8. Transiens ante Reliquiam insignem alicujus Sancti expositam, subsistit, convertitur ad Reliquiam, caput detegit et profunde inclinat, caput cooperit, et progreditur.

(Cfr. insuper *Commentaria ad Instructionem Clementis XI*, in Volumine IV Collectionis Decretorum S. Rituum Congregationis, § VII, nn. 4 ad 15.)

§ 2. Reverentiæ clero in Choro præstandæ

(57) — 1. Prænotatur quod reverentiæ clero in Choro congregato non præstantur : 1° exposito SS. Sacramento ; 2° præsente Episcopo proprio ; 3° in Officio Feriæ VI in Parasceven, inde ab adoratione Crucis usque ad Nonam Sabbati Sancti. — Non omitti debent in Missis de *Requiem*. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 12 Septembris 1857, n. 3059, ad 27, antiq. 5251, ad 31.)

Subdiaconus sequentia observabit in Missa solemni.

2. Accedens e sacristia ad Chorum, supposito accessu per portam lateralem a parte Epistolæ, Subdiaconus ad ingressum Chori subsistit, et ad sinistram Celebrantis accedens, caput detegit, et simul cum Celebrante salutat inclinatione capitis parva clerum qui remanet in Choro a parte Epistolæ ; paulum dein progreditur ad sinistram Celebrantis, et cum Celebrante salutat eodem modo clerum a parte Evangelii remanentem ; biretum mox capiti imponit, et progreditur ad sinistram Celebrantis usque ad gradus Altaris.

3. Post sessiones, quando de scamno revertitur ad Altare, Subdiaconus, manibus junctis, discedens de scamno manet ad sinistram Celebrantis, et cum eo paululum progrediens, salutat

parva capitis inclinatione clerum a parte Epistolæ, dein duos vel tres passus versus medium progressus, salutat clerum a parte Evangelii, et accelerans aliquantum gradum, ita ut remaneat semper ad Celebrantis sinistram, accedit ad Altare.

4. Ante Epistolam, tenens librum Epistolarum, Subdiaconus, ad ultimæ conclusionis verba *Qui tecum vivit*, vel *Qui vivis*, procedit ad medium ante Altare, et genu dextrum flectit in infimo gradu; deinde convertit se per dexteram suam, et parva inclinatione capitis salutat clerum a parte Evangelii, progreditur unum alterumve passum, et salutat clerum a parte Epistolæ, et vadit ad partem Epistolæ contra Altare in loco consueto, ut cantet Epistolam.

5. Epistola cantata, claudit librum quem defert super pectus, accedit ad medium ante Altare ut genu dextrum flectat in infimo gradu, deinde facit easdem Choro reverentias, et eodem modo, quam ante Epistolam: quibus factis, accedit ad partem Epistolæ ut benedictionem accipiat a Celebrante.

6. Ante cantum Evangelii, Subdiaconus ad sinistram Diaconi genu dextrum flectit in infimo gradu Altaris, dein per dexteram suam se convertit ad clerum Chori qui est a parte Epistolæ, eumque ad dexteram Diaconi simul cum Diacono salutat; progreditur duos tresve passus cum Diacono versus clerum qui est a parte Evangelii, eumque salutat: dein accedit ad Diaconi sinistram, et procedit ad locum ubi consueto cantatur Evangelium.

7. Finita Missa, Subdiaconus, ante gradus Altaris stans ad sinistram Celebrantis, genu dextrum flectit ante infimum gradum Altaris; tenens manibus biretum, per dexteram suam se convertit ad clerum qui est a parte Evangelii, eumque salutat; remanens ad dexteram Celebrantis, procedit cum ipso tres quatuorve passus, et subsistens salutat clerum qui est a parte Epistolæ; caput bireto cooperit, et manibus junctis, progreditur ante Diaconum et Celebrantem versus sacristiam.

Nota. I. Ordo salutationum ad clerum supra descriptus, in quo præscribuntur faciendæ in quibusdam casibus prius a parte Epistolæ dein a parte Evangelii, in aliis casibus vero prius a parte Evangelii dein a parte Epistolæ, pro casuum diversitate, observatur semper idem, etiamsi dignior in Choro præsens non adstet in parte prius assignata.

Nota. II. Super quæstione, an in accessu primo ad Altare ante Missam, et in recessu ultimo post Missam, reverentiæ faciendæ sint prius Altari, dein Choro, vel an potius Choro prius, deinde Altari, videri possunt Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 369.

CAPUT XII

DE OFFICIO SUBDIACONI IN FESTO PURIFICATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS

(58) — 1. Subdiaconus pro benedictione candelarum paratus erit amictu, alba et cingulo ; ac etiam planeta plicata, violacei coloris, si ecclesia ex præcipuis est, aut planetis utitur ; non induit manipulum, neque tunicam.

2. Accedit cum Celebrante et Diacono ad Altare, incedens ad sinistram Celebrantis et dextera fimbriam pluvialis elevans, et deposito bireto genu dexcrum flectit in plano. — Si est dies Dominica, statim fit aspersio aquæ benedictæ, quemadmodum describitur supra, Capite I, (45). — Ascendit Subdiaconus cum Celebrante ad suppedaneum, ibi stans ad ejus sinistram ; et cum Celebrans osculatus erit Altare, Subdiaconus, nulla facta reverentia, ipsum sequitur ad cornu Epistolæ, ubi manibus junctis stat ad sinistram Celebrantis dum hic cantat Orationes.

3. Post quintam Orationem, Subdiaconus cum Celebrante convertit se ad partem Epistolæ, et accedit ad Celebrantis dexteram ; dextera elevat fimbriam pluvialis, interea dum Celebrans imponit incensum, aspergit, et thurificat candelas.

4. Deinde per sinistram conversus, cum Celebrante accedit ad medium Altaris, et ibi sine reverentia mox per dexteram conversus ad Chorum et populum, humeris Altari versis, stat ad dexteram Celebrantis, et sinistra fimbriam pluvialis elevat.

5. Postquam Celebrans accepit candelam a digniori ex clero, et huic deinde aliam candelam tradiderit, Subdiaconus relinquit fimbriam pluvialis, et manibus junctis simul cum Diacono descendit unum gradum de suppedaneo, et genu utrumque flectit ad sinistram Diaconi in extremo suppedaneo ante Celebrantem, a quo post Diaconum dextera accipit candelam, osculans primum candelam, dein manum Celebrantis ; mox ascendit ad Celebrantis dexteram, tradit candelam ministro, et sinistra elevat fimbriam pluvialis, interea dum Celebrans distribuit candelas.

Nota. Regula generalis est quod cum a Celebrante aliquid recipitur, primo a recipiente osculanda est manus Celebrantis, deinde res quæ recipitur (cfr. Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. XVIII, n. 16). Hic tamen præscribitur prius osculandam esse candelam quæ recipitur, dein manum Celebrantis ; ratio est quia candela est benedicta.

6. Finita distributione, Subdiaconus junctis manibus conver-

titur cum Celebrante ad Altare, et sine ulla reverentia accedit ad cornu Epistolæ, ubi dum Celebrans lavat manus, ad ejus dexteram elevat fimbriam pluvialis, dein ad idem cornu stat conversus ad Altare a sinistris Celebrantis, qui stat ante Missale.

7. Si fuerit post Septuagesimam et non dies Dominica, cum Diaconus cantat : *Flectamus genua,* Subdiaconus genu dextrum flectit a sinistris Celebrantis, versus cornu Epistolæ, non versus Crucem Altaris, et statim assurgens cantat : *Levate.* (Quo tono debeat cantari : *Levate,* describitur in Appendice II hujus Tractatus.) Dum Celebrans cantat Orationem *Exaudi,* Subdiaconus junctis manibus remanet ad ejus sinistram.

8. Post Orationem, Subdiaconus cum Celebrante convertit se ad partem Epistolæ, et accedens ad ejus dexteram, dextera elevat fimbriam pluvialis, dum Celebrans imponit incensum.

9. Incenso imposito, Subdiaconus mox, manibus junctis, absque ulla reverentia, descendit de Altari a parte Epistolæ, accedit ad credentiam, et accipit Crucem processionalem; cum Acolythis progreditur ad ingressum presbyterii, ibique in medio convertitur ad Altare.

10. Cum Diaconus dixerit : *Procedamus in pace,* Subdiaconus convertit se per dexteram suam, et, præeunte Thuriferario, inter duos Acolythos gestantes candelabra deferens Crucem, procedit per ecclesiam; in processionis reditu ad Altare, deponit Crucem ad credentiam, et accedit ad Altare ante gradus a parte Evangelii; cum Celebrans ad Altare venerit, Subdiaconus accedit ad ejus sinistram, genu dextrum flectit in infimo gradu, cum eo pergit ad scamnum, ubi deponit planetam violaceam si habeat, et accipit tunicellam et manipulum albi coloris pro Missa quæ statim celebratur. Si Missa celebraretur de Dominica privilegiata, tunicella et manipulus assumerentur violacei coloris.

CAPUT XIII

DE OFFICIO SUBDIACONI IN FERIA IV CINERUM

(59) 1. Subdiaconus pro benedictione cinerum paratus erit amictu, alba et cingulo; ac etiam planeta plicata, violacei coloris, si ecclesia ex præcipuis est, aut planetis utitur; non induit manipulum, neque tunicam.

2. Accedit cum Celebrante et Diacono ad Altare, incedens ad sinistram Celebrantis ac dextera fimbriam pluvialis elevans,

et deposito bireto, genu dextrum flectit in plano; ascendit cum Celebrante ad suppedaneum, ibi stans ad ejus sinistram; et cum Celebrans osculatus erit Altare, Subdiaconus, nulla facta reverentia, ipsum sequitur ad cornu Epistolæ, ubi manibus junctis stat ad sinistram Celebrantis, dum cantatur Antiphona, et dum Celebrans cantat Orationes.

3. Post quartam Orationem, Subdiaconus cum Celebrante convertit se ad partem Epistolæ, et accedit ad Celebrantis dexteram; dextera elevat fimbriam pluvialis, interea dum Celebrans imponit incensum; accedit iterum ad Celebrantis sinistram, junctis manibus, dum hic aspergit, et thurificat cineres, qui sunt positi inter Missale et cornu Epistolæ.

4. Deinde cum Celebrans accedit ad medium Altaris cum Diacono, Subdiaconus in cornu Epistolæ manens, aliquantum se retrahit ut possint hi ante ipsum transire; accedit tunc ipse ad Altaris medium, ad dexteram Celebrantis, et statim conversus per sinistram suam ad Chorum et populum, humeris Altari versis, stat ad sinistram Celebrantis, manibus junctis, dum Celebrans accipit cineres; tenet vero dextera fimbriam pluvialis, dum Celebrans imponit cineres digniori ex clero.

5. Postquam Celebrans cineres imposuit digniori ex clero, Subdiaconus manibus junctis descendit de suppedaneo ad secundum gradum, ut possit Diaconus ante ipsum transire, et ante Celebrantem a parte Evangelii genu utrumque flectit, a sinistris Diaconi, in extremo suppedaneo; capite inclinato accipit cineres; assurgit, et postquam Diaconus accessit ad Celebrantis ad populum conversi dexteram, Subdiaconus accedit ad Celebrantis sinistram, convertit se ad populum, et dextera elevat fimbriam pluvialis, interea dum Celebrans distribuit cineres.

6. Completa cinerum impositione, Subdiaconus, junctis manibus, convertitur cum Celebrante ad Altare, et sine ulla reverentia accedit ad cornu Epistolæ, ubi dum Celebrans lavat manus, ad ejus dexteram elevat fimbriam pluvialis; dein ad idem cornu stat conversus ad Altare a sinistris Celebrantis.

7. Post Orationem, Subdiaconus cum Celebrante caput profunde inclinat versus Crucem Altaris, et cum Celebrante descendit per gradus laterales ad scamnum, ac imponit sibi manipulum; redit consueto modo per planum ante Altare, pro Missæ celebratione, et genu dextrum flectit in infimo gradu.

8. Postquam Celebrans legit Evangelium, cum Ministris accedit ad Altaris medium; et cum a Choro cantatur ℣. *Adjuva nos,* Subdiaconus cum Celebrante per dexteram conversus descendit ad gradum suppedaneo proximum, et ante Altaris medium genu utrumque flectit ad sinistram Celebrantis, in extre-

mo suppedaneo. Cantato hoc Versu, assurgit cum Celebrante, ascendit ad Altare, et assistit impositioni thuris pro Evangelio.

CAPUT XIV

DE OFFICIO SUBDIACONI IN DOMINICA PALMARUM

(60) — 1. Subdiaconus paratus erit amictu, alba et cingulo: ac etiam planeta plicata, violacei coloris, si ecclesia ex præcipuis est, aut planetis utitur: non induit manipulum, neque tunicam.

2. Accedit cum Celebrante et Diacono ad Altare, incedens ad sinistram Celebrantis, dextera fimbriam pluvialis elevans, et deposito bireto, genu dextrum flectit in plano; mox fit aspersio aquæ benedictæ, more solito, ut describitur in Capite I, (45), sed non cantatur ℣. *Gloria Patri*.

3. Post aspersionem aquæ benedictæ, Subdiaconus remanens ante gradus Altaris accipit a ministro manipulum, et illum imponit brachio sinistro; ascendit pro benedictione Ramorum cum Celebrante ad suppedaneum, ibi stans ad ejus sinistram; et cum Celebrans osculatus erit Altare, Subdiaconus absque ulla reverentia ipsum sequitur ad cornu Epistolæ, ubi manibus junctis stat ad sinistram Celebrantis, dum cantatur Antiphona.

4. Cum Celebrans incipit Orationem, Subdiaconus absque nulla reverentia convertit se per dexteram suam, et de sinistra Celebrantis retro post ipsum per gradus laterales descendit ad planum a parte Epistolæ, deponit si ea utitur planetam plicatam ad scamnum, accipit librum Epistolarum, et accedit ad locum quem consueto occupat ante gradus Altaris, retro post Celebrantem.

5. Ad conclusionem Orationis, ritu consueto cantat Lectionem in tono Epistolæ, cum genuflexionibus ante et post præscriptis in Missa solemni; et benedictione Celebrantis accepta, descendit ad partem Epistolæ, reddit ministro librum Epistolarum, resumit si ea utitur planetam plicatam ad scamnum, et ascendit per gradus laterales Epistolæ ad sinistram Celebrantis, nulla facta reverentia. (Celebrans legit Evangelium in cornu Epistolæ, eoque lecto dat benedictionem Subdiacono.)

6. Cum Diaconus deposuit librum Evangelii super Altare, Subdiaconus stans ad Celebrantis sinistram aliquantum ab Altari recedit, ut possit Diaconus transire ad dexteram Celebrantis; mox ad impositionem incensi, quæ fit in cornu Epistolæ, Subdiaconus convertitur ad partem Epistolæ, et dextera elevat

fimbriam pluvialis dum Celebrans imponit incensum ; quo facto, Subdiaconus cum Celebrante convertitur ad Altare, et statim ipse descendit de sinistra Celebrantis, convertens se per sinistram, ad planum ante medium Altaris, ubi nullam facit reverentiam.

7. Cantatur dein Evangelium a Diacono, et Subdiaconus omnia observat quæ præscribuntur pro Evangelii cantu in Missa solemni (Cap. II. (46), n. 15), inde a genuflexione ante discessum ab Altari.

8. Postquam Celebrans deosculatus fuerit principium Evangelii, Subdiaconus. conversus per dexteram suam, descendit per gradus laterales ad partem Epistolæ, tradit librum Evangeliorum ministro, accedit ad scamnum, ibi deponit manipulum, et redit per gradus laterales ad sinistram Celebrantis, qui stat in cornu Epistolæ, conversus ad Missale.

9. Celebrans in cornu Epistolæ cantat Orationem et Præfationem ; Subdiaconus cum Celebrante submissa voce dicit Trisagion *Sanctus*, corpore mediocriter inclinato versus Crucem, et cum dicit : *Benedictus, etc.*, erectus Cruce a fronte ad pectus se signat.

10. Post quintam Orationem, Subdiaconus cum Celebrante convertit se ad partem Epistolæ, et accedit ad Celebrantis dexteram ; dextera elevat fimbriam pluvialis, interea dum Celebrans imponit incensum, aspergit, et thurificat Ramos positos a parte Epistolæ.

11. Ad Orationem sequentem, Subdiaconus stat conversus ad Altare, ad Celebrantis sinistram. Deinde per sinistram conversus cum Celebrante accedit ad medium Altaris, et ibi sine reverentia mox per dexteram conversus ad Chorum et populum, stat ad dexteram Celebrantis, humeris Altari versis, et sinistra fimbriam pluvialis elevat.

12. Postquam Celebrans accepit Ramum a digniori ex clero, et huic postea alium Ramum tradiderit, Subdiaconus relinquit fimbriam pluvialis, et manibus junctis, simul cum Diacono descendit ad secundum gradum, ac genu utrumque flectit ad sinistram Diaconi in extremo suppedaneo ante Celebrantem, a quo post Diaconum dextera accipit Ramum, osculans primo Ramum, dein manum Celebrantis. — Osculatur primo, non manum dantis, sed Ramum, quia hic est benedictus (cfr. Caput XII, (58), 5, Nota). — Mox ascendit ad Celebrantis dexteram, tradit Ramum ministro, et sinistra elevat fimbriam pluvialis, interea dum Celebrans distribuit Ramos.

13. Finita distributione, junctis manibus, convertitur cum Celebrante ad Altare, et sine ulla reverentia accedit ad cornu Epistolæ, ubi dum Celebrans lavat manus, ad ejus dexteram

elevat fimbriam pluvialis, dein ad idem cornu stat conversus ad Altare a sinistris Celebrantis, qui stat ante Missale.

14. Post Orationem, Subdiaconus cum Celebrante convertit se ad partem Epistolæ, et accedens ad ejus dexteram, dextera elevat fimbriam pluvialis, cum Celebrans imponit incensum.

15. Incenso imposito, Subdiaconus mox, manibus junctis, absque ulla reverentia descendit per gradus laterales de Altari a parte Epistolæ, accedit ad credentiam, et accipit Crucem processionalem, velo violaceo contectam, in cujus apice Ramus erit alligatus; cum Acolythis progreditur ad ingressum presbyterii, ibique in medio convertitur ad Altare.

16. Cum diaconus dixerit: *Procedamus in pace*, Subdiaconus convertit se per dexteram suam, et, præcedente Thuriferario, medius inter Acolythos gestantes candelabra deferens Crucem, procedit per ecclesiam, vel extra ecclesiam, prout statutum fuerit.

17. Ad Processionis reditum, subsistit Subdiaconus in limine portæ (vel ecclesiæ, vel balaustrii Chori, prout intra, vel extra ecclesiam facta fuerit processio). Cruce et facie ad portam conversa.

18. Post cantum aliquot versuum: *Gloria, laus, etc.*, ad nutum Cæremoniarii, Subdiaconus hastili, seu extremitate inferiori Crucis partem imam portæ leviter pulsat uno vel duplici ictu; qua statim aperta, procedit Subdiaconus cum Cruce, quam mox deponit ad credentiam, et accedit ad Altare, ante gradus a parte Evangelii; cum Celebrans ante Altare advenerit, Subdiaconus accedit ad ejus sinistram, genu dextrum flectit in infimo gradu, cum eo pergit ad scamnum, et ibi accipit manipulum; redit cum Celebrante ad Altare pro Missæ celebratione, et ibi genu dextrum flectit in infimo gradu.

19. Ante Epistolam, Subdiaconus, deposita prius, si ea utitur, planeta plicata, genu dextrum flectit in medio infimi gradus Altaris; dum Epistolam cantat, genu dextrum flectit in plano, interea dum canit verba: *Ut in nomine... infernorum.*

20. Post Epistolam, cum accepit a Celebrante benedictionem, convertens se per sinistram suam, descendit ad planum, reddit librum Epistolarum ministro, resumit ad scamnum planetam plicatam, si ea induitur, et accedit ad planum in latere Epistolæ, stans ut ad Introitum; cum Celebrans incipit legere Passionem, accipit Subdiaconus a ministro Ramum, quem sustinet manu dextra ante pectus; quum Celebrans legere Passionem desierit, Subdiaconus, remanens in loco quem occupat, simul cum ipso convertit se ad cantores Passionis; post verba: *emisit spiritum*, eodem loco versus cantores genuflectit utroque

genu, quamdiu genuflexus remanebit Celebrans, dein assurgit, manens conversus ad cantores.

21. Post cantum prioris partis Passionis, Subdiaconus tradit Ramum ministro, ascendit ad Altare per gradus laterales, transfert Missale a cornu Epistolæ ad cornu Evangelii, et omnia peragit pro lectione et cantu Evangelii, quæ præscribuntur in Missa solemni : in fine defert librum ad Celebrantem, ut hic prima verba ultimæ partis Passionis, quæ a Diacono in tono Evangelii fuit cantata, osculetur.

De usitato in quibusdam ecclesiis ritu, juxta quem Passio cantatur per Diaconum et Subdiaconum qui ministrant in Missa, vide Notam II in Serie IV Instructionum, De Officio Diaconi, in Appendice Capitis XIV, (94).

22. Reliquæ functiones in hac Missa fiunt ritu consueto.

CAPUT XV

DE OFFICIO SUBDIACONI IN FERIA V, IN CŒNA DOMINI

(61) — 1. Pro Missa solemni, omnia observabit Subdiaconus quæ Capite II, (46), præscribuntur, inde a principio Missæ usque ad *Agnus Dei* inclusive ; excepto quod non dicitur Psalmus *Judica,* nec *Gloria Patri* ad Introitum.

2. Quia pax in hac Missa non datur, dicto *Agnus Dei,* Subdiaconus genu dextrum flectit ad sinistram Celebrantis, et mutat locum cum Diacono, transiens ad Celebrantis dexteram, ubi iterum genu dextrum flectit, et præstat opportune suum consuetum ministerium.

3. Cum Celebrans sumpserit S. Sanguinem, Subdiaconus dextera ponit pallam super Calicem, et iterum mutans locum cum Diacono, genu dextrum flectit, et de dextera Celebrantis transit ad sinistram, ubi adveniens iterum genu dextrum flectit ; cum Celebrans, antequam reponat S. Hostiam reservandam in Calice, genu dextrum flectit, idem facit Subdiaconus.

4. Fit deinde Communio Cleri, pro qua Subdiaconus observabit omnia quæ præscribuntur Capite IX, (54).

5. Subdiaconus more consueto calicem Sacrificii mundat, cooperit, et ad credentiam refert ; sed relinquet in Altare corporale super quo reponitur SS. Sacramentum.

6. Usque ad finem Missæ, observabit Subdiaconus omnia quæ præscribuntur pro Missa celebrata coram SS. Sacramento exposito, ut habentur Capite V, (49), nn. 42 ad 49.

7. Dicto ultimo Evangelio, Subdiaconus accedit cum Celebrante ad medium Altaris, ubi genuflectit (cfr. (49), n. 49); de Altari a latere Epistolæ accedit ad scamnum: deponit manipulum; cum Celebrans indutus erit pluviali, Subdiaconus ad ejus sinistram dextera sustinet fimbriam pluvialis, et cum Celebrante accedit ad planum ante gradus Altaris: genuflectit in plano utroque genu cum capitis inclinatione, assurgit, et genu utrumque flectit in infimo gradu Altaris ad sinistram Celebrantis; relinquens fimbriam pluvialis, manibus junctis remanet aliquantulum in oratione; cum Celebrans assurgit pro impositione incensi, assurgit Subdiaconus, et ad dexteram Celebrantis elevat dextera fimbriam pluvialis, dum imponitur incensum in duobus thuribulis; quo facto, iterum genu utrumque flectit in infimo gradu, et dextera elevat fimbriam pluvialis, dum Celebrans thurificat SS. Sacramentum; cum Celebrante inclinat caput ante et post thurificationem.

Nota. In hac Processione Subdiaconus Missæ non portat Crucem; hanc portat alter Subdiaconus paramentis albi coloris indutus, qui accedit de sacristia ad Altare post Missam; deficiente Subdiacono altero, Crucem portat minister indutus superpelliceo.

8. Cum Celebrans acceperit a Diacono SS. Sacramentum, Subdiaconus cum ipso assurgit; postquam Celebrans se convertit ad populum, Subdiaconus, retro post Celebrantem, mutat locum cum Diacono, et accedit ad sinistram Celebrantis; dextera elevat fimbriam pluvialis, sinistra ad pectus posita, et cum Celebrante procedit sub baldachino.

9. Ubi pervenerint ad locum repositionis, Subdiaconus genu utrumque flectit ad sinistram Celebrantis; ad impositionem thuris, et thurificationem SS. Sacramenti, assistit ut supra.

10. Cum stropha *Genitori* fuerit cantata, Subdiaconus cum Celebrante assurgit, et mox in plano genu utrumque flectit cum capitis inclinatione; assurgit, et ad sinistram Celebrantis remanens, fimbriam pluvialis dextera sustinet dum Processio revertitur; ubi extra sacellum pervenerit, biretum a ministro accipit, et capiti imponit, et ad sacristiam procedit.

11. Subdiaconus in sacristia deponit paramenta albi coloris, retentis cingulo alba et amictu; et opportuno tempore e sacrario redit ad Altare, pro denudatione; e sacrario progrediens, cooperto capite procedit ante Diaconum, manibus junctis; ante Altare deponit biretum, et genu dextrum flectit in plano; ascendit cum Celebrante, remanens ad ejus sinistram, et adjuvat Celebrantem ad tollendum tres tobaleas successive; quo facto, de Altari descendit, genu dextrum flectit in plano, et procedit ante Diaconum ad aliud Altare, et ad reliqua quotquot

erunt denudanda ; pro quibus idem ritus servatur ut supra. Si non adsint clerici qui recitant Antiphonam *Diviserunt,* et Psalmum *Deus, Deus meus,* Ministri sacri hæc cum Celebrante dicunt.

12. Denudatis Altaribus, Subdiaconus, eodem quo venit modo, revertitur ad sacristiam, ubi deponit paramenta sacra.

CAPUT XVI

DE OFFICIO SUBDIACONI IN FERIA VI, IN PARASCEVE

(62) — 1. Subdiaconus paratus erit amictu, alba, et manipulo nigri coloris : ac etiam planeta plicata, nigri coloris, si ecclesia ex præcipuis est, aut planetis utitur.

2. Hodie non sumitur aqua benedicta ad egressum e sacristia, nec fit signum Crucis. — Omittuntur hodie salutationes ad clerum in Choro congregatum.

3. Subdiaconus, manibus junctis, procedit ad Altare ante Diaconum ; ante gradus Altaris deponit biretum, genu dextrum flectit in plano, et mox ad sinistram Celebrantis procumbit super gradus Altaris, positis genibus in gradu infimo, capite vero et brachiis super cussino illic parato.

4. Facta Oratione, simul cum Celebrante assurgit Subdiaconus, et junctis manibus, cum ipso ascendit ad suppedaneum Altaris, ibi stans ad ejus sinistram ; cum Celebrans osculatus erit Altare, Subdiaconus absque ulla reverentia ipsum sequitur ad cornu Epistolæ ; et descendens per gradus laterales, accedit ad dexteram Diaconi, ita ut stet quemadmodum ad Introitum Missæ solemnis.

5. Cum Celebrans legerit Lectionem et Tractum, Subdiaconus sine ulla reverentia accedit ad planum ante gradus Altaris a parte Epistolæ, stat retro post Celebrantem et Diaconum, et cum post cantum Tractus Diaconus cantat : *Flectamus genua*, Subdiaconus genu dextrum flectit in infimo gradu, et mox assurgit, et cantat : *Levate.* (Quo tono debeat cantari describitur in Appendice II hujus Tractatus.)

6. Infra cantum Orationis, si planetam plicatam induit, sine ulla reverentia accedit ad scamnum, planetam exuit, et ad locum ante gradus Altaris reversus, accipit librum Epistolarum ; finita Oratione, ritu consueto accedit ad medium Altaris, genu dextrum flectit in infimo gradu, revertitur ad locum suum, et cantat Lectionem in tono Epistolæ.

7. Peracto Lectionis cantu, iterum genu dextrum flectit in medio infimo gradu Altaris ; non accedit ad Celebrantem pro osculo manus, sed a latere Epistolæ in plano reddit librum ministro ; resumit planetam plicatam si eam induit : et accedit ad dexteram Diaconi, stans ut ad Introitum Missæ solemnis, manibus junctis, interea dum Celebrans legit Passionem ; quum Celebrans legere desierit, Subdiaconus remanens in loco quem occupat, simul cum ipso convertit se ad cantores Passionis ; post verba : *tradidit spiritum,* eodem loco versus cantores genuflectit utroque genu, quamdiu genuflexus remanebit Celebrans, dein assurgit manens conversus ad cantores.

8. Post cantum prioris partis Passionis, postquam discesserunt Diaconi qui Passionem cantarunt, Subdiaconus hodie non transfert Missale, sed per sinistram conversus accedit ad planum ante gradus Altaris in medio. genu dextrum flectit in infimo gradu, et aliquantum recedit a parte Evangelii.

Pro casu quo Diaconus et Subdiaconus, hujus diei functioni inservientes, cantant cum Celebrante Passionem, conferatur Nota II in Serie IV Instructionum. De Officio Diaconi, in Appendice Capitis XIV, (94).

9. Cum descendit Diaconus de Altari portans librum Evangeliorum, Subdiaconus ad ejus sinistram simul cum ipso genu dextrum flectit in infimo gradu, et ritu consueto procedit ad locum ubi canitur Evangelium ; quo cantato, Subdiaconus librum clausum statim tradit ministro, et a sinistris Diaconi revertitur ad Altare, ubi in infimo gradu simul cum Diacono ad hujus sinistram genu dextrum flectit, et mox accedit ad locum suum in plano ante cornu Epistolæ, retro post Celebrantem et Diaconum.

10. Ad Orationes, quoties post invitationem Celebrans cantat : *Oremus,* Subdiaconus, stans in eodem loco, caput inclinat versus Crucem Altaris ; et cum Diaconus cantat : *Flectamus genua,* Subdiaconus genu dextrum flectit in infimo gradu, et mox assurgit, et cantat : *Levate,* tono qui describitur in Appendice II hujus Tractatus.

11. Post Orationes, cum Celebrans descendit de Altari ad scamnum, Subdiaconus sine ulla reverentia etiam accedit ad scamnum, ibique si ea induitur, exuit planetam plicatam ; deinde cum Celebrante accedit ad partem Epistolæ, et subsistit in plano ad sinistram Celebrantis, versa ad populum facie.

12. Cum Celebrans, detecta parte superiore Crucis, solus cantavit : *Ecce lignum Crucis,* Subdiaconus, simul cum Celebrante et Diacono, continuat e libro quem ante ipsos tenet Acolythus canere : *in quo salus mundi pependit* ; quo facto, Subdiaconus genuflectit utroque genu a sinistris Celebrantis,

facie ad populum versa, dum Chorus cantat : *Venite adoremus.*

Post primam hanc adorationem, Subdiaconus cum Diacono assurgit, et sequitur Celebrantem procedentem ad anteriorem partem anguli ejusdem cornu Epistolæ ; detecto brachio dextro Crucis a Celebrante, eadem præstatur adoratio, elevata semitono voce ad verba cantanda.

Tandem Subdiaconus cum Diacono assurgens, sequitur Celebrantem procedentem ad medium suppedaneum : detecta in totum Cruce a Celebrante, iterum eadem præstatur adoratio, elevata iterum semitono voce ad verba cantanda.

13. Post tertiam adorationem, Subdiaconus remanet genuflexus in suppedaneo versa facie ad populum, interea dum Celebrans defert Crucem ad cussinum paratum ante Altare ; cumque, deposita Cruce, Celebrans ad ipsam genuflectit, assurgit Subdiaconus, et simul cum Diacono in suppedaneo genu dextrum flectit versus eamdem Crucem ; deinde versus scamnum a parte Epistolæ procedit, ita ut simul cum Celebrante ibi adveniat, et stat ad scamnum, versa facie ad Altare, ad sinistram Celebrantis. Interea dum Celebrans Crucem adorat, Subdiaconus deponit manipulum ; et, si consuetudo in ecclesia ubi ministrat existit, etiam calceamenta : a sinistris Diaconi procedit manibus junctis ad adorationem Crucis, genuflectens utroque genu, cum brevi pausa, primo ad distantiam sex fere passuum a Cruce ; dein secundo ad distantiam trium fere passuum ; tandem ad pedem Crucis ; Subdiaconus pedes Crucifixi osculatur post Diaconum ; dein simul cum Diacono assurgit, genu dextrum flectit ad Crucem, et simul cum Diacono a sinistris ejus accedit ad scamnum, ubi calceos primum si deposuerit, planetam plicatam dein, si ea utitur, et manipulum rursum resumit ; deinde stabit prope scamnum ad sinistram Celebrantis, cum ipso lecturus Improperia.

Ad legendum Improperia, Celebrans et Ministri sacri servabunt divisionem Versiculorum, quæ proponitur in *Memoriali Rituum* Benedicti XIII (cfr. Appendix I hujus Tractatus, Tit. V, Cap. II, § II) ; Subdiaconus leget quæ ibi a tertio Clerico recitanda proponuntur.

14. In fine adorationis, cum Diaconus accipit Crucem, eamque refert ad Altare, Subdiaconus simul cum Celebrante ante scamnum in genua procumbit, usque dum Crux fuerit basi imposita a Diacono.

15. Cum dein ordinatur Processio ad locum ubi pridie SS. Sacramentum fuerat repositum, Subdiaconus cum Celebrante et Diacono, manibus tenens biretum, de scamno procedit ante gradus Altaris, ubi stat ad sinistram Celebrantis ; simul cum

ipso genu dextrum flectit in infimo gradu, et conversus per dexteram suam, biretum capiti imponit, et procedit post clerum ante Diaconum, junctis manibus.

Nota. Crux processionalis defertur in hac Processione ab altero Subdiacono, induto amictu, alba et cingulo, ac etiam planeta plicata nigri coloris, si Subdiaconus Missæ ea utitur ; deficiente Subdiacono altero, Crucem portat minister indutus superpelliceo.

16. Ubi pervenerit ad aditum sacelli, Subdiaconus biretum aufert et tradit ministro, et prope Altare accedit ad sinistram Celebrantis ; ante gradus cum ipso genuflectit utroque genu, et caput inclinat, assurgit, et genu utrumque flectit in infimo gradu aliquanto tempore oraturus ; cum Celebrans imponit incensum, Subdiaconus remanet genuflexus ; planetam Celebrantis dextera sustollit cum hic incensat, et profunde inclinat caput ante et post incensationem ; cum Celebrans SS. Sacramentum manibus tenet, Subdiaconus assurgit, et retro post Celebrantem mutato loco cum Diacono, accedit ad Celebrantis sinistram, procedens manibus junctis sub baldachino.

17. Ubi processio venerit ad Altare, Subdiaconus ascendit cum Celebrante usque ad oram suppedanei ; cum Celebrans, tradito SS. Sacramento Diacono, ibi in genua procumbit et caput inclinat, et postea descendit et genuflectit in infimo gradu, idem simul cum ipso facit Subdiaconus, et genu utrumque flectit ad sinistram Celebrantis ; interea dum Celebrans incensum imponit, Subdiaconus remanet genuflexus, sed planetam Celebrantis dextera sustollit cum hic incensat ; et profunde inclinat caput ante et post thurificationem.

18. Subdiaconus assurgens ascendit cum Celebrante ad suppedaneum, ibi stans ad ejus sinistram, genu dextrum flectit, transit directe ad dexteram Diaconi, ubi iterum genu dextrum flectit ; accipit ab Acolytho ampullam vini eamque tradit Diacono ; assumit ampullam aquæ, et aliquot guttulas infundit in calicem, nullam petens a Celebrante benedictionem ; accipit a Diacono ampullam vini, utramque ampullam vini et aquæ tradit Acolytho, genu dextrum flectit, et transit ad sinistram Celebrantis, ubi iterum genu dextrum flectit.

19. Celebrans deinde imponit incensum ; Subdiaconus convertit se cum Celebrante ad Thuriferarium, sed nulla fit genuflexio neque ante neque post impositionem thuris ; Celebrans primo incensat oblata, et interea Subdiaconus dextera sustollit extremitatem casulæ Celebrantis ; nulla fit genuflexio ante incensationem oblatorum ; Celebrans dein incensat stans Crucem Altaris, non vero SS. Sacramentum ; et cum Celebrante genu dextrum flectit Subdiaconus ante et post Crucis incensa-

tionem ; tandem incensatur Altare, quemadmodum fit coram SS. Sacramento exposito (Cfr. Cap. V, (49), n. 4); ad incensationem observabit Subdiaconus ut assistat ad sinistram Celebrantis, casulam dextera elevet, et genuflectat, quoties, et quo modo illud facit Celebrans.

20. Thurificato Altari, cum descendit Celebrans, descendit Subdiaconus, et stat in plano Epistolæ ad sinistram Diaconi, conversus ad Celebrantem, et humeris ad populum versis; Celebrans non incensatur ; sed mox Subdiaconus accipit ab Acolytho ampullam aquæ cum pelvi, et ministrat aquam Celebranti ad manuum lotionem ; quo facto, reddit ampullam et pelvim Acolytho.

21. Cum Celebrans ascendit ad Altaris medium, Subdiaconus, per sinistram suam conversus, accedit ad planum ante infimum gradum, ibi genu dextrum flectit in medio gradu, et remanet stans ante gradum. Cum Celebrans dixerit : *Orate fratres,* non respondet.

22. Versus finem Orationis *Libera nos,* ad verba *ut ope misericordiæ,* Subdiaconus simul cum Diacono genu dextrum flectit, et ascendit ad penultimum gradum ad sinistram Celebrantis ; ibi in extremo suppedaneo genua flectit simul cum Diacono, et remanet manibus junctis, interea dum Celebrans S. Hostiam elevat ; post elevationem, assurgit et accedit ad sinistram Celebrantis ; post S. Hostiæ fractionem, simul cum Celebrante genu dextrum flectit, transit ad dexteram Celebrantis, locum mutans cum Diacono, et iterum genu dextrum flectit.

23. Subdiaconus genu dextrum flectit cum Celebrante ante sumptionem S. Hostiæ ; paulum inclinat caput cum Celebrans dicit : *Domine, non sum dignus etc.,* sed pectus non percutit; profunde inclinat caput cum Celebrans sumit S. Hostiam ; cum deinde Celebrans expandit manus, Subdiaconus dextera aufert pallam a Calice, et genu dextrum flectit ; dum Celebrans sumit vinum cum S. Particula, Subdiaconus ab Acolytho accipit ampullas vini et aquæ, infundit vinum, deinde aquam, super digitos Celebrantis et calicem, ut consueto, et reddit ampullas Acolytho.

24. Subdiaconus dein accedit ad sinistram Celebrantis, genu dextrum flectens ad Crucem in extremo suppedaneo, aut in medio gradu, cum retro post Celebrantem et Diaconum ante Altaris medium transit, et statim calicem extergit, plicat corporale, refert calicem ad credentiam, ut in Missis solemnibus ; deinde iterum accedit ad sinistram Celebrantis, facta in infimo gradu genuflexione dextri genu cum transit ante Crucem.

25. Quando Celebrans descendit de Altari, simul sine ulla reverentia per dexteram conversus descendit Subdiaconus,

et ante gradus conversus ad Altare, genu dextrum flectit in plano, accipit biretum, caput cooperit, et ante Diaconum procedit ad sacristiam.

CAPUT XVII

DE OFFICIO SUBDIACONI IN SABBATO SANCTO

(63) — 1. Subdiaconus paratus erit amictu, alba et cingulo ; ac etiam planeta plicata, violacei coloris, si ecclesia ex præcipuis est, aut planetis utitur.

2. Hora statuta, Subdiaconus procedens e sacristia, capite detecto, accipit Crucem processionalem ; Crucem portans procedit solus, sequens Acolythos, præcedens clerum ; si per Chorum transeundum est, nullam facit reverentiam Altari ; procedit usque ad portam primariam ecclesiæ ; ibi subsistit cum Cruce inter credentiam præparatam pro benedictione novi ignis, et portam ecclesiæ, versa facie ad navem ecclesiæ. Celebrans stabit contra Crucem, versis humeris ad Altare majus, ita ut focus cum igne, et credentia sint inter Crucem et Celebrantem.

Nota. « In Sabbato Sancto Subdiaconus Epistolam cantaturus, non alter, Crucem deferat, tam ad benedictionem novi ignis quam Cerei paschalis. » (Decret. S. Rituum Congregationis, 4 Aprilis 1879, n. 3491, antiq. 5779, ad 9.)

3. Post benedictionem ignis, cum Diaconus indutus erit paramentis albi coloris et ministraverit incensum, Subdiaconus accipit a ministro manipulum, et mox cum Cruce sequitur Thuriferarium et Acolythum deferentem quinque grana incensi ; procedit solus ; ubi Diaconus et Celebrans ingressi sunt ecclesiam, omnes subsistunt : et cum clerus respondit : *Deo gratias*, Subdiaconus, qui non genuflexit, progreditur versus Altare majus ; ubi Diaconus et Celebrans pervenerint ad medium ecclesiæ, iterum omnes subsistunt ; et cum clerus respondit : *Deo gratias*, Subdiaconus, qui non genuflexit, iterum progreditur usque ante Altaris infimum gradum, ubi subsistit, usque dum clerus tertio responderit : *Deo gratias*.

4. Tunc Subdiaconus, portans Crucem, nulla facta reverentia, parum recedit versus partem Evangelii ; et cum Diaconus pro cantu Præconii de Altari descendit, Subdiaconus non genuflectit, sed procedit ad dexteram Diaconi, ad pulpitum ; ibi subsistit, inter legile et Altare, ante dexteram Diaconi, sed facie, et imagine Crucifixi conversis ad Altare.

5. Post cantum Præconii, Subdiaconus tradit Crucem mini-

stro, et manibus junctis, ad sinistram Diaconi procedit versus Altare ; cum Diacono genu dextrum flectit ad medium in infimo gradu, et mox accedit ad scamnum, ubi stat conversus ad Altare a sinistris Celebrantis ; cum Celebrante accedit sine ulla reverentia ad Altare a parte Epistolæ, ibique subsistit in plano, eodem modo ac ad Introitum Missæ solemnis.

6. Ubi Celebrans legerit Prophetiam, Subdiaconus de latere Epistolæ accedit ad planum ante Altare, subsistens ante gradus a parte Epistolæ, retro post Celebrantem et Diaconum, sicut ad Orationem in Missa solemni ; nullam ibi facit reverentiam ; et cum post cantum Prophetiæ Diaconus cantat : *Flectamus genua*, Subdiaconus genu dextrum flectit in infimo gradu, sed statim assurgit, et cantat : *Levate*, remanens in loco suo, interea dum Celebrans cantat Orationem. (Quo tono debeat cantari : *Levate*, describitur in Appendice II hujus Tractatus.)

7. Post cantum Orationis, Subdiaconus iterum sine ulla reverentia accedit ad planum a parte Epistolæ, stans ut ad Introitum ; et lecta Prophetia a Celebrante, iterum revertitur ad planum ante gradus retro post Celebrantem et Diaconum ; idemque observat pro duodecim Prophetiis. Post duodecimam Prophetiam, ante Orationem non cantatur : *Flectamus genua*, nec : *Levate*.

8. Completa duodecima Oratione, Subdiaconus cum Celebrante et Diacono, absque ulla reverentia, directe accedit ad scamnum, et stans ibi ad sinistram Celebrantis deponit manipulum.

9. Instituitur Processio ad fontem baptismalem ; in hac Processione Crux defertur a ministro superpelliceo induto, non a Subdiacono ; Subdiaconus ad scamnum bireto cooperit caput, et incedit a sinistris Celebrantis, tenens dextera fimbriam pluvialis ; de scamno procedunt ad planum ante medium Altaris, ubi Subdiaconus relinquit fimbriam pluvialis, deponit biretum, genu dextrum in infimo gradu flectit, biretum imponit, et, locum mutans post Celebrantem cum Diacono, iterum dextera fimbriam pluvialis Celebrantis elevat, procedens ad ejus sinistram.

10. Cum ad fontem pervenerint, antequam intrent, subsistunt, et Subdiaconus biretum deponit et tradit ministro ; cum Celebrans dicit Orationem, fimbriam pluvialis Subdiaconus dextera elevat.

11. Ingressus cum Celebrante ad fontem, Subdiaconus ad sinistram Celebrantis elevatam tenet fimbriam pluvialis. Post Præfationem, cum Celebrans accipit aspersorium, Subdiaconus genu dextrum flectit, et Cruce a fronte ad pectus se signat cum

a Celebrante aspergitur, deinde assurgit, iterum tenens dextera fimbriam pluvialis.

12. Completa benedictione fontis, Processio revertitur ad Altare ; cum pervenerint ante gradus Altaris, Subdiaconus, capite nudato, a sinistris Celebrantis genu dextrum flectit in infimo gradu, et capite mox cooperto accedit cum Celebrante ad scamnum, ubi deponit biretum, et planetam plicatam, si ea induitur.

Nota. Si ecclesia non habet fontem baptismalem, Subdiaconus post Prophetias cum Celebrante et Diacono accedit ad scamnum ut supra n. 8 describitur, et ibi deponit non tantum manipulum, sed etiam planetam plicatam, si ea induitur. Omittuntur quæ supra describuntur nn. 9 ad 12.

13. Junctis manibus, Subdiaconus accedit cum Celebrante ad planum ante Altare, genu dextrum flectit ad Crucem in infimo gradu : assurgit, et statim simul cum Celebrante genu utrumque flectit in infimo gradu, et se prosternit, brachia et caput ponens super pulvinum in gradibus præparatum : ita remanet interea dum cantantur Litaniæ.

14. Cum perventum fuerit ad Versum : *Peccatores*, *Te rogamus*, simul cum Celebrante assurgit Subdiaconus, genu dextrum flectit in plano, accipit biretum ac caput cooperit, et præcedens Diaconum discedit ad sacristiam.

15. In sacristia deponit biretum, inclinat caput ad imaginem Crucifixi, et assumit paramenta albi coloris pro Missa solemni.

16. Cum in fine Litaniarum cantatur : *Agnus Dei*, consueto modo omnes de sacristia accedunt ad Altare ; Subdiaconus præcedit Diaconum ; ad ingressum Chori salutatur, si mos est, clerus.

17. Ritus hujus Missæ non differt ab aliis, nisi in sequentibus a Subdiacono observandis. Post incensationem Altaris et Celebrantis, omnes stant uti ad Introitum, sed cum non dicatur Introitus, a Celebrante in cornu Epistolæ statim dicitur : *Kyrie eleison*, cui respondet Subdiaconus modo consueto.

18. Post Epistolæ cantum, Subdiaconus accipit benedictionem a Celebrante, et reddit librum ministro. Cum Celebrans dein cantat ter *Alleluja*, et postea legit Tractum, Subdiaconus a parte Epistolæ subsistit ut ad Introitum Missæ solemnis ; deinde transfert Missale.

Nota. Quando in Missa præsens est Episcopus ad thronum, « finita Epistola, Subdiaconus, dimisso libro in manu Cæremoniarii, immediate accedens ante sedem Episcopi, clara voce dicit : *Reverendissime Pater, annuntio vobis gaudium magnum, quod est Alleluja*, et statim accedens, osculatur ejus manum. » (Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. XXVII, n. 25.) Ab-

sente Episcopo, hæc annuntiatio nulli alteri fieri potest, sed est omittenda. (Decret. S. Rituum Congregationis, 28 Novembris 1682, n. 1701, antiq. 3006.)

19. Quia non dicitur in hac Missa *Agnus Dei,* ideo Subdiaconus ad *Pax Domini* non ascendit ad Altare ; sed cum Celebrans recitat tres consuetas Orationes ante Communionem, quo tempore Diaconus de dextera Celebrantis transit ad sinistram, Subdiaconus genu dextrum flectit in infimo gradu, et ascendit ad Celebrantis dexteram : ibi assistit Communioni uti in alia Missa solemni.

20. Postquam calicem ad credentiam deposuit, Subdiaconus accedit ad planum a parte Epistolæ, et nulla facta reverentia, ibi stat ut ad Introitum in Missa solemni ; cum Celebrante recitat Psalmum et Antiphonam Vesperarum. Postquam Celebrans intonavit Antiphonam : *Vespere autem sabbati,* Subdiaconus eam cum Celebrante et Diacono prosequitur submissa voce.

21. Cum intonatur *Magnificat,* Subdiaconus Cruce a fronte ad pectus se signat, et statim ascendit per gradus laterales ad suppedaneum Altaris, sequens Celebrantem qui pergit ad Altaris medium, et sine ulla reverentia accedit ad Celebrantis sinistram in medio Altaris ; convertit se mox per suam dexteram, assistit Celebranti in impositione incensi ; et deinde assistit thurificationi Altaris, eodem modo quam ad Introitum Missæ solemnis.

22. Cum Diaconus thurificavit Celebrantem, Subdiaconus subsistit in plano a parte Epistolæ, ut ad Introitum Missæ solemnis ; cum Diaconus ipsum post Celebrantem thurificat, Subdiaconus convertit se ad Diaconum, et caput paululum inclinat ante et post thurificationem.

Nota. Si clerus in Choro præsens est, incensatur ante Subdiaconum ; in casu, adveniente e Choro Diacono, et subsistente ante gradus anteriores Altaris versus partem Epistolæ, Subdiaconus super sinistram suam convertit se ad Diaconum pro thurificatione.

23. Repetita a cantoribus Antiphona : *Vespere autem sabbati,* cum Celebrans accedit ad medium Altaris, Subdiaconus accedit etiam ad planum in medio ante Altare, ibi nullam faciens reverentiam ; et cum Celebrans, dicto *Dominus vobiscum,* revertitur ad cornu Epistolæ, Subdiaconus sine ulla reverentia recedit cum Celebrante et Diacono e medio, et stat retro post Celebrantem et Diaconum tempore Orationis ; reliqua peraguntur ritu usitato.

CAPUT XVIII

DE OFFICIO SUBDIACONI IN VIGILIA PENTECOSTES

(64) — 1. Subdiaconus paratus erit amictu, alba, cingulo, et manipulo, violacei coloris; ac etiam planeta plicata, violacei coloris, si ecclesia ex præcipuis est, aut planetis utitur.

2. Accedit Subdiaconus e sacristia cum Celebrante et Diacono ad Altare, manibus junctis, procedens ante Diaconum; ad Altare deponit biretum, genu dextrum flectit in plano ad sinistram Celebrantis, ascendit cum Celebrante ad suppedaneum, ibi stans ad sinistram Celebrantis, et cum Celebrans osculatus erit Altare, Subdiaconus sine ulla reverentia ipsum sequitur ad cornu Epistolæ, ubi descendit ad planum, et stat quemadmodum ad Introitum in Missa solemni.

3. Cum leguntur sex Prophetiæ, Subdiaconus observat ea quæ præscribuntur præcedenti Capite XVII, (63), ad nn. 6 et 7, excepto quod hodie ante Orationes non cantatur: *Flectamus genua,* nec: *Levate.*

4. Pro Benedictione Fontis, et Litaniis, eadem observantur quæ notantur ad eamdem functionem, Capite XVII, (63), nn. 8 ad 14.

5. In sacristia Subdiaconus deponit biretum, inclinat caput ad imaginem Crucifixi, et assumit paramenta rubri coloris pro Missa solemni; dein omnia fiunt, quæ præscribuntur præcedenti Capite, (63), nn. 16 et 17.

Pro reliquis observatur ritus consuetus Missæ solemnis.

CAPUT XIX

DE OFFICIO SUBDIACONI IN PROCESSIONE SS. CORPORIS CHRISTI, ET IN ALIIS PROCESSIONIBUS IN QUIBUS DEFERTUR SS. SACRAMENTUM

(65) 1. Quando S. Hostia quæ in Processione defertur fuit consecrata in ipsa Missa post quam Processio instituitur (quod supponitur quidem in Rituali Romano, Tit. IX, Cap. 5, n. 2, pro Processione in Festo SS. Corporis Christi, sed rarius apud nos fit), sequentia observanda in hac Missa sunt a Subdiacono:

Quando Celebrans S. Sanguinem sumpsit, Subdiaconus palla

cooperit Calicem, quem Celebrans deposuit super corporale ad suam sinistram.

Si non adesset Cæremoniarius qui Ostensorium ad Altare deferret, ipse Subdiaconus id faciet; et ideo, posita palla super Calicem, genu dextrum flectit, et per dexteram suam conversus descendit per gradus laterales Epistolæ, directe accedens ad credentiam; ibi dextera accipit Ostensorium, illudque defert ad Altare, directe de credentia per gradus laterales Epistolæ accedens ad Celebrantis dexteram; deponit Ostensorium prope quidem, sed extra corporale.

Reposita palla super Calicem, vel deposito Ostensorio ut supra, Subdiaconus genu dextrum flectit, et mox de dextera Celebrantis accedit ad ejus sinistram, cedens in transitu gradum superiorem Diacono qui eodem momento de sinistra ad dexteram Celebrantis accedit, et ad sinistram Celebrantis iterum genu dextrum flectit.

Postquam Diaconus Ostensorium collocavit super corporale, et antequam Celebrans S. Hostiam reponit in Ostensorio, Subdiaconus cum Celebrante et Diacono iterum genu dextrum flectit.

Adaptata S. Hostia in lunula et Ostensorio, et deposito per Diaconum Ostensorio in medio corporalis contra tabellam, Subdiaconus cum Diacono iterum genu dextrum flectit, et mox de sinistra Celebrantis revertitur ad ejus dexteram, cedens gradum superiorem Diacono in transitu; ad dexteram Celebrantis iterum genu dextrum flectit; deinde more solito ministrat purificationem et ablutionem, observans, idque usque ad finem Missæ, omnia quæ præscribuntur Capite V, (49), pro Missa solemni coram SS. Sacramento exposito. (Cfr. Commentaria ad Instructionem Clementis XI, § XIX, n. 2, in Volumine IV Collectionis Decretorum S. Rituum Congregationis.)

2. Si Processio instituitur immediate post Missam solemnem, Subdiaconus, post lectum Evangelium, accedit ad medium Altaris cum Celebrante, genu dextrum flectit in suppedaneo, et cum Celebrante directe tendit per latus Epistolæ ad scamnum, ubi conversus ad Altare deponit manipulum; cum Celebrans indutus erit pluviali, Subdiaconus, ad ejus sinistram, dextera sustinet fimbriam pluvialis, et cum Celebrante accedit ad planum ante gradus Altaris; genuflectit in plano utroque genu cum capitis inclinatione, assurgit, et genu utrumque flectit in infimo gradu Altaris, ad sinistram Celebrantis, et manus jungit, relinquens fimbriam pluvialis. (Cfr. Caput V, (49), n. 49.)

3. Si Processio instituitur post functionem aliquam, aliam quam Missam, et in qua manipulus non fuit assumptus, terminata hac functione, Subdiaconus — vel cum Celebrante acce-

dit ad scamnum, si Celebrans pluviale assumere deberet, et tunc observat omnia quæ numero præcedenti fuerunt indicata; — vel, si Celebrans pluviali jam indutus est, cum Celebrante accedit immediate ante gradus Altaris ad planum, ubi genu utrumque flectit in infimo gradu.

4. Si Processionem nulla alia functio præcedit, Subdiaconus, ad expositionem et initium Processionis, observabit ea quæ præscribuntur Capite X, (55), pro expositione SS. Sacramenti.

5. Post brevem adorationem factam flexis genibus in infimo gradu Altaris, cum Celebrans assurgit pro impositione incensi, Subdiaconus cum ipso assurgit, et ad dexteram Celebrantis elevat dextera fimbriam pluvialis, dum imponitur incensum in duobus thuribulis; quo facto, iterum genu utrumque flectit in infimo gradu, et dextera elevat fimbriam pluvialis, dum Celebrans thurificat SS. Sacramentum; cum Celebrante profunde inclinat caput ante et post thurificationem.

6. Cum Celebrans ascendit ad suppedaneum, ad accipiendum e manibus Diaconi SS. Sacramentum, ascendit cum ipso Subdiaconus, et genu utrumque flectit in extremitate suppedanei ad sinistram Celebrantis; cum hic SS. Sacramentum accepit et assurgit, surgit quoque Subdiaconus; simul cum Celebrante, per dexteram suam conversus, descendit de gradibus; et mox, ante Altaris gradus, locum mutat cum Diacono, retro post Celebrantem accedens de dextera Celebrantis ad ejus sinistram; dextera elevat fimbriam pluvialis, sinistra pectori apposita, et cum Celebrante procedit sub baldachino.

7. Si Processio subsistit ad aliquam ecclesiam, vel ad aliquod Altare hac de causa erectum, Subdiaconus cum venerit ad Altare, genu utrumque flectit in infimo gradu, dum deponitur SS. Sacramentum; assistit deinde impositioni thuris, et thurificationi, cantui Orationis SS. Sacramenti, benedictioni, secundum regulas antea jam expositas Capite X, (55).

8. Itidem, cum regressa fuerit ad ecclesiam Processio, eadem observabit Subdiaconus, et speciatim pro repositione SS. Sacramenti, quæ Capite X, (55), nn. 10, 11, 12, præscripta fuerunt.

CAPUT XX

DE OFFICIO SUBDIACONI IN PROCESSIONIBUS LITANIARUM

(66) 1. Subdiaconus in sacristia paratur amictu, alba, cingulo, et tunicella, violacei coloris. Hora præstituta, procedit

ad Altare, a sinistris Celebrantis, cujus fimbriam pluvialis dextera elevatam tenet.

2. Ante Altare deponit biretum, genu dextrum flectit in plano, assurgit, demittit fimbriam pluvialis, et stat ad sinistram Celebrantis, dum cantatur Antiphona : *Exsurge, Domine*; cum cantores incipiunt Litanias, Subdiaconus genu utrumque flectit in infimo gradu Altaris, et genuflexus remanet usque ad Versum *Sancta Maria.*

3. Simul cum Celebrante assurgit, dein ad Crucem Altaris in plano genu dextrum flectit, assurgit, caput cooperit bireto, et conversus ad populum, mox locum mutat cum Diacono, retro post Celebrantem accedens de dextera Celebrantis ad ejus sinistram, et dextera fimbriam pluvialis elevatam tenet.

4. In ecclesia ad quam fit Statio, quando ante ingressum ecclesiæ a Sacerdote aspergitur, Subdiaconus, relicta fimbria pluvialis, caput dextera detegit, biretum mox tenet sinistra, et signat se Cruce a fronte ad pectus ; dein dextera biretum capiti imponit, ac resumit fimbriam pluvialis. In ecclesia Subdiaconus accedit cum Celebrante ante gradus Altaris, et deposito bireto, genu dextrum flectit in plano, assurgit, et cum Celebrans cantat Orationem de Sancto ecclesiæ Titulari, simul cum Diacono stans sustinet dextra manu librum ante Celebrantem.

5. Post Orationem, relinquit librum in manibus Diaconi, accipit manipulum, et assistit Missæ solemni ritu consueto.

6. Post Missam, lecto ultimo Evangelio, Subdiaconus cum Celebrante accedit ad medium Altaris, genu dextrum flectit, et mox descendit de suppedaneo, per gradus laterales, ad scamnum, et conversus ad Altare deponit manipulum ; ad sinistram Celebrantis dextera tenet fimbriam pluvialis, accedit cum Celebrante ad planum ante gradus Altaris, genu dextrum flectit in plano, assurgit, bireto caput cooperit, et conversus procedit ad sinistram Celebrantis, ut supra n. 3 describitur.

7. In ecclesia in qua absolvitur Processio. Subdiaconus accedit cum Celebrante ante gradus Altaris, et deposito bireto, genu dextrum flectit in plano, assurgit, et cum Celebrans cantat Preces, Versiculos et Orationes, Subdiaconus, genibus flexis in infimo gradu, dextera manu tenet librum ante Celebrantem simul cum Diacono ; manet genuflexus etiam quando Celebrans assurgens et stans dicit Orationes.

8. Functione peracta, assurgit, genu dextrum flectit in plano ad Crucem Altaris, bireto caput cooperit, et tenens dextera fimbriam pluvialis Celebrantis, ad hujus sinistram discedit ad sacristiam.

CAPUT XXI

DE OFFICIO SUBDIACONI IN MISSA SOLEMNI, PRÆSENTE EPISCOPO ORDINARIO

(67) — 1. Subdiaconus in sacristia paratur sacris vestibus convenientibus pro Missa solemni ; diebus Dominicis, quando fit aspersio aquæ benedictæ ante Missam, non assumit manipulum.

2. Quando Canonici e Choro discedunt Episcopum excepturi, Celebrans cum Ministris accedit ad Altare : Subdiaconus procedit, vel manibus junctis, ante Diaconum, si Celebrans indutus est casula ; vel ad sinistram Celebrantis induti pluviali, cujus fimbriam dextera tenebit.

3. In accessu ad Altare, qui supponitur fieri per portam lateralem a parte Epistolæ, reverentia præstatur ad Crucem a latere Epistolæ ; ideoque Subdiaconus, ingrediens Chorum, procedit versus scamnum, sed antequam accedat, ad sinistram Celebrantis subsistit, biretum deponit, et genu dextrum flectit ad Crucem Altaris ; quo facto, cum Celebrante accedit ad scamnum, sedet ad sinistram Celebrantis, bireto caput cooperit, et manus extensas super genua tenet.

4. Cum accedit ad presbyterium Episcopus, Subdiaconus biretum deponit, et assurgit ; cum Episcopus benedicit Celebrantem et Ministros, Subdiaconus ad Episcopum conversus genu dextrum flectit, sed non se signat Cruce a fronte ad pectus ; et mox assurgit, stans interea dum Episcopus aliquantum orat.

5. Diebus Dominicis fit aspersio aquæ benedictæ ; cum Episcopus accessit ad thronum, Subdiaconus simul cum Celebrante a scamno procedit ad planum ante gradus Altaris, a sinistris Celebrantis, dextera sustinens pluvialis fimbriam ; antequam ad Altare accedit, genu dextrum flectit cum transit ante Episcopum, et ante Altaris gradus genu dextrum flectit ad Crucem in infimo gradu, assurgit, et mox genuflexus utroque genu in infimo gradu ad sinistram Celebrantis, sustinet dextera simul cum Diacono librum pro intonatione Antiphonæ ; intonata Antiphona et asperso Altari, simul cum Celebrante assurgit ; sed cum discedit Celebrans ad thronum, Subdiaconus cum Diacono remanet ad Altare ; cum deinde a throno revertitur Celebrans ad Altare, Subdiaconus simul cum Diacono genu utrumque flectit in infimo gradu, et paulum conversus ad Celebrantem, cum aspergitur, Cruce a fronte ad pectus se signat, et assurgit, remanens ad Altare interea dum Celebrans aspergit clerum. Ubi reversus fuerit Celebrans, Subdiaconus stans,

dextera sustinet simul cum Diacono librum, dum Celebrans cantat Versiculos et Orationem ; quo facto, dimisso libro in manibus Diaconi, genu dextrum flectit in infimo gradu ad Crucem Altaris, et absque reverentia ad Episcopum, cum Celebrante directe recedit ad scamnum, ibique conversus ad Altare assumit manipulum.

6. Postquam assumpsit manipulum, Subdiaconus cum Celebrante a scamno discedit, et præcedens Celebrantem, per planum absque reverentia ad Episcopum accedit usque ante medium Altaris, ad aliquam distantiam a gradibus ; ibi conversus ad Altare, a sinistris Celebrantis, genu dextrum flectit ad Crucem Altaris, et mox assurgens, ulterius progreditur cum Celebrante paululum versus partem Evangelii, sed ad talem distantiam ab Altari et a throno Episcopi, ut Episcopus, de throno descendens, possit transire inter Celebrantem cum Ministris, et Altare ; ibi conversus ad Altare, Subdiaconus a sinistris Celebrantis subsistit ; cum tunc Episcopus de throno descendens ante Celebrantem et Ministros sacros transit, Subdiaconus genu dextrum flectit, et mox assurgit ; cum dein Celebrans accessit ad Episcopum ante gradus Altaris, Subdiaconus in loco quem occupat se adjungit Diacono, stans ad ejus sinistram.

7. Quando ante Missam non fit aspersio aquæ benedictæ, sequentia observabit Subdiaconus post dicta ad n. 4. Episcopus tunc (cappa indutus tantum supponitur) de faldistorio in quo oravit assurgens, accedit ante gradus Altaris ; Subdiaconus, præcedens Celebrantem, accedit de latere Epistolæ ad planum ante medium Altaris, retro post Episcopum ; ibi Subdiaconus, ad sinistram Celebrantis conversus ad Altare subsistit, genu dextrum flectit, et dum Celebrans accedit ad Episcopum, ipse cum Diacono ulterius progreditur versus partem Evangelii, remanens ad eamdem distantiam a gradibus Altaris ; subsistit, et a sinistris Diaconi stans exspectat initium Missæ.

Quod si Episcopus Missæ assistat paratus pluviali, sacra paramenta accipit ad thronum ; Celebrans et Ministri stant ante scamnum, interea dum Episcopus paramentis induitur ; et quando imponitur Episcopo mitra, tunc Celebrans et Ministri discedunt de scamno, et omnia peragunt sicuti supra nº 6 præscribuntur.

8. Cum Episcopus antequam incipit preces, simul cum Celebrante inclinatur ad Crucem Altaris, Subdiaconus simul cum Diacono dextrum genu flectit, et assurgit ; deinde, facto signo Crucis, respondet Diacono, qui dicit preces quas alias dicit Celebrans.

9. Cum post Versum *Indulgentiam*, Celebrans, discedens ab Episcopo, accedit ad Ministros, Subdiaconus aliquantulum re-

cedit a latere Diaconi, ut possit Celebrans inter Ministros stare; Subdiaconus corpore mediocriter inclinatus simul cum Diacono respondet Versibus : *Deus tu conversus, etc.*

10. Cum Episcopus, accedens ad thronum, transit ante Celebrantem et Ministros, Subdiaconus genu dextrum flectit, et assurgit ; deinde remanens ad sinistram Celebrantis directe accedit ad Altare, genu dextrum flectit in infimo gradu, et ascendit cum Celebrante.

11. Quæ in hac Missa concordant cum Missa solemni Capite II, (46) descripta hic omittuntur.

12. Incensum in thuribulo ponitur ab Episcopo ; cum Celebrans accepit thuribulum e manibus Diaconi, Subdiaconus ad incensationem assistit ut consueto.

13. Post sessionem in scamno, Subdiaconus, a scamno discedens, procedit ad sinistram Celebrantis, et antequam veniat ad medium ante Altare, simul cum Celebrante subsistit, et genu dextrum flectit ad Episcopum, dein ulterius procedit versus Altare, et a sinistris Celebrantis genu dextrum flectit in infimo gradu ad Crucem Altaris, ut consueto. — Reverentiæ in Choro clero præstandæ, de quibus agitur Capite XI, (57), omittuntur præsente Episcopo.

14. Cum circa finem ultimæ Orationis Subdiaconus accepit a ministro librum Epistolarum, ut consueto genu dextrum flectit in medio infimi gradus Altaris, sed dein convertit se ad thronum, et genu dextrum flectit in plano ad Episcopum ; quo facto, convertit se per dexteram, et accedit ad locum pro cantu Epistolæ ; observabit autem quod cantans Epistolam non stabit prope gradum infimum Altaris, sed ad aliquam distantiam a gradu e regione throni Episcopi. Post cantum Epistolæ, Subdiaconus primo genu dextrum flectit in medio infimi gradus ad Crucem Altaris, deinde accedit ad thronum ; ante throni gradus genu dextrum flectit, ascendit, et flexis genibus in penultimo gradu throni, aliquantum a pectore removet librum ita ut possit Episcopus libro manum imponere, osculatur manum Episcopi, assurgit, et per dexteram conversus, descendit de throno, iterum genu dextrum flectit ante thronum, redit ad Altare, et genu dextrum flectit in medio infimi gradus ; progreditur per planum ad partem Epistolæ, tradens ministro librum Epistolarum, et ascendit a latere Epistolæ ut Missale consueto modo transferat.

15. Postquam Celebrans Evangelium legit, Subdiaconus Missale deponit prope medium Altaris ; deinde per dexteram conversus, absque ulla reverentia simul cum Diacono descendit de Altari, et conversus ad Altare subsistit ante gradus Altaris, paululum extra medium versus partem Evangelii.

16. Postquam Episcopus legit Evangelium, Diaconus accedit ad thronum, ut manum Episcopi osculetur ; interea remanet Subdiaconus ante gradus Altaris : sed cum Diaconus, dicto *Munda cor, etc.*, librum Evangeliorum deferens, descendit de Altari, simul cum ipso in infimo gradu genu dextrum flectit Subdiaconus, mox assurgens statim paulum recedit ut possit Diaconus ad ejus dexteram procedere, et per sinistram conversus, ad sinistram Diaconi accedit ad thronum ; ibi ambo genuflectunt utroque genu ante gradus throni. Postquam Diaconus accepit benedictionem ab Episcopo, Subdiaconus cum ipso assurgit, mox iterum genu dextrum flectit ad Episcopum, et ad sinistram Diaconi procedit ad locum in quo canitur Evangelium ritu consueto. Locus sit in aliqua distantia a throno versus navem ecclesiæ, ne Subdiaconus infra cantum Evangelii tergum vertat Episcopo.

17. Post cantum Evangelii, Subdiaconus defert librum pro osculo principii Evangelii ad Episcopum, ad quem directe sine prævia genuflexione accedit, et stans in superiori gradu throni, indicat Episcopo principium Evangelii ut illud deosculetur ; quo facto, per dexteram conversus descendit Subdiaconus, claudit librum, illumque tenet utraque manus ante pectus, conversusque mox ad Episcopum genu dextrum flectit ante thronum, tradit ministro librum, procedit manibus junctis ad Altare, et subsistit ante gradus paulum a parte Epistolæ, interea dum Diaconus incensat Celebrantem ; dein accedit ad medium, et genu dextrum flectit in infimo gradu.

Si autem Episcopus Missæ assisteret paratus pluviali, quia tunc Episcopus incensatur post Evangelium et non Celebrans, Subdiaconus, tradito libro Evangeliorum ministro, statim accederet ad Altaris medium, ibique genu dextrum flecteret in infimo gradu.

18. Ad Offertorium Subdiaconus nullam facit reverentiam Episcopo, antequam ad credentiam accedat, aut cum de credentia calicem ad Altare defert ; hæc facit uti in aliis Missis. Sed postquam Subdiaconus Diacono tradidit ampullam vini, accipit ampullam aquæ, convertit se ad thronum, et sustinens dextera ampullam elevatam, genu dextrum flectit ad Episcopum, dicens : *Benedicite, Reverendissime Pater* (vel *Eminentissime et Reverendissime Pater,* si Episcopus est Cardinalis) ; postquam Episcopus benedixit aquam, Subdiaconus assurgit, et conversus ad Altare, imponit aliquantum aquæ in calice. – Postquam, accepta patena, descendit de suppedaneo ad planum, et ibi genu dextrum in infimo gradu flexit, Subdiaconus nullam Episcopo præstat reverentiam.

19. Cum post Præfationem Episcopus accedit ad faldistorium

ante medium Altaris, Subdiaconus recedit paululum versus partem Epistolæ, ne tergum directe vertat Episcopo, ibique remanet quamdiu Episcopus genuflexus manet ante Altaris medium : non genuflectit Subdiaconus neque cum recedit e medio, neque cum accedit ad medium.

20. Dicto *Agnus Dei* cum Celebrante, Subdiaconus genu dextrum flectit, descendit ante gradus Altaris, et ibi subsistit paulum e medio a parte Evangelii ; cum Presbyter ad thronum assistens pacem dedit Episcopo, et revertitur in Chorum ad stallum suum, Subdiaconus genu dextrum flectit in infimo gradu Altaris, convertitur per sinistram suam, genu dextrum flectit in plano cum transit ante thronum Episcopi, et accedit ad Chorum ad Presbyterum assistentem, a quo consueto modo accipit pacem ; mox ascendit ad stallum, et dat pacem primo Canonico ; deinde transit ad Chori alteram partem, genu dextrum flectens cum transit ante medium Altaris, et dat pacem primo Canonico ; quo facto, in eadem Chori parte inferiori dat pacem primo Presbytero, dein primo ex alumnis Seminarii ; et iterum transiens ad Chori alteram partem, genu dextrum flectens cum transit ante medium Altaris, dat pacem primo Presbytero, et primo ex alumnis Seminarii qui ab hac parte sunt. Deinde Subdiaconus revertitur ad Altare, genu dextrum flectit ad Episcopum cum transit ante thronum, accedit ad Altare, et genu dextrum flectit in medio infimi gradus, ascendit ad Diaconum qui ordinarie tunc stat ad Celebrantis dexteram, et stans ad Diaconi dexteram ei dat pacem ; convertit se ad cornu Epistolæ, et dat pacem Cæremoniario ; quo facto, accedit ad Celebrantis dexteram, eique ministrat vinum et aquam ad purificationem et ablutionem.

21. Si Sacrum perageret Celebrans qui ex jure aut privilegio habet Sacerdotem assistentem, quia tunc iste, et non Subdiaconus pacem defert clero in Choro (cfr. Caput III, (47), n. 37, Nota II), ideo Subdiaconus, dicto *Agnus Dei* cum Celebrante, genu dextrum flectit, et descendit ante gradus Altaris in medio ; ibi subsistit usque dum ab Altari descendit Presbyter ad thronum assistens : tunc Subdiaconus genu dextrum flectit in infimo gradu, et ascendit ad Celebrantis dexteram, ubi ritu consueto omnia peragit ; pacem accipit postea a Diacono, ideoque paulum discedit ab Altaris mensa ; ipse mox pacem dat Cæremoniario in cornu Epistolæ, et accedit ad Celebrantis dexteram.

22. Cum Celebrans recitavit Orationem *Placeat,* et recedit de medio ad cornu Epistolæ, Subdiaconus absque ulla reverentia accedit ad partem Epistolæ ante cornu Altaris, in planum, et convertit se ad Episcopum, ita ut stet ad sinistram Dia-

coni qui ipse stat ad sinistram Celebrantis. Cum Episcopus cantat : *Benedicat vos,* Subdiaconus genu utrumque flectit in loco quem occupat, inclinatus accipit Benedictionem, et se signat Cruce a fronte ad pectus.

23. Data Benedictione, Subdiaconus assurgit, et remanet ad Episcopum conversus, interea dum Celebrans publicat Indulgentiam ; quo facto, cum Celebrans accedit ad cornu Evangelii, Subdiaconus accedit per planum ad Altaris medium, genu dextrum flectit in medio infimi gradus, ascenditque mox per gradus anteriores ad cornu Evangelii ad Celebrantis sinistram.

24. Lecto ultimo Evangelio, Subdiaconus cum Celebrante accedit ad Altaris medium, genu dextrum flectit ad Crucem Altaris, et discedit per gradus laterales Epistolæ ad scamnum.

25. Si preces quædam essent dicendæ ad pedem Altaris, remanente interea Episcopo ad thronum, ex. gr., quando diebus Dominicis post Missam dicuntur preces imperatæ pro Rege, tunc post accessum ad Altaris medium in suppedaneo, Subdiaconus caput inclinat Cruci, et cum Celebrante descendit ad planum ab anteriori parte, et stans ante Altaris gradus, ad sinistram Celebrantis, dextera manu sustinet librum quem sinistra ante Celebrantem tenet Diaconus ; dictis precibus, Subdiaconus genu dextrum flectit in infimo gradu, et una cum Celebrante sine reverentia ad Episcopum accedit ad scamnum.

Si vero preces sunt dicendæ pro quibus Episcopus de throno accedit ad genuflexorium dispositum ante Altaris medium, tunc, lecto ultimo Evangelio, Subdiaconus cum Celebrante accedit ad Altaris medium, genu dextrum flectit, et per gradus laterales descendit ad planum a parte Epistolæ ; ibi conversus ad Altare stat ante gradus ad sinistram Celebrantis, et si preces imperatæ dicendæ sunt flexis genibus, mox utrumque genu flectit in infimo gradu. Dictis precibus, assurgit, convertit se per dexteram suam, et accedit ad scamnum cum Celebrante.

26. Si post ultimum Evangelium danda esset Benedictio cum SS. Sacramento, quia tunc Episcopus de throno accedit ad faldistorium ante medium Altaris, Subdiaconus, lecto ultimo Evangelio, cum Celebrante accedit ad Altaris medium, genu dextrum flectit, et per gradus laterales discedit ad scamnum ; ibi conversus ad Altare, deponit manipulum, et accedens cum Celebrante ad ultimum gradum in plano a parte Epistolæ, una cum Celebrante genu utrumque flectit in infimo gradu ; Episcopus ipse incensum imponit et incensat SS. Sacramentum, ministrantibus suis assistentibus ; sed Subdiaconus dextera tenet librum ante Celebrantem cum hic dicit Orationem SS. Sacramenti ; cum Celebrans indutus est velo humerali, Subdiaconus cum ipso assurgit, dextera elevat fimbriam pluvialis, et sine

reverentia ad Episcopum ascendit per gradus laterales ad suppedaneum et Altaris medium, ibique ad sinistram Celebrantis coram SS. Sacramento genu dextrum flectit, et statim per dexteram conversus descendit ad penultimum gradum, genu utrumque flectit in extremo suppedaneo, a parte Evangelii, et cum Celebrans dat Benedictionem, ritu consueto omnia peragit, quæ præscribuntur pro ista functione Capite X, (55). — Si SS. Sacramentum defertur ad aliud Altare, nulla in discessu ab Altari præstatur reverentia Episcopo, etiamsi discessus fiat per gradus anteriores Altaris. — Si SS. Sacramentum reconditur in Tabernaculo in ipso Altari in quo Benedictio data fuit, Subdiaconus, data Benedictione, cum Celebrante descendit de Altari ut consueto, sed per gradus laterales ad partem Epistolæ, ubi genua flectit in infimo gradu usque dum SS. Sacramentum fuerit in Tabernaculo reconditum ; tunc accedit cum Celebrante ad scamnum.

27. Subdiaconus, stans cum Celebrante ad scamnum, interea dum Episcopus de throno descendit, et genuflexus aliquantum orat in faldistorio, genu dextrum flectit cum Episcopus discessurus benedicit Celebrantem et Ministros : deinde assurgit ; cum Episcopus discessit, Subdiaconus accipit biretum, cum Celebrante aliquantulum a scamno procedit versus Chorum, et conversus versus Crucem Altaris, genu dextrum flectit in plano, quo tempore Celebrans inclinat caput : assurgit, biretum capiti imponit, et manibus junctis, procedit ad sacristiam. — Si autem Celebrans pluviali indutus est, ad ejus sinistram dextera tenet pluvialis fimbriam.

28. Juxta plures auctores discessus post Missam fit alio ordine quam qui proponitur in numeris præcedentibus 24 ad 27, et qui ex consuetudine servatur in Ecclesia Metropolitana. Dicunt enim, Celebrantem et Ministros ejus omnes discedere ad sacristiam, antequam Episcopus de throno descendat pro discessu ; talis ordo certo congruere videtur, quando Episcopus in Missa paratus post Missam paramenta sacra deponit : nulla enim dari potest ratio, cur Celebrans in casu Episcopi discessum exspectare debeat. — Si hic ordo servatur, Subdiaconus, lecto ultimo Evangelio, accedit cum Celebrante ad medium suppedanei, caput inclinat Cruci cum Celebrante, et descendit ad planum ab anteriori parte ; ibi conversus ad Altare, ad sinistram Celebrantis genu dextrum flectit versus Crucem Altaris, assurgit, et mox aliquantum recedit dum se convertit ad thronum Episcopi, et ita remanens ad sinistram Celebrantis qui itidem se convertit ad thronum, dum Celebrans caput inclinat Episcopo, Subdiaconus genu dextrum flectit ad Episcopum ; quo facto assurgit, et per dexteram conversus revertitur

ad sacristiam, præcedens Diaconum et Celebrantem ; cum pervenit ad exitum Presbyterii, accipit biretum et caput cooperit.

Alter ordo in Ecclesia Metropolitana observatur absque difficultate, quia Celebrans ibi discedit a parte Epistolæ, Episcopus vero a parte Evangelii ; quod si in aliqua Ecclesia per eamdem partem discedere deberent Celebrans et Episcopus, præferendus est ordo hoc numero descriptus, juxta quem Celebrans discedit ante Episcopum.

Si Episcopus, finita Missa, ipse aliquam functionem perageret, cui non interesse debet Celebrans, ex. gr., Absolutionem pro Defunctis, tunc post Missam statim recedit Celebrans cum Ministris sacris, uti hoc numero describitur.

Nota. Fieri potest quod Episcopus assistat in Throno Missæ quæ celebratur coram SS. Sacramento exposito ; sequentes in casu genuflexiones ad Episcopum observabit Subdiaconus :

Epistola cantata, Subdiaconus accedens ad thronum ut manum Episcopi osculetur et benedictionem accipiat, genuflexiones observabit quæ præscribuntur n. 14.

Ante Evangelium, Subdiaconus cum Diacono accedens ad thronum (n. 16), et post Evangelium librum deferens ad Episcopum (n. 17) genuflexiones faciet quæ his numeris præscribuntur.

Ad Offertorium, Subdiaconus præsentans ampullam aquæ Episcopo (n. 18) genu dextrum flectit ut alias.

Ad Benedictionem ab Episcopo datam (n. 22) genua flectit.

Prædictæ genuflexiones tales videntur quæ fiunt ratione ritus potius quam honoris.

Item, si accedit Episcopus, exposito jam in Altari SS. Sacramento, uti fieri potest, ex. gr., in Adoratione perpetua, Subdiaconus, stans ad scamnum, genu dextrum flectit ad Episcopum ingredientem (n. 4), et similiter quando finita Missa Episcopus discedit (n. 27), aut quando ipse cum Celebrante ad sacristiam recedit (n. 28) ; has genuflexiones in accessu et recessu legitime fieri, erui posse videtur ex Decreto S. Rituum Congregationis (13 Martii 1700, n. 2049, antiq. 3551, ad 1).

Omittet Subdiaconus genuflexiones in accessu de scamno ad Altare, — ante Epistolæ cantum, — cum pacem ad Chorum defert, — aliasque hujusmodi quas alias facit quando ipse transit ante Episcopum, aut quando Episcopus transit ante ipsum ; quæ censentur actus mere reverentiales nemini debiti quando expositum est SS. Sacramentum.

CAPUT XXII

DE OFFICIO SUBDIACONI IN MISSA PONTIFICALI QUÆ CELEBRATUR AD FALDISTORIUM

Prænotatur I : Cæremoniale Episcoporum de Missa Pontificali ad faldistorium vix verba facit, cum peculiariter agat de functionibus quæ spectant Episcopos jurisdictione fruentes, et ad thronum celebrantes.

Romæ Missæ Pontificales ad faldistorium frequentius celebrantur, cum in Urbe Episcopi quicumque, etiam Diœcesani, quando ibi versantur, Pontificalia hujusmodi exercere debent.

In sequenti Instructione præ oculis habita fuerunt ea quæ de hac materia pertractarunt, juxta praxim Sacelli Summi Pontificis, et Ecclesiarum Patriarchalium Urbis :

J. Baldeschi, Cæremoniarius et Clericus beneficiatus Basilicæ Vaticanæ ; in opere : *Esposizione delle sacre ceremonie.* Roma. Tomo III.

P. Martinucci, Pontificiis Cæremoniis Præfectus ; in opere : *Manuale sacrarum cæremoniarum.* Romæ. Liber VIII.

Ephemerides Liturgicæ, Romæ publicatæ, proposuerunt (Vol. XI, Anno 1897, pag. 290 et sqq.) : *Cæremoniale pro Missa et Vesperis Pontificalibus ad faldistorium* ; opus ex voto Academiæ Liturgicæ Romanæ omni studio ac diligentia conditum, cum desiderio ac spe ut competens auctoritas illud examinet, judicet, approbet.

Prænotatur II : Omittitur in hac Instructione, ne longior fiat, descriptio plurium rituum ac cæremoniarum, qui in Missa Pontificali æque ac eodem modo quam in Missa solemni debent observari, et ad amussim proponuntur in Capite II, (46), pro Missa solemni ; ex. gr., ritus Confessionis in principio Missæ, ritus incensationis Altaris, norma inclinationum ac genuflexionum in diversis Missæ partibus, etc. ; quæ omnia hic supponuntur nota, et pro quibus recurrendum est ad præfatam Instructionem pro Missa solemni (46).

De faldistorio vide quæ notantur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 70.

§ 1. Ritus servandus, si Episcopus paramenta sacra induit in sacrario

(68) — 1. Subdiaconus hora præstituta aderit in sacrario, ubi interea dum Episcopus recitat preces pro præparatione ad

Missam, ipse accipit sacra paramenta omnia, excepto manipulo. Cum Episcopus acceperit caligas et sandalia a suo familiari, et compleverit preces pro præparatione, Subdiaconus paratus accedit cum Diacono ad Episcopum, salutat eum et accedit ad ejus sinistram.

2. Postquam Episcopus, ministrantibus familiaribus et Presbytero assistente, lavit manus, Subdiaconus simul cum Diacono adjuvat Episcopum in induendis sacris paramentis, quæ afferuntur a ministris ordine sequenti : amictus, alba, cingulum, Crux pectoralis, stola tunicella, dalmatica, chirothecæ, planeta. Principaliter in hoc adjuvat Diaconus ; Subdiaconus ad hoc adjumentum poterit, ex. gr., paratam tenere manicam sinitram albæ, disponere albam ut decenter dependeat, a retro ad ante ducere partem cinguli, paratam tenere manicam tunicellæ et dalmaticæ, imponere chirothecam sinistræ manui Episcopi, dum Diaconus alteram imponit dexteræ : vitabit tamen nimiam præoccupationem, qua turbatio potius quam adjumentum præstatur.

3. Postquam planeta indutus erit Episcopus, ipsique a Diacono mitra fuerit imposita, Subdiaconus simul cum Diacono venit ante Episcopum, eumque salutat ; deinde accedit ad mensam, ubi accipit manipulum ; revertitur ad Episcopum, ipsum salutat, et accedit ad sinistram Diaconi qui ipse sistit ad sinistram Episcopi. Presbyter assistens sistit ad dexteram Episcopi. Subdiaconus si dum exspectatur signum exeundi stat, biretum ante pectus tenet ; si sedet, imponit tunc capiti biretum.

4. Dato signo exeundi e Sacrario, Subdiaconus sequitur Acolythos aliosque ministros præsentes, et solus incedit ante Episcopum qui procedit medius inter Diaconum ad sinistram et Presbyterum assistentem ad suam dexteram ; aperto capite, inclinatione salutat Crucem vel imaginem sacristiæ, et mox iterum capiti imponit biretum ; procedit deinde manibus ante pectus junctis.

Nota. Cæremoniale quod proponunt Ephemerides Liturgicæ (XI, 1897, Cap. III, pag. 547), præscribit Subdiacono deferre ante pectus librum Evangeliorum, in quo inclusus erit manipulus Episcopi ; quem librum tradit Cæremoniario, postquam ad Altare genu dextrum flexerit ; in casu Subdiaconus procedit capite aperto, ne postea inclinationes ad clerum in Choro, et genuflexionem ad Altare faciat capite cooperto. Alii auctores de libro Evangeliorum a Subdiacono deferendo nihil innuunt.

5. Cum processio per portam lateralem a parte Epistolæ pervenerit ad Chorum, si in eo clerus præsens est, Subdiaconus, in ingressu presbyterii stabit ad sinistram Diaconi, et

detecto capite salutabit clerum, primum a parte Epistolæ, dein duos tresve passus progressus, a parte Evangelii (cfr. Caput XI, § 2, (57), n. 2) ; tum accedit ad Altare ante gradus, paulum e medio, et deponit biretum, exspectat donec Diaconus abstulit mitram ab Episcopo, et tunc genu dextrum flectit in plano ad Crucem Altaris, stat dein a sinistris Diaconi, qui ipse stat ad sinistram Episcopi. In his reverentiis præstandis, curabit ut eas faciat simul cum Episcopo et Diacono.

6. Episcopus statim incipit Missam, et Subdiaconus respondet. Dum Episcopus dicit : *Indulgentiam, etc.*, Subdiaconus, facto signo Crucis, mox accipit a ministro manipulum Episcopi, illumque osculatur, et recitata ab Episcopo Oratione prædicta, recedente paulum Diacono, accedit ad Episcopum, præbet ipsi osculandam Crucem quæ exstat in summitate manipuli, deinde osculatur ipsius manum, et imponit manipulum brachio sinistro Episcopi ; recedit deinde ad locum suum et respondet Episcopo prosequenti ℣. *Deus, tu conversus, etc.*

7. Ascendit Subdiaconus cum Episcopo ad Altare, et mox accipit a ministro Evangeliarium apertum ad principium textus Evangelii Missæ : cumque Episcopus osculatus est Altare, Subdiaconus ipsi præsentat librum, in quo Presbyter assistens indicat principium textus Evangelii quod Episcopus osculatur ; librum deinde claudit et reddit ministro.

8. Thurificatio Altaris fit modo consueto ; cumque Diaconus incensat Episcopum, Subdiaconus stat ad Diaconi sinistram ; deinde cum Diaconus reddidit thuribulum Thuriferario, Subdiaconus de plano ad partem Epistolæ ubi stat, ad Diaconi sinistram procedit directe ad faldistorium. Episcopus solus descendit de suppedaneo ad faldistorium.

9. Cum ante faldistorium pervenerint, Subdiaconus ad sinistram Diaconi stabit ante Episcopum qui descendit de Altari solus ut ad faldistorium veniat ; cumque Episcopus, mitra nudatus a Diacono et conversus ad Altare, legit Introitum, accedit Subdiaconus ad Episcopi sinistram, sed aliquantulum retro ; ad initium Introitus Cruce a fronte ad pectus se signat ; deinde alternatim cum Episcopo recitat *Kyrie eleison*.

10. Si cantus protrahitur, sedet Episcopus ; Subdiaconus simul cum Diacono de latere Episcopi discedit conversus per dexteram suam, et stat ad sinistram Diaconi ante Episcopum sedentem ; postquam Diaconus imposuerit mitram, Subdiaconus accipit utraque manu gremiale a ministro, illudque extensum deponit super genua Episcopi ; quo facto Subdiaconus simul cum Diacono salutat Episcopum, et per dexteram conversus accedit ad scamnum ; scamnum ita dispositum est, ut ad sinistram Episcopi sedentis sedeat Presbyter assistens, Dia-

conus ad sinistram Presbyteri assistentis, Subdiaconus ad sinistram Diaconi ; sedens caput cooperit.

11. Ad finem cantus, Subdiaconus simul cum Diacono caput detegit, assurgit, deponit biretum, et accedit ante Episcopum stans ad sinistram Diaconi, et Episcopum salutat ; mox utraque manu aufert gremiale e genibus Episcopi, illudque tradit ministro.

12. Cum Episcopus, mitra a Diacono sublata, conversus ad Altare, intonat : *Gloria in excelsis Deo,* Subdiaconus stat retro post Diaconum, qui ipse stat retro post Episcopum ; ad verbum *Deo* caput inclinat, et statim accedit ad Episcopi sinistram, et prosequitur cum ipso Hymnum. Completa recitatione, Subdiaconus recedit aliquantulum, et cum Diaconus Episcopo imposuerit mitram, ipse imponit iterum ut supra gremiale ; simul cum Diacono salutat Episcopum, et accedit ad sedem suam, ut supra n. 10. Ad finem cantus Hymni, Subdiaconus agit ut supra indicatur n. 11.

13. Cum Episcopus cantat : *Pax vobis,* Subdiaconus stat retro post Diaconum, qui stat ipse ante Episcopum ; ibi remanet interea dum Episcopus ad Altare conversus cantat Orationem, aut Orationes.

14. Dum cantatur ab Episcopo Oratio, aut ultima Oratio, Subdiaconus accipit a Cæremoniario Epistolarium, illudque tenet consueto modo ; ad conclusionem Orationis, duce Cæremoniario, accedit ad ultimum gradum ante medium Altaris et genu dextrum in infimo gradu flectit ad Crucem, dein per dexteram conversus salutat clerum, primum a parte Evangelii, dein ad partem Epistolæ, redit ante Episcopum, sed ad aliquam distantiam ; et cum sederint Presbyter assistens et Diaconus, Subdiaconus Episcopum salutat, et aperto libro, cantat Epistolam.

15. Cantata Epistola, claudit librum Subdiaconus, salutat Episcopum, accedit ad ultimum gradum ante medium Altaris et genu dextrum flectit ad Crucem, salutat clerum, ut supra, et reversus ad Episcopum genua flectit ante ipsum, librum supra ejus genibus ponit, osculatur manum quam Episcopus imponit libro, et accipit benedictionem. Assurgit, tradit Epistolarium Cæremoniario, accipit a ministro Missale, illudque erectus stans ambabus manibus apertum sustinet ante Episcopum, qui ex eo legit Epistolam et quæ sequuntur cum Evangelio inclusive.

16. Postquam Episcopus legerit Evangelium, Subdiaconus claudit Missale, salutat Episcopum, librum reddit ministro, et recedit per sinistram suam ad tres passus circiter a faldistorio, et stat ibi ante Episcopum, usque dum Diaconus acceperit benedictionem et accesserit ad Subdiaconi dexteram.

17. Subdiaconus cum Diacono tunc salutat Episcopum, procedit ante ultimum gradum Altaris, genu dextrum in infimo gradu flectit simul cum Diacono ad Crucem, et conversus per dexteram suam salutat clerum, primum a parte Epistolæ, dein a parte Evangelii, et accedit ordine et modo consueto ad locum ubi cantari solet Evangelium.

18. Post Evangelii cantum, Subdiaconus, nulla facta reverentia ad Altare, defert Evangeliarium Episcopo, et offert osculandum principium textus Evangelii ; quo facto, librum claudit, salutat Episcopum, librum reddit ministro, et accedit ad sinistram Presbyteri assistentis, qui ipse stat ad sinistram Episcopi, facie versa ad Diaconum dum iste Episcopum thurificat.

19. Postquam a Diacono insensatus fuit Episcopus, Subdiaconus, cum Episcopus se vertit ad Altare, stat retro post Diaconum, qui stat retro post Episcopum ; cum Episcopus intonaverit Symbolum, Subdiaconus, facta inclinatione ad verbum *Deum*, accedit ad Episcopi sinistram, et prosequitur cum ipso Symbolum. Completa recitatione, agit ut supra n. 12, ad Hymnum *Gloria* describitur.

Quando Diaconus ad ℣. *Crucifixus etc.* surgit ut bursam ad Altare deferat, Subdiaconus detegit caput, surgit, salutat Diaconum, sedet, caput bireto cooperit ; idem repetit cum Diaconus de Altari ad scamnum sessurus redit.

20. Post cantum Symboli, Subdiaconus agit ut supra n. 11 indicatur, et cum Episcopus assurgit, Subdiaconus stat mox retro post Diaconum, ante Episcopum, interea dum hic ad populum conversus cantat : *Dominus vobiscum* : cum deinde Episcopus ad Altare conversus dixerit : *Oremus*, ad quod verbum caput profunde inclinat Cruci Altaris simul cum Episcopo. Subdiaconus accedit ad sinistram Episcopi donec lectionem Offertorii persolverit.

Quo facto, Episcopus sedet, et Subdiaconus per dexteram conversus, cum Diacono denuo redit ante Episcopum sedentem, et stat ad sinistram Diaconi. Imposita deinde Episcopo sedenti mitra a Diacono, Subdiaconus (omissa impositione gremialis) salutat Episcopum et accedit ad ejus sinistram, stans ad populum conversus. Extracta e manu dextera Episcopi a Diacono chirotheca, Subdiaconus extrahit chirothecam e manu sinistra Episcopi, chirothecam osculatur et deponit in lance quam attulit minister.

21. Quando Episcopus, lotis manibus, assurgit, Subdiaconus, ad sinistram Episcopi remanens, de faldistorio accedit cum Episcopo ad Altare, salutans Chorum eodem quo Episcopus tempore, primo a parte Epistolæ, dein a parte Evangelii ; cum pervenerit ante gradus Altaris subsistit ad sinistram Episcopi,

et postquam Diaconus mitram Episcopo abstulit, interea dum Episcopus caput Cruci inclinat, ipse genu dextrum flectit in infimo gradu, et mox accedit ad credentiam.

Nota. Præfatum ordinem proponunt Ephemerides Liturgicæ (XI, 1897, *Cæremoniale*, Cap. III, pag. 550), necnon Baldeschi (*Esposizione delle sacre cerimonie*, Tom. III, Cap. I, nn. 40-42); Martinucci vero (*Manuale sacrarum cæremoniarum*, Lib. VIII, Cap. III, n. 98) dicit Subdiaconum ab Episcopo discedere statim postquam Episcopus manus abluerit, et tunc ipsum pergere ad credentiam.

22. Subdiaconus ad credentiam accipit velum humerale, et defert calicem consueto modo de credentia ad Altare, ascendens per gradus laterales a parte Epistolæ. Cæremoniale Episcoporum (Lib. II, Cap. VIII, n. 60) præscribit Subdiacono calicem deferenti, ad Altare procedere cum Acolytho « ita ut eodem tempore cum Episcopo ad Altare perveniant », et tunc calicem ponere in cornu Epistolæ.

23. Subdiaconus tunc omnia observat, quemadmodum pro aliis Missis solemnibus præscribuntur. Advertet solum quod, præsentans Episcopo aquam benedicendam, dicit : *Benedicite, Pater Reverendissime.*

24. Quando Episcopus cantat ℣. *Pax Domini etc.*, Subdiaconus non ascendit ad suppedaneum ut dicat : *Agnus Dei, etc.* (Decret. S. Rituum Congregationis, 19 Februarii 1892, n. 3769, ad 4) ; sed remanet in loco suo, ibique genu dextrum flectit in infimo gradu, quando Episcopus post depositam in Calice S. Hostiæ particulam genuflectit ; et dum Episcopus dicit : *Agnus Dei, etc.*, Subdiaconus in loco suo nihil dicit, nec pectus percutit, sed manibus junctis caput interea profunde inclinat.

25. Quando Diaconus post Presbyterum assistentem pacem ab Episcopo accipit, Subdiaconus genu dextrum flectit in infimo gradu ; et dum Diaconus, accepta ab Episcopo pace, genu dextrum flectit et discedit, Subdiaconus ascendit ad dexteram Episcopi, genu dextrum flectit Sacramento, et erectus, quin Altare osculetur, ad Episcopum conversus ab ipso accipit pacem.

Accepta pace non genuflectit, sed remanet ad dexteram Episcopi donec Presbyter assistens de Choro redierit, et supplet ad dexteram Episcopi pro Diacono, discooperiendo Calicem et alia faciendo quæ erunt necessaria et opportuna ; sed postquam de Choro reversus fuerit ad sinistram Episcopi Presbyter assistens, Subdiaconus locum cedere debet Diacono (Diaconi munus enim est ministrare Episcopo ad Communionem) ; ideo, si nondum S. Sanguinem sumpserit Episcopus, Subdiaconus genu dextrum flectit, et descendit ad locum suum ante gradus

Altaris retro post Episcopum ; si autem S. Sanguinem sumpserit jam Episcopus, non genuflectit, sed nulla facta reverentia descendit ad locum suum.

Nota. In Ecclesia Metropolitana Subdiaconus, accepta pace ab Episcopo, iterum genu dextrum flectit, et per dexteram suam conversus accedit ad cornu Epistolæ ubi pacem dat alteri de Cæremoniariis ; pace data accedit ad Episcopi dexteram.

26. Dum Episcopus sumit ablutionem, et Presbyter assistens transfert Missale ad cornu Epistolæ, Subdiaconus, absque ulla reverentia, ascendit ad suppedaneum, et sistens ante cornu Evangelii, accipit calicem, ipsum tergit, uti consueto cooperit, et ad credentiam reportat, genu dextrum flectens in infimo gradu Altaris cum transit ante medium. Deposito calice mox redit ad locum suum post Episcopum.

27. Postquam Diaconus cantavit : *Ite missa est*, vel : *Benedicamus Domino*, Subdiaconus ascendit ad penultimum gradum Altaris, et stat paulum e medio versus cornu Evangelii : et cum Episcopus dicit : *Benedicat vos etc.*, genu utrumque flectit in ora suppedanei. Post benedictionem assurgit Subdiaconus, et pro ultimo Evangelio ascendit ad cornu Evangelii : ibi Presbyter assistens stat ad sinistram Episcopi. Subdiaconus accedit ad sinistram Presbyteri assistentis, et stat in penultimo gradu a parte Evangelii, aliquantum conversus ad Evangelii cornu. Si debet sustinere librum, non genuflectit ad verba : *Et Verbum caro factum est* ; alias genu dextrum flectit in loco ubi stat.

28. Post ultimum Evangelium, Subdiaconus claudit librum, ascendit ad suppedaneum, et quando Diaconus locum permutavit cum Presbytero assistente, ipse stans ad sinistram Diaconi et Episcopi, simul cum Episcopo caput inclinat Cruci Altaris, et per dexteram conversus descendit de Altari ad dexteram Diaconi ; ante Altaris gradus conversus ad Altare genu dextrum flectit in plano, et accipit biretum quod tenet ante pectus ; per dexteram conversus, ad dexteram Diaconi simul cum Episcopo salutat clerum a parte Evangelii, dein a parte Epistolæ, caput cooperit, et pro recessu ad sacristiam sequitur Acolythos aliosque ministros præsentes, et solus incedit ante Episcopum, manibus ante pectus junctis.

29. In sacristia, Subdiaconus salutat, deposito bireto, Crucem vel imaginem, et ad mensam mox deponit manipulum ; ad sedentem in faldistorio Episcopum una cum Diacono accedit, ipsumque salutat ; cum Diaconus Episcopo exuit mitram, Subdiaconus mox eidem exuit manipulum, quem tradit ministro ; accedens tunc ad sinistram Episcopi, Subdiaconus adjuvat ipsum in exuendis cæteris paramentis, quæ successive tradit ministris.

30. Cum Episcopus, depositis paramentis sacris, indutus fuerit manteletto, Subdiaconus simul cum Diacono stans ante Episcopum, ipsum salutat, et accedit ad mensam ubi ipse deponit sacra paramenta.

§ 2. Ritus servandus, si Episcopus paramenta sacra induit ad Altare

(69) — Tunc sequentia sunt animadvertenda et varianda in Ordine superius descripto § 1, (68).

1. Episcopus in sacrario recitat preces pro præparatione, et accipit caligas et sandalia; interea Subdiaconus simul cum Diacono induit sacra paramenta, excepto manipulo.

2. Postquam Episcopus compleverit recitationem precum, Subdiaconus, ad nutum Cæremoniarii, accipit biretum illudque tenet ante pectus, profunde inclinat caput Cruci sacristiæ; si in eodem sacrario Episcopus adest, tunc Subdiaconus, ad sinistram Diaconi, simul cum Diacono convertitur ad Episcopum, ipsumque capitis inclinatione salutat, mox cooperto capite, ad sinistram Diaconi procedit ad Ecclesiam et ad Altare.

3. In ingressu Presbyterii, si præsens est clerus in Choro, Subdiaconus simul cum Diacono caput detegit, et salutat clerum a parte Epistolæ et a parte Evangelii; deinde procedit usque ante gradus Altaris, ubi ad sinistram Diaconi, ante medium in plano genu dextrum flectit; assurgens deinde, capite cooperto, per dexteram conversus accedit ad faldistorium, scilicet ad sinistram partem, et ibi stat capite detecto, facie conversa ad populum, ita ut faldistorium ad dexteram habeat, et tradit biretum ministro.

4. Quando postea Episcopus ad Altare accesserit et in infimo gradu aliquantulum oraverit, advenientem ad faldistorium Subdiaconus salutat capitis inclinatione.

5. Fiunt tunc omnia quæ supra describuntur § 1, (68), n. 2 et 3. Subdiaconus adjuvat Episcopum pro assumendis sacris paramentis; deinde simul cum Diacono venit ante Episcopum, eumque salutat; mox accedit ad credentiam, ubi accipit manipulum.

6. Accepto manipulo, redit cum Diacono ante Episcopum, salutat ipsum, et accedit ad sinistram Diaconi, qui ipse stat ad sinistram Episcopi, facie ad populum conversa.

Nota. Juxta Cæremoniale quod proponunt Ephemerides liturgicæ (XI, 1897, pag. 547), Subdiaconus, accepto ad credentiam manipulo, ibi etiam accipit a Cæremoniario librum Evangeliorum, in quo inclusus erit manipulus Episcopi, illumque portans ante pectus, accedit ad sinistram Diaconi, ut

supra dicitur. Alii auctores de hoc libro deferendo nihil innuunt.

7. Cum signum incipiendæ Missæ datur, assurgit Episcopus; et Subdiaconus, remanens ad sinistram Diaconi, simul cum Episcopo duos tresve passus progreditur, et salutat clerum a parte Epistolæ; procedens dein usque ad medium presbyterii, salutat clerum a parte Evangelii; et ulterius progrediens usque ante gradus Altaris, genu dextrum flectit in infimo gradu Altaris, eodem tempore quo Episcopus, nudatus mitra a Diacono, Crucem salutat. Curabit Subdiaconus ut, progrediens de loco faldistorii ad Altare, servet cum Episcopo et Diacono unam eamdemque lineam. — Tunc, nempe genuflexione ad Altaris Crucem facta, Subdiaconus librum Evangeliorum, si illum portat, reddit Cæremoniario.

8. Episcopus statim incipit Missam, et omnia servantur quæ in § 1, (68), describuntur.

9. Post ultimum Evangelium, Subdiaconus simul cum Episcopo descendit de Altari (cfr. (68), n. 28); genu dextrum flectit in infimo gradu, salutat clerum, primum a parte Evangelii, dein a parte Epistolæ, et accedit ad faldistorium; ibi stans ad sinistram Diaconi ante Episcopum, ipsum salutat.

10. Mox deponit manipulum suum, quem tradit ministro; et cum Diaconus Episcopo exuit mitram, ipse eidem exuit manipulum quem tradit ministro; accedens tunc ad Episcopi sinistram, adjuvat ipsum in exuendis sacris paramentis, quæ successive tradit ministris.

11. Cum Episcopus, deposito amictu, indutus fuerit manteletto, Subdiaconus accipit biretum, idque tenet ante pectus, et cum Episcopus a faldistorio assurgit, Subdiaconus ipsum salutat; remanet in loco quem occupat ad sinistram faldistorii, stans interea dum Episcopus aliquantulum orat in infimo gradu Altaris, et usque dum Episcopus e Presbyterio discesserit ad sacristiam seu sacrarium.

12. Tunc Subdiaconus simul cum Diacono, et ad ejus sinistram, de faldistorio pergit usque ante gradus Altaris, ubi ante medium in plano genu dextrum flectit; mox erectus et per dexteram conversus, salutat clerum in Choro præsentem, primo a parte Evangelii, dein a parte Epistolæ, caput bireto cooperit, et accedens ad Diaconi sinistram, simul cum Diacono ad sacristiam redit.

13. In sacrario, Subdiaconus, detecto capite, salutat imaginem sacristiæ, et si ibi præsens est Episcopus, ad ipsum conversus simul cum Diacono ipsum salutat; deinde recedit ad mensam, ubi sacras vestes deponit.

§ 3. Ritus servandus, si Missæ celebratæ ab Episcopo ad faldistorium præsens assistit Episcopus proprius diœcesis

(70) — Plura jam proponi possunt supposita circa modum quo assistit Episcopus diœcesanus ; describitur hic ritus servandus, si Episcopus diœcesanus assistit indutus sacris paramentis cum pluviali et mitra. Supra in Capite XXI, (67), jam notata habentur ea quæ observanda sunt ratione assistentiæ Episcopi, quæ omnia hic non repetuntur, sed tantum indicantur variationes occurrentes ex compositione ritus assistentiæ (67) cum ritu celebrationis Missæ ad faldistorium, in § 1 hujus Capitis (68) descripto ; uterque ritus supponitur notus.

1. Episcopus celebrans sacra paramenta induit in sacrario, et servantur præscripta in § 1, (68).

2. Interea dum clerus e Choro discedit ad associandum Episcopum diœcesanum, Episcopus celebrans de sacrario accedit ad Altare, omittit salutationes ad clerum, et salutata primum ante Altaris medium Cruce Altaris, accedit ad faldistorium, ubi sedet cum Ministris. Subdiaconus sedet ad sinistram Diaconi, et caput bireto cooperit.

3. Accedente ad Chorum Episcopo diœcesano, cum assurgit Episcopus celebrans assurgit quoque, deposito bireto, Subdiaconus ; cum Episcopus diœcesanus salutat Episcopum celebrantem, Subdiaconus genu dextrum versus ipsum flectit et statim assurgit, manens erectus interea dum Episcopus diœcesanus orat ; quando iste assurgit et salutat Episcopum celebrantem, iterum genu dextrum versus Episcopum diœcesanum flectit Subdiaconus, et mox erectus a genuflexione sedet, interea dum Episcopus diœcesanus assumit sacra paramenta.

4. Cum pluviali indutus erit Episcopus diœcesanus, assurgit Episcopus celebrans, et Subdiaconus accedit ad ejus sinistram a qua discessit Diaconus ; pro accessu ad Altare servatur a Subdiacono eadem methodus quæ describitur in Capite præcedenti XXI, (67) ; ad initium Missæ stat ad sinistram Diaconi versus partem Evangelii.

5. Cum post precem *Indulgentiam, etc.*, Episcopus celebrans accedit ad Ministros, Subdiaconus accipit manipulum a ministro qui genuflexus est ad ejus sinistram, et Episcopo accedenti imponit manipulum, osculans primo manipulum et deinde manum Episcopi.

6. Cum Episcopus celebrans, ad Altare stans, dicit precem : *Oramus te, etc.*, Subdiaconus accipit librum Evangeliorum a ministro, eumque præsentat Episcopo celebranti, et in eo

Presbyter assistens indicat initium textus Evangelii ; cum Episcopus librum osculatus fuerit, Subdiaconus claudit librum, ipsumque reddit ministro.

7. Episcopus diœcesanus benedicit incensum. Ipsa Altaris incensatio, et quæ sequuntur usque ad Orationes inclusive, fiunt quemadmodum præscribuntur in præsente Capite, § 1, (68), nn. 8 ad 13.

8. Cum post Orationem, aut Orationes, sederint Episcopus diœcesanus et Episcopus celebrans, Subdiaconus, qui jam tenet librum Epistolarum ante pectus, salutat Episcopum celebrantem, accedit ad Altare, et genu dextrum flectit in infimo gradu ; convertit se versus Episcopum diœcesanum, et genu dextrum flectit in plano, et accedit ad locum ubi cantari debet Epistola.

9. Cantata Epistola, Subdiaconus librum claudit et tenet ante pectus, accedit ad Altare, genu dextrum flectit in infimo gradu, et pergit ad thronum ; accepta benedictione ab Episcopo diœcesano, et iteratis genuflexionibus ante thronum et in infimo gradu Altaris, accedit ante Episcopum celebrantem, salutat ipsum, librum Epistolarum tradit ministro, et accipit Missale, quod tenet ante Episcopum celebrantem pro lectione Epistolæ et Evangelii, ut describitur in § 1, (68), n. 15.

10. Cum Episcopus Celebrans legerit Evangelium. Subdiaconus Missale reddit ministro, et recedit per sinistram suam ad tres passus circiter a faldistorio, et stat ibi ante Episcopum celebrantem, usque dum Diaconus cum libro Evangeliorum descendens de Altari, venerit ad dexteram Subdiaconi ; Subdiaconus tunc cum Diacono salutat Episcopum celebrantem, accedit ad Altare, a sinistris Diaconi, et genu dextrum flectit in infimo gradu, et mox accedit ante thronum ubi genua flectit in plano ; reliqua fiunt, ut describuntur Capite XXI, (67), n. 16.

11. Post cantum Evangelii, Subdiaconus defert librum Evangeliorum ad Episcopum diœcesanum, ut dicitur Capite XXI, (67), n. 17 ; reddit librum ministro, procedit versus Episcopum celebrantem, ante medium Altaris genu dextrum flectens in infimo gradu, et accedit ante Episcopum celebrantem, quem salutat ; stat deinde retro post Diaconum ante Episcopum celebrantem ; cum hic intonaverit Symbolum, Subdiaconus agit ut describitur in § 1, (68), n. 19. Observat quoque quæ ibi præscribuntur nn. 20 et 21.

12. Subdiaconus ad Offertorium ampullam aquæ pro benedictione præsentat Episcopo diœcesano, ut præscribitur Capite XXI, (67), n. 18, et deinde observat omnia quæ præscribuntur eodem Capite, nn. sequentibus.

13. Subdiaconus pacem accipit, non ab Episcopo celebrante, sed a Diacono qui ipsam accipit a Presbytero assistente Cele-

brantis post pacem clero in Choro datam ; Subdiaconus, accepta pace a Diacono, eam dat Cæremoniario. Omnia observat quæ præscribuntur Capite III, (47), pro pace accipienda, præsente Presbytero assistente Celebrantis.

14. Benedictionem in fine Missæ dat Episcopus diœcesanus : ideoque observat Subdiaconus quæ dicuntur Capite XXI, (67), nn. 22 et 23.

15. Post ultimum Evangelium, Subdiaconus simul cum Episcopo celebrante descendit de Altari, genu dextrum flectit in plano, deinde conversus ad Episcopum diœcesanum, iterum genu dextrum flectit in plano versus ipsum ; accipit biretum a ministro et caput cooperit ; et per dexteram suam conversus recedit ad sacristiam, manibus junctis : sequitur Acolythos aliosque ministros præsentes, et solus incedit ante Episcopum celebrantem.

16. In sacristia observat quæ præscribuntur § 1 hujus Capitis, (68), nn. 25 et 26.

SERIES IV INSTRUCTIONUM

DE OFFICIO DIACONI

IN SACRIS FUNCTIONIBUS

PRÆNOTANDA

I. De præparatione ad Officia

Comministri, et cooperatores estis Corporis et Sanguinis Domini. (Pontificale Romanum ; de Ordinatione Diaconi.)

(71) — **Notanda circa ipsum ministerium.** — 1. Ut suo ministerio in Missa fungi valeat Diaconus, Missa debet esse solemnis, nam Missa lecta cum Ministris sacris prohibetur. (Cfr. (38), ad 1.)

2. Missam solemnem celebrare cum solo Diacono, absque Subdiacono, non permittitur. (Cfr. Nouvelle Revue théologique, X, 1878, pag. 329 ; et Decret. S. Rituum Congregationis, 7 Decembris 1888, n. 3697, ad 10.)

3. Loco Ministrorum sacrorum, ubi desunt Diaconus et Subdiaconus, pro cæremoniis Missarum solemnium inservire nequeunt duo laici, induti vestibus sacris, quin tamen aliquam functionem ad sacros ordines pertinentem obeant ; hujusmodi consuetudo, ubi existeret, tamquam abusus omnino est eliminanda. (Decret. S. Rituum Congregationis, 11 Septembris 1847, n. 2952, antiq. 5103.)

4. Supra jam dictum fuit, non posse Missam solemnem celebrari cum solo Diacono et Subdiacono, sine aliis ministris. (Cfr. Series I, Caput II, (5), Nota I.)

(72) — **Dispositiones in ministerio.** — 1. Diaconus in suo ministerio cogitabit magnopere ad quantum gradum Ecclesiæ ascenderit, uti monuit Episcopus in ordinatione ; de exteriori modestia non minus ac de interiori mentis devotione apprime sollicitus, cum ipsi datum fuerit Presbytero Sacrum facienti assistere, aut sacra Vasa SS. Eucharistiam continentia tractare, studebit rubricas diligenter et religiose servare, necnon cæremonias peculiari summaque cura et industria exercere, ut exigit et Officiorum solemnitas et fidelium ædificatio.

2. Quapropter, antequam sacro præsertim Missæ Sacrificio assistat, in ecclesia aliquantulum orabit, ut cum vero fructu munia sacra obire possit.

3. Ante Missam et Officia, sumpto Celebrantis Missali, Missam celebrandam variaque in Missa occurrentia signaculis congrue suis locis dispositis sedulo inquiret et distinguet; inprimis prævidebit et præparabit cantum Evangelii, versiculi *Ite missa est*, vel *Benedicamus Domino*, aliorumque quæ cantanda aliquando erunt, ut in ipso Officio hæc integre, distincte, debito tono et modo, tractim et cum pausa decenti, devote et reverenter cantare possit.

4. In sacris functionibus peragendis, præ oculis habeat Diaconus earum omnium, sed præcipue tremendi Missæ Sacrificii dignitatem, necnon fidelium ædificationem; ut Mysteriorum magnitudo et majestas externa cæremoniarum ac rituum specie magis eluceat.

5. Actiones omnes sint gravitate plenæ, non tamen morosæ, quæ tædio afficiant circumstantes.

Ideo sedulo observet, et sæpius eum in finem relegat præcepta quæ proponunt Regulæ generales in capite Tractatus (2).

Stans sit erectus corpore, erectus capite; caveat caput aut corpus indecenter librare seu agitare; pedes teneat in eadem linea juxtapositos.

Procedat incessu gravi, erecto corpore; et semper resplendeat conveniens modestia, tum in gravitate et decore incessus, tum in oculorum demissione.

Si a loco suo secedere debet, etiam uno tantum passu, numquam id faciat lateraliter secedendo, sed semper se convertat versus locum ad quem secedere debet. — Item quando descendere debet, etiam uno gradu tantum, numquam id faciat retrocedendo, sed se convertat ad gradum vel locum ad quem descendere debet.

Regula generalis sit quod Diaconus, nisi aliter expresse notetur, teneat manus ante pectus junctas; et quando una manu aliquid agere debet, alteram teneat pectori admotam. — Quando ad Altaris mensam stans genuflectere debet, numquam manus vel manum imponat mensæ Altaris; Celebranti soli enim hoc licet.

6. Fraudulenter opus Domini faceret, si dum Missæ assistit Horas canonicas recitare auderet. (Cfr. dicta (39), ad 6.)

(73) — Assumptio sacrarum vestium. — 1. Quæcumque in Instructione pro Subdiaconis fuerunt pro præparatione ad Officia, pro ablutione manuum et sacrarum vestium assumptione notata, a Diacono itidem observanda, ibi consulantur

(cfr. (40), 1 ad 8); adduntur hic ea tantum quæ Diacono sunt propria.

2. Accepto cingulo et aptata alba, Diaconus assumit stolam, et osculans prius Crucem quæ est in medio seu superiori parte, stolæ medium imponit in humero sinistro, eo modo ut subter brachium dextrum partes hinc et inde defluentes conjungantur.

3. Accipit deinde dalmaticam, eodem qui pro tunicella describitur modo.

4. Subjunguntur preces ad assumptionem stolæ ac dalmaticæ congrue dicendæ :

Ad stolam : *Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis : et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.*

Ad dalmaticam : *Indue me, Domine, indumento salutis, et vestimento lætitiæ, et dalmatica justitiæ circumda me semper.*

II. Preces a Diacono in Missa dicendæ

(74) — Preces a Subdiacono in celebratione Missæ solemnis memoriter dicendæ, una alterave Subdiaconi ministerio propria excepta, a Diacono pariter dicendæ sunt, et in Serie III Instructionum pro Subdiaconis sunt exquirendæ (cfr. (41)) ; præter eas sequentes etiam memoriter dicere debet Diaconus.

1. Ante impositionem incensi, quoties in Missa occurrit, dicit : *Benedicite Pater Reverende.*

2. Ante Evangelii cantum : *Munda cor meum, ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiæ Prophetæ calculo mundasti ignito : ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Deinde : *Jube domne benedicere.*

3. Ad oblationem Calicis : *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam : ut in conspectu divinæ majestatis tuæ, pro nostra, et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.*

4. Post cantum Orationis Dominicæ dicit : *Sed libera nos a malo.*

5. In fine Missæ, ante Orationem *Placeat etc.*, Diaconus cantat, tono debito, et pro qualitate Missæ, vel : *Ite, missa est*, vel : *Benedicamus Domino*, vel : *Requiescant in pace.*

III. Regulæ circa genuflexiones a Diacono in SS. Missæ Sacrificio faciendas, ratione motus e loco in locum

(75) — De genuflexionibus quæ a Ministris sacris fieri debent in Missa solemni et in aliis functionibus, multum disputatum fuit, et dum alii eas multiplicant ultra debitum, alii peccant per defectum, omittentes nonnumquam genuflexiones quæ expresse per Rubricas et Decreta præscribuntur. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XI, 1897, pag. 712 et sqq.)

I. Primo hic describuntur speciales quædam genuflexiones quæ Diacono expresse præscribuntur in Ritu celebrandi Missam ; de quibus igitur dubium nullum exstare potest, et quæ omitti numquam possunt in Altari quocumque, sit majus vel minus, et etiamsi non sit in Altari Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso.

1° Ad incensationem Altaris, tum in principio Missæ ante Introitum, tum etiam ad Offertorium, « Diaconus et Subdiaconus hinc inde assistunt Celebranti, cum incensat, et cum transeunt ante Crucem, semper genuflectunt. » (Ritus, Tit. IV, n. 7.)

2° In fine Canonis, ante *Pater noster*, « cum Celebrans dicit : *Per quem hæc omnia, etc.*, Diaconus (qui stat ad sinistram Celebrantis), facta Sacramento genuflexione, accedit ad dexteram Celebrantis, et quando opus est, discooperit Calicem, et cum Celebrante adorat ; similiter cooperit, et iterum genuflectit. Cum incipit : *Pater noster*, idem vadit retro post Celebrantem, facta prius Sacramento genuflexione, ubi stat dum dicitur Oratio Dominica. » (Ritus, Tit. IX, n. 4,)

3° « Cum in Oratione Dominica dicitur : *Et dimitte nobis debita nostra*, facta ibidem (retro post Celebrantem) genuflexione, vadit ad dexteram Celebrantis. » (Ritus, Tit. X, n. 8.)

4° Accepta a Celebrante pace, Diaconus « iterum Sacramento in Altari adorato, vertit se ad Subdiaconum, retro post Celebrantem, et similiter dat ei pacem,..... et vadit ad librum. » (Ritus, Tit. X, n. 8.)

II. Secundo describitur Decretum S. Rituum Congregationis quo traditur norma pro genuflexionibus peragendis in Altari.

« E pluribus Diœcesibus huic Sacræ Rituum Congregationi sequens propositum fuit dubium resolvendum ; nimirum :

Quænam a Diacono et Subdiacono tenendæ sint normæ pro genuflexionibus peragendis in Altari :

1. Dum ab uno latere in aliud transeunt :

2. Dum ab uno latere pergunt in medium :

3. Dum e medio ascendunt ad Altare aut vice versa ?

Et Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa auditoque voto Commissionis Liturgicæ, respondit :

Ad 1. Diaconus et Subdiaconus, Sacramento non exstante super Altari, semper genuflectunt et tantum in medio ; Sacramento vero exstante super Altari, semper et tantum genuflectere debent in utroque latere.

Ad 2 et 3. Diaconus et Subdiaconus. Sacramento exstante super Altari, semper et tantum genuflectunt in loco e quo recedunt ; excepto Subdiacono, qui reversus ab incensatione Sacramenti ad Elevationem in Missa solemni de Requie, genuflectere debet in medio tantum : Sacramento non exstante super Altari, numquam genuflectunt, præter Subdiaconum quando, accepta patena, vadit post Celebrantem ante medium Altaris ; et, facta genuflexione, ibi stat.

Atque ita rescripsit servarique mandavit.

Die 9 Junii 1899. » (Decret. n. 4027.)

Nota. 1° Hoc Decreto traditur norma pro genuflexionibus peragendis « in Altari » : nomine Altaris ibi intelliguntur ipsa Altaris proprie dicti structura, et ea quæ cum hac structura unum efficiunt, nempe suppedaneum, et gradus tum anteriores, tum laterales per quos ad suppedaneum pervenitur : quamdiu ergo Ministri sacri stant « in Altari », intellige in suppedaneo, in gradu aliquo, aut ante infimum Altaris gradum, servabunt traditam normam.

Nota. 2° Ubi in Decreto agitur de Sacramento exstante vel non super Altari, intelliguntur et distinguuntur diversæ partes Missæ, tum illa pars per quam Sacramentum exstat super Altare, nempe a Consecratione usque ad Communionem, tum reliquæ Missæ partes, nempe ante Consecrationem et post Communionem, per quas Sacramentum super Altari non exstat. Norma tradita non respicit casum quo totius Missæ tempore SS. Sacramentum vel reconditum habetur in Tabernaculo super Altari posito, vel expositum est in Throno super Altari disposito.

III. Decretum supra descriptum non tradit normam pro genuflexionibus quæ a sacris Ministris peragi debent, in iis casibus quibus ad Altare accedunt de loco qui non est proprie dictum Altare cum suis adnexis, ut supra (ad II, Nota 1) describitur, aut de Altari discedunt ad locum qui Altare ita intellectum amplius non est ; ex. gr., pro cantu Evangelii ; vel quando accedere debent ad credentiam et de ea ad Altare reverti ; etc.

Pro hujusmodi casibus, regula datur quod Ministri sacri semper debent genuflectere, ad quodcumque Altare, quando ad Altaris **medium** accedunt, vel de **medio** Altaris recedunt ;

ex. gr., ad accessum Altaris e sacristia, et recessum ab Altari ad sacristiam ; quando discedunt ad scamnum infra cantum Hymni *Gloria in excelsis* et Symboli, et de scamno revertuntur ad Altare ; ad cantum Evangelii, etc.

Nota. Hæc genuflexio fit in plano ante infimum Altaris gradum in duobus casibus, nempe in accessu e sacristia ad Altare, et in recessu ab Altari ad sacristiam ; sed quoties genuflectendum est infra celebrationem Missæ ante Altaris medium ad infimum gradum, semper et toties genuflexio fit non in plano sed in ipso infimo Altaris gradu. (Decret. S. Rituum Congregationis, 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 47, antiq. 4669, ad 51.)

(76) — Præscriptæ regulæ pro genuflexionibus observari debent in Altari quocumque, tam minori quam majori, in quo disposita est Crux in ejus medio requisita.

I. Si vero in Altari, in quo Missa solemnis celebratur, dispositum habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, observanda venit, præter alias, sequens Rubrica Missalis quæ præscribit Celebranti, pro incensatione Altaris, quod « si in Altari fuerit Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, accepto thuribulo, antequam incipiat incensationem, genuflectit, quod item facit quotiescumque transit ante medium Altaris. » (Ritus, Tit. IV, n. 6.) — Singularis est hæc genuflexio ante incensationem præscripta, quæ fit ratione SS. Sacramenti quod latet, dum tamen incensatur, sed absque ulla reverentia pro ipsa, Altaris Crux. — Patet quod si genuflexio præscribitur in casu Celebranti, eadem genuflexio profecta observari debet a Ministris ; datur enim in Rubrica Missalis regula generalis quod « Ministri semper genuflectunt cum Celebrante. » (Rubricæ generales, Tit. XVII, n. 4.) Igitur in casu genuflectere debent Ministri simul cum Celebrante, tum ante tum post Crucis incensationem. (Cfr. Gavantus et Merati, *Thesaurus Sacrorum Rituum*, Romæ, 1736, Tom. I, pag. 414.)

Aliæ genuflexiones insuper ratione Tabernaculi præscribuntur a Rubricis, sed præscribuntur Celebranti in diversis casibus, in quibus jam præscriptæ habentur Ministris sacris, juxta regulas supra datas, etiamsi in Altari non adsit Tabernaculum SS. Sacramenti ; — exemplum sit genuflexio a Celebrante facienda in incensatione Altaris quotiescumque transit ante Altaris medium ; hæc a Celebrante non est facienda si non fuerit Tabernaculum ; hæc eadem tamen a Ministris semper et in omni casu facienda noscitur præscripta a Rubricis et Decretis.

Igitur in supposito quod in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, a Ministris sacris, præter duas, nempe ante et post Crucis incensationem genuflexiones supra præscriptas, aliæ

plures observandæ non sunt quam consuetæ; et pro casu quo in Altari de latere Altaris ad medium accedunt, vel de medio Altaris ad latus secedunt, aut de medio ad Altare ascendunt, aut vice versa, servabitur Decretum 9 Junii 1899, supra (75, II) descriptum, sicut in casu ubi in Altari non asservatur S. Eucharistia.

II. Si in Altari in quo Missa solemnis celebratur, exposita fuerit palam, et in loco principali Altaris, Reliquia S. Crucis, aut Dominicæ Passionis, observandum venit sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « An cæremoniæ in Missa coram Sacræ Crucis Ligno palam exposito, differant ab iis quæ in Missa coram Sanctissimo Sacramento adhibentur? » S. Congregatio rescripsit : « Affirmative ; et solum est genuflectendum in accessu et recessu, et quoties opus sit transire ante medium Altaris, seu a latere ad latus, ut in incensatione. » (Decret. 23 Maji 1835, n. 2722, antiq. 4743, ad 1.) — Cum prædictæ genuflexiones jam sint Ministris in omni casu præscriptæ, ratione hujusmodi expositionis nullam præter consuetas genuflexionem observare debent, et præscripta in Decreto referuntur ad Celebrantem.

III. Si in Altari expositum fuerit in throno SS. Sacramentum tempore celebrationis Missæ solemnis, plures et diversæ genuflexiones erunt observandæ, de quibus postea dicetur in Capite V, (82).

(77) — **De conformitate servanda in actionibus.** — 1. Supra (76, I) notata fuit Rubrica Missalis, præscribens quod « Ministri semper genuflectunt cum Celebrante. » Sed et insuper Diaconus et Subdiaconus, nisi aliunde sint occupati, semper debent in Missa solemni inclinare caput, seque signare cum Celebrante, quoties hic clara voce (quæ in Missa solemni potest esse submissa) aliqua recitat, vel canit, vel canit Chorus, quæ dicta signa exigunt ; sive stent juxta Celebrantem, sive post ipsum. Quando autem Celebrans eadem signa vel actiones peragit, quæ verbis secreta voce dictis respondent, etsi hæc audiant Ministri, ad ea non debent attendere, nec signum ullum facere. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 174.)

Hæc regula illustratur sequenti S. Rituum Congregationis Decreto : Ad dubium : « An Diaconus et Subdiaconus teneantur se Celebranti conformare, quotiescumque hic se signat vel inclinat, dum aliquid cantat vel clara voce profert, aut submissa in Missa solemni juxta Rubricam, quod, inquam, non ad secreta pertinet ; nempe ad Confessionem, ad Introitum, ad *Gloria*

et *Credo,* ad Epistolam et Graduale, ad Evangelium, ad *Sanctus* et *Benedictus,* excepto quando Celebrans recitat *Confiteor Deo*, et etiam excepto Subdiacono patenam sustinente ad *Benedictus*? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative. » (Decret. *Urgellen.,* 29 Maji 1900, ad 5 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 531.)

Igitur Ministri sacri debent, ex. gr., se signare simul cum id facit Celebrans ad Introitum, in fine lectionis Hymni *Gloria,* etc.; se inclinare quando et quomodo id facit Celebrans in Orationibus, et ubicumque occurrit Sanctum Nomen Jesu, aut nomen B. Mariæ Virginis, etc.; pectus percutere cum id facit Celebrans quando ad *Agnus Dei* dicit *miserere nobis*; hæc enim omnia verbis respondent clara voce a Celebrante prolatis ; — e contra non possunt se signare quando Celebrans id facit ad verba *omni benedictione* in Oratione *Supplices te rogamus*; aut ad verba *da propitius pacem* in Oratione *Libera nos*; nec se inclinare quando in Canonis Oratione *Communicantes* id facit Celebrans ad nomina Jesu et Mariæ ; nec pectus percutere, cum Celebrans id facit dicens *Nobis quoque peccatoribus,* vel *Domine non sum dignus* ; hæc enim signa et inclinationes respondent verbis secreto a Celebrente prolatis, et actui secreto aut vix externo Celebrantis, qui ita sunt Celebrantis propria, ut ad ministros non pertineant.

Quod si dubium aliquod suboriri potest super percussione pectoris ad *Nobis quoque peccatoribus,* et *Domine non sum dignus,* ratio dari potest, quia, etsi dicta verba non secreto proferantur, totam dicunt ad secreta relationem, sine quibus nullum aut vix perfectum sensum haberent. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIII, 1899, pag. 119.) Cæterum ita servandum mandavit S. Rituum Congregatio, nam ad dubium : « An Diaconus et Subdiaconus teneantur pectus percutere simul cum Celebrante ad *Nobis quoque peccatoribus,* ad *Agnus Dei*, et demum ad *Domine non sum dignus*? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Teneri tantum ad *Agnus Dei.* » (Decret. 30 Decembris 1881, n. 3535, ad 3, antiq. 5830, ad 4.)

2. Propositis hisce regulis, pro praxi addere juvat animadversionem, quod semper maximam curam habere debet Diaconus, ut in genuflexionibus, in inclinationibus, aliisque actionibus quæ communiter, sive cum Subdiacono, sive cum Celebrante et Subdiacono faciendæ sunt, decentem conformitatem omnino servet, una simul cum eis, scilicet eodem modo, et uno eodemque tempore genuflectendo, vel se inclinando, vel se signando.

CAPUT I

DE OFFICIO DIACONI AD ASPERSIONEM AQUÆ BENEDICTÆ, IN DOMINICIS

(78) — 1. Dato signo exeundi, Diaconus, omnibus sacris paramentis præter manipulum indutus, una cum omnibus caput profunde inclinat Cruci sacristiæ, et biretum capiti imponit. Dextram manum ad pectus apponit, et sinistra tenet extremitatem pluvialis ad dexteram Celebrantis, et ita ad Altare procedit. — Ad sacristiæ januam nemo se signat accepta aqua benedicta, quæ in casu non traditur quia mox sequitur aspersio aquæ benedictæ.

Quæ forsan in via ad Altare observari deberent reverentiæ, item salutationes ad clerum in Choro congregatum exponuntur postea Capite XI, (89, 90).

Nota. In sacris functionibus, in quibus Celebrans est indutus pluviali, et ejus Ministri sunt induti dalmatica et tunicella, dicti Ministri non possunt incedere unus post alium ante Celebrantem ; sed Ministri incedere debent unus ad dexteram alter ad sinistram Celebrantis. (Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Augusti 1766, n. 2482, antiq. 4336, ad 3.)

2. Ad Altare Diaconus stans ante gradus ad dexteram Celebrantis, demittit pluviale, tradit ministro biretum suum et etiam illud Celebrantis quod ab isto accipit ; et simul cum Subdiacono uno genu in plano ante Altaris infimum gradum genuflectit. (Hæc prima genuflexio fit in plano ; item ultima ante regressum ad sacristiam ; reliquæ vero per totum Officium fiunt in infimo gradu. Cfr. (75), III, Nota.)

3. Mox Diaconus genua flectit in infimo gradu ; accipit a Cæremoniario aspersorium, illud osculatur, et tradit Celebranti, osculans ejus manum ; accipit librum, illumque sinistra cum Subdiacono tenet ante Celebrantem, dextera pectori apposita. Intonata Antiphona, reddit librum Cæremoniario, et cum aspergitur, caput inclinat et se Cruce a fronte ad pectus signat. Incipit dein Celebrans cum Ministris alternatim recitare Psalmum *Miserere*.

Nota. Ministri debent aspergi a Celebrante, et non possunt accipere manu aquam benedictam ex aspersorio a Celebrante præsentato ; etenim ad dubium : « An Sacerdos Missam Dominicalem celebraturus in Ecclesiis Collegiatis possit offerre aquam benedictam Diacono et Subdiacono manu eorum aspersorio capiendam, vel potius ipsos aspergere debeat, non ob-

stante contrario usu ? » S. Rituum Congregatio censuit respondendum : « Negative, ad primam partem ; Affirmative, ad secundam. » (Decret. 27 Septembris 1698, n. 2013, antiq. 3493, ad 2.)

4. Assurgit, et facta mox genu dextro genuflexione in infimo gradu, comitatur Celebrantem (tenens sinistra pluvialis extremitatem, et dextera ad pectus posita) : 1° ad Chorum a parte Evangelii ; 2° ad Chorum a parte Epistolæ, genu dextrum flectens cum transit ante medium Altaris ; 3° ad Chori ingressum pro aspersione populi. — Dum cantatur ℣. *Gloria Patri,* interrumpitur aspersio, et Diaconus simul cum Celebrante et aliis se convertit ad Altare, stans parum inclinatus : deinde aspersio continuatur. — Reversus ad Altare, accipit aspersorium cum osculis manus et manubrii, redditque ministro, genu dextrum flectit in infimo gradu, et stat a dextris Celebrantis. Ad Versiculos et Orationem, stans tenet sinistra simul cum Subdiacono librum ante Celebrantem.

5. Post Orationem tradit librum Cæremoniario, junctisque manibus, genu dextrum in infimo gradu flectit, et tendit ad scamnum ; manipulum osculatur, et sinistro brachio apponit. Reversus ad Altare, genu dextrum flectit in infimo gradu.

Nota. Celebrans potest etiam deponere pluviale et induere casulam, et Ministri accipere possunt manipulum in medio Altaris ante gradus, nisi expositum in Altari habeatur SS. Sacramentum, et nisi adsit Episcopus. (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Martii 1862, n. 3110, antiq. 5318, ad 4.)

CAPUT II

DE OFFICIO DIACONI IN MISSA SOLEMNI

(79) — 1. **Accessus ad Altare.** — Dato signo exeundi e sacristia, Diaconus, omnibus sacris paramentis indutus, una cum omnibus caput profunde inclinat Cruci sacristiæ, et biretum capiti imponit ; manibus junctis, subsequitur Subdiaconum, et præcedit Celebrantem.

Ad sacristiæ januam possunt omnes accepta aqua benedicta se Cruce signare ; ideo Diaconus ibi dextera aufert biretum e capite et mox illud tenet sinistra ad pectus ; dein summis indice et medio dexteræ accipit aquam benedictam e manu Subdiaconi, et conversus per dexteram ad Celebrantem huic iisdem digitis aquam præsentat, et mox seipsum Cruce signat ; quo facto, dextera biretum capiti imponit, et procedit.

Quæ forsan in via ad Altare observari deberent reverentiæ, item salutationes ad clerum in Choro congregatum, exponuntur postea Capite XI, (89, 90).

Si sacristia sit a parte Epistolæ, advertit Diaconus ut ad Altare recedat a gradibus quantum necesse est ut Celebrans possit ante eum transire.

Ad Altare cum pervenerit, Diaconus stans ante gradus ad dexteram Celebrantis, dextera aufert biretum e capite illudque tradit ministro, vel deponit in gradu, et mox dextera accipit biretum Celebrantis, quod itidem tradit ministro, vel deponit in gradu ; et manibus junctis, simul cum Subdiacono, uno genu in plano ante Altaris infimum gradum genuflectit. (Cfr. dicta Capite I, (78), n. 2.)

Nota. Dicitur supra quod Diaconus simul cum Subdiacono genuflectit in plano ; non debet advertere ad reverentiam quam facit Celebrans, nam si in Altari non habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, Celebrans inclinationem tantum facere tenetur, interea dum Ministri hic in quocumque supposito genuflexionem præstare debent. Diaconus et Subdiaconus vero advertent ut simul dum Celebrans se inclinat ipsi genuflectant.

2. **Principium Missæ.** — Diaconus se Cruce signat ad verba *In nomine Patris, etc.* ; respondet Celebranti ; ad *Gloria Patri*, caput inclinat ; ad *Adjutorium*, iterum se Cruce signat ; ad *Misereatur tui*, modice inclinat caput versus Celebrantem ; ad *Confiteor,* profunde corpus inclinat, paulum se vertens versus Celebrantem ad verba *tibi Pater, te Pater* ; ad verba *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa*, percutit sibi pectus manu dextra totaliter extensa, posita interim sinistra manu infra pectus ; post *Misereatur vestri*, erigit se ; ad *Indulgentiam*, Cruce se signat ; et ad versiculos *Deus tu conversus, etc.*, facit corporis inclinationem mediocrem.

Pro modo faciendi inclinationes, signum Crucis, percussionem pectoris, etc., videantur Regulæ generales in limine hujus Tractatus traditæ, (2), I, IV, VI.

3. **Incensatio.** — Dicto a Celebrante *Oremus*, Diaconus, junctis manibus, simul cum Celebrante ascendit ad suppedaneum, pari passu, movens primo dextrum pedem, et cum ad suppedaneum pervenerit nullam facit reverentiam. Cum Celebrans Altare osculatus est, Diaconus convertit se ad Thuriferarium ; manu sinistra accipit naviculam incensi, et dextera eam apertam tenet ante Celebrantem. Parum inclinatus versus Celebrantem, dicit : *Benedicite Pater Reverende,* accipit dextera

cochlear vacuum, illud osculatur in summitate et tradit Celebranti, osculans et ejus manum ; duabus manibus deinde tenet naviculam. Cum Celebrans incensum ter posuit in thuribulum, Diaconus osculatur ejus manum, dextera recipit cochlear, illudque osculatur et in naviculam reponit. Benedicto a Celebrante thure, Diaconus reddit sinistra naviculam Thuriferario, et dextera ab eo recipit thuribulum prope summitatem catenularum, sinistra mox tenens catenulas prope cooperculum. Osculatur manubrium, cui catenulæ appenduntur, illudque reponit in sinistram Celebrantis ; hujus dexteram osculatur, et in eam reponit catenulas prope cooperculum.

4. Diaconus caput profunde inclinat cum Celebrante ante Crucis incensationem ; dextera pectori apposita, sinistra sustollit modice partem posteriorem casulæ. Cum Celebrante caput profunde inclinat iterum post incensationem Crucis, parumque recedens post dexteram Celebrantis, ipsum sequitur euntem ad cornu Epistolæ, revertentem ad medium, ubi simul cum Subdiacono genu dextrum flectit ; et similiter ad cornu Evangelii, iterum simul cum Subdiacono genu dextrum flectens ad regressum ante medium. — Hanc utramque genuflexionem peragere debent Diaconus et Subdiaconus, quia ab uno latere Altaris in aliud transeunt (cfr. (75), II) ; Celebranti vero in casu præscribitur tantum profunda capitis inclinatio. – Cum redit ad cornu Epistolæ, ubi Celebrans incensavit partem anteriorem Altaris, Diaconus demittit casulam, et, Celebrante manente in suppedaneo, uno gradu e suppedaneo descendit ; osculatur Celebrantis dexteram, mox in dexteram manum accipiens catenulas prope cooperculum thuribuli, et in sinistram manubrium, quod osculatur ; descendit ad planum in parte Epistolæ, et conversus ad Celebrantem, illum triplici ductu incensat, facta ante et post parva capitis inclinatione.

Nota. I. Si in Altari fuerit Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, Celebrans « accepto thuribulo, antequam incipiat incensationem, genuflectit, quod item facit quotiescumque transit ante medium Altaris. » (Ritus, Tit. IV, n. 6.) Ideo in hoc casu Diaconus genu dextrum flectit simul cum Celebrante et Subdiacono, primo ante, dein post Crucis incensationem ; denique bis, nempe cum transit ante Altaris medium. (Cfr. dicta (76), I.)

Nota. II. Si in Altaris loco principali palam fuerit exposita Reliquia S. Crucis, Diaconus nullas peragit genuflexiones præter duas consuetas præscriptas ad transitum ante Altaris medium. (Cfr. dicta (76), II, et (46), 4, Nota II.)

Nota. III. Si in Altari fuerint expositæ prope Crucem, vel inter candelabra, Reliquiæ seu Imagines Sanctorum, Diaconus,

præter reverentias consuetas præscriptas, caput profunde inclinabit postquam a Celebrante incensatæ fuerint Reliquiæ quæ a dextris sunt, idest a parte Evangelii. (Cfr. dicta in Serie IV, Capite II, (46), 4, Nota III.)

Quod si Reliquiæ Sanctorum sint expositæ in Altari in quo fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, Diaconus genu dextrum flectet ante et post incensationem Crucis, caput vero inclinabit priorem inter et alteram incensationem Reliquiarum.

Nota. IV. Si in Altari fuerit expositum in Throno SS. Sacramentum, observabit Diaconus pro incensatione Altaris ea quæ præscribuntur Capite V, (82).

Nota. V. Pro incensatione Celebrantis advertat Diaconus, ut in singulo ex tribus ductu thuribuli hoc vibretur duplici ictu. (Cfr. Series I, Caput II, (5), 25, Nota, ubi describitur quo modo actus thurificationis peragitur.)

5. **Introitus.** — Reddit Diaconus thuribulum Thuriferario, ascendit ad dexteram Celebrantis, manu dextra indicat initium Introitus, et Cruce a fronte ad pectus se signat cum Celebrante ; ad *Gloria Patri*, caput versus Crucem Altaris inclinat. Alternatim cum Celebrante recitat *Kyrie eleison.*

6. Sub finem cantus *Kyrie*, sequitur Celebrantem ad medium Altaris, incedens in gradum secundum (in supposito, ut est frequentius, quod Altare habeat gradus tres : quod si gradus sint numero quinque vel plures, convenientius Diaconus incedet et stabit in gradum medium, seu tertium) : ibi se sistit a tergo Celebrantis, nulla facta ante Altaris medium reverentia.

Nota. I. In Sabbatis Quatuor Temporum, aliisque paucis diebus, in Missis de Tempore, dicto *Kyrie eleison*, dicuntur Orationes cum Prophetiis. In casu Diaconus, dicto *Kyrie eleison*, incedens in gradum suum, ut supra, se sistit ante cornu Epistolæ, retro post Celebrantem qui remanet ante Missale in cornu Epistolæ. Celebrans cantat : *Oremus* : Diaconus ad hoc verbum caput profunde inclinat Cruci ; immediate post cantat : *Flectamus genua*, et genu dextrum flectit versus cornu Epistolæ, non vero versus Crucem Altaris ; et cum Subdiaconus cantat mox : *Levate*, Diaconus assurgit. Celebrans non debet genuflectere. Quo tono debeat cantari : *Flectamus genua*, describitur in Appendice II hujus Tractatus. — In Quatuor Temporibus Pentecostes non dicitur *Flectamus genua*, nec *Levate*.

Ad cantum Orationum, et ad Lectiones Diaconus assistit Celebranti eo modo qui postea describitur, n. 10, pro Orationibus Missæ, et n. 11, pro lectione Epistolæ.

Nota. II. Si dicto *Kyrie eleison*, interea dum ejus cantus protrahitur a Choro, Celebrans et Ministri ad sedendum acce-

derent ad scamnum. Diaconus in loco ubi stat simul cum Celebrante et Subdiacono caput profunde inclinat ad Crucem Altaris (non genu dextrum flectit, quia non stat in medio Altaris), et convertens se per dexteram suam, directe accedit cum ipsis ad scamnum. Ibi omnia observat quæ pro sessione præscribuntur in numero sequenti 7. Quando terminatur a choro *Kyrie eleison,* Celebrans et Ministri accedunt ad Altare per viam longiorem, ut præscribitur in numero 9.

7. **Gloria.** — Cum Celebrans intonat hymnum *Gloria,* ad verbum *Deo* Diaconus caput profunde Cruci inclinat, et lente ascendit ad dexteram Celebrantis, ita ut quasi simul cum Subdiacono ascendat ; cum eo hymnum prosequitur submissa voce, et profunde caput inclinat Cruci, cum dicit : *Adoramus te* ; *Gratias agimus tibi* : *Jesu Christe* : *Suscipe deprecationem nostram* ; et iterum *Jesu Christe.* Cum dicit in fine : *Cum sancto Spiritu, etc.*, Cruce a fronte ad pectus se signat (cfr. (2), I, 1). Dein manibus junctis genu dextrum flectit : notatur hic, quod Diaconus ad mensam Altaris stans, et ibi genuflectens, semper manus junctas tenet, et numquam eas Altari imponit (cfr. (72), 5) ; et convertens se per dexteram suam, cum Celebrante tendit ad scamnum, directe per partem Epistolæ, Celebrantem quasi comitans ad sinistram, non præcedens. Ad scamnum convertit se versus Celebrantem, ad ejus dexteram, partem inferiorem planetæ sinistra sublevat, et Celebranti sedenti dextera tradit biretum ; postea sumit biretum suum ante pectus, inclinatur paulum ad Subdiaconum, sedet, et caput cooperit : manus ambas extensas super genua ponit (ordinarie ponuntur infra dalmaticam, sed melius super hanc ponerentur).

8. Quando verba supra n. 7 pro inclinatione indicata cantantur, dextera accipit biretum, illudque tenet prope genu dextrum, cum apertura versus pectus, et caput profunde inclinat.

9. Ad ℣. *Cum sancto Spiritu,* caput detegit, surgit, biretum deponit in scamnum, accipit biretum Celebrantis, itemque reponit in scamnum, manibusque junctis sequitur Celebrantem, et per viam longiorem seu planum se confert ante infimum Altaris gradum, in quo ad dexteram Celebrantis genu dextrum flectit. Mox ascendit post Celebrantem ad secundum vel medium gradum, et stat a tergo Celebrantis.

10. **Orationes.** — Cantato a Celebrante : *Dominus vobiscum*, Diaconus nullam faciens reverentiam sequitur Celebrantem ad cornu Epistolæ, incedens in eumdem secundum seu medium gradum, et stat ante cornu Epistolæ a tergo Celebrantis. Una cum eo omnes capitis inclinationes, quotiescumque

faciendæ occurrunt, facit versus Crucem, vel versus librum, scilicet : 1° profunde versus Crucem, ad *Oremus*, et ad nomen *Jesu* ; 2° mediocriter versus librum, ad nomen B. Mariæ V. ; 3° inclinatione minima, ad nomina Sanctorum de quibus dicitur Missa, aut fit Commemoratio specialis in eorum Festis ; item in Oratione pro Papa, quando nominatur.

Nota. Si in Altaris loco principali posita fuerit Imago B. Mariæ V., aut Sancti ad cujus nomen inclinatio facienda est, ad eam Imaginem caput inclinatur. (Decret. S. Rituum Congregationis, 13 Februarii 1892, n. 3767, ad 25 ; cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 205.)

Ubi non adest Cæremoniarius, Diaconus ad dexteram Celebrantis accedit, eique dextra manu ostendit Orationem ; si plures sunt, folia vertit, accedens si necesse est, a dextro latere Celebrantis ad sinistrum, et iterum a sinistro ad dextrum, reverentiam aliquam hac de causa numquam faciens.

11. **Epistola.** — In fine ultimæ Orationis, Diaconus accedit ad latus Celebrantis dextrum vel sinistrum, prout vertenda erunt folia, ad indicandum Epistolam : hanc manu dextra indicat, et dum Celebrans legit Epistolam, stat ad ejus dexteram, respondetque in fine : *Deo gratias*.

12. Dictis a Celebrante Graduali et cæteris, relinquit dexteram Celebrantis, et stat post eum in secundo vel medio gradu.

Nota. I. Dum Celebrans legit Epistolam et quæ sequuntur, Diaconus observat omnes inclinationes et genuflexiones, si quæ præscribuntur, quas facit Celebrans. Quamdiu Celebrans legit, ipse et Diaconus non attendunt ad ea quæ Subdiaconus cantat ; sed ubi Celebrans omnia legerit, Diaconus in loco suo retro post Celebrantem, quando Subdiaconus cantat nomina quæ inclinationem requirunt, etiam ipse caput inclinat ; itidem quando Subdiaconus verba cantat ad quæ genuflexio præscribitur, etiam ipse genu dextrum flectit in gradu.

Nota. II. Si interea dum Sequentia cantatur Celebrans pro sessione accedit ad scamnum (cfr. pro tempore quo ad sessionem procedendum erit ea quæ dicuntur supra, Series II, Cap. V, § 1, (23), in Nota ad 7), Diaconus, postquam Subdiaconus benedictionem acceperit, et librum ministro reddiderit, facta ubi stat inclinatione profunda capitis Cruci Altaris, simul cum Celebrante et Subdiacono, convertit se per dexteram suam, et directe accedit ad scamnum, præcedente Celebrante ; ibi observat omnia jam supra descripta numero 7. Ad signum Cæremoniarii versus finem Sequentiæ, omnes assurgunt et accedunt ad Altare ; sed in hoc casu accedunt directe de scamno ad cornu Epistolæ, et non per viam longiorem ; postquam ascen-

derit Celebrans, ascendit Diaconus ad cornu Epistolæ, et ibi stat sicut præscribitur numero 12, non retro post Celebrantem, sed ad latus Epistolæ ; ibi subsistit usque dum Celebrans incipit legere Evangelium.

13. **Evangelium.** — Diaconus in loco suo ante cornu Epistolæ remanet usque dum Celebrans incipit legere Evangelium ; tunc absque ulla reverentia descendit ad planum a parte Epistolæ, ibique accipit sine inclinatione a Cæremoniario, vel alio ministro librum Evangeliorum. Librum sustinet utraque manu ad inferiores angulos, ante pectus elevatum, et cum apertura versus sinistram. Vertit se per suam sinistram, et pergit in planum ante Altaris medium : genu dextrum flectit in infimo gradu, ascendit, et deponit librum super medium Altaris, ita ut pars unde aperitur respiciat cornu Evangelii ; ibi stat, donec Celebrans Evangelii lectionem finiverit.

Nota. Rubrica dicit quod Diaconus librum defert ad Altare ; ad dubium an hæc verba « ad Altare » interpretanda sunt quasi diceretur « in medio Altaris », S. Rituum Congregatio rescripsit : « Affirmative, seu in medio Altaris. » (Decret. 12 Julii 1901. *Colimen.*, ad 3 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV. 1901, pag. 462.)

14. Lecto Evangelio, Celebrans accedit ad medium ; Diaconus paulum e medio recedit versus partem Epistolæ, et mox conversus ad Thuriferarium ministrat incensum, ut supra n. 3. Reddita navicula, per sinistram convertit se, manibus junctis, et in extremo suppedaneo ante Altare parum a parte Epistolæ genua flectit : genuflexus et profunde inclinatus, recitat Orationem : *Munda cor meum, etc.*

15. Assurgit, ascendit et sumit de Altari librum Evangeliorum, tenet eum ut supra, n. 13, et conversus ad Celebrantem, dextrorsum habens Altare, genua submittit, et petit benedictionem a Celebrante, dicens : *Jube domne benedicere.* Accepta benedictione, osculatur Celebrantis manum libro impositam, assurgit, sine ulla reverentia convertit se per sinistram suam, et descendit ante infimum gradum, paulum versus partem Epistolæ, ad dexteram Subdiaconi.

16. Dato signo in fine cantus Gradualis, etc., Diaconus genu dextrum flectit, assurgit, convertit se per sinistram, et accedens ad dexteram Subdiaconi tendit ad locum ubi canitur Evangelium (scilicet : aliquantulum ab Altaris gradibus, et in eadem linea ac infimus gradus a parte Evangelii) ; ibi dextrorsum habens Altare, faciemque versam ad partem quæ pro Aquilone figuratur, librum aperit, et reponit in manus Subdiaconi.

Nota. I. Non raro angustior est situs, qui non permittit pro-

cessionem supra descriptam ad locum in quo Evangelium cantatur, qui locus tunc est in parva distantia ab inferiori gradu Altaris. In tali casu Diaconus, facta genuflexione in infimo gradu, convertit se per sinistram, procedit ad locum, et accedens ad Subdiaconum librum aperit, et reponit in manus Subdiaconi.

Nota. II. In quibusdam Ecclesiis disponitur legile in loco ubi Diaconus cantat Evangelium ; in casu Diaconus cum pervenerit ad legile, librum aperit et reponit super legile.

17. Junctis manibus, cantat : *Dominus vobiscum,* dein manus disjungens, ponit sinistram super librum totam apertam et extensam, et pollice dextræ manus, id est, interiori illius parte seu pulpa (non autem extremitate aut ungue), reliquis digitis extensis et junctis, et palma ad librum conversa, signat parva Cruce librum in principio Evangelii, scilicet super principio ipsius sacri textus ; non super verbis *Sequentia* vel *Initium* ; posita deinde manu sinistra infra pectus, signat seipsum in fronte, ore et pectore, manus dextræ pollice : dexteram extensam convertit a parte palmæ ad faciem, et solius pollicis interiore parte signat frontem, os et pectus ; in hac triplici Cruce lineæ rectæ non excedant altitudinem frontis, lineæ transversæ non excedant latitudinem oris. (Cfr. Regulæ generales (2), I, 2.) Sequenti modo distribuit verba ad hæc quatuor signa Crucis : signans principium Evangelii, dicit *Sequentia*, vel *Initium* ; signans seipsum in fronte, dicit *sancti* ; in ore, dicit *Evangelii* ; in pectore, dicit *secundum N.* — Mox a dextro latere suo accipit thuribulum, tenens sinistra catenulas prope manubrium, dextera catenulas prope cooperculum ; sinistram applicat pectori, dextera tenet thuribulum ante summum pectus, caput inclinat libro, et ter librum incensat : 1° in medio, 2° ad suam sinistram (dexteram libri), 3° ad suam dexteram (sinistram libri) ; advertat ut in singulo ex tribus ductu thuribuli hoc vibretur duplici ictu ; caput iterum inclinat libro, redditque thuribulum ministro. Junctis manibus, cantat Evangelium, inclinans caput versus librum, vel profunde ad nomen *Jesu*, vel mediocriter ad nomen *Mariæ*, vel inclinatione minima ad nomen Sancti de quo celebratur Festum ; et si sit genuflectendum, genu dextrum in terram ponit versus librum, dum interea manus retinet junctas.

Quo tono debeat cantari Evangelium describitur in Appendice II hujus Tractatus.

Nota. In Festis SS. Evangelistarum Joannis, Matthæi et Lucæ, non est facienda capitis inclinatio ad eorum nomen, quando annuntiatur Sequentia ex eorum Evangelio. (Decret. S. Rituum Congregationis, 13 Februarii 1892, n. 3767, ad 25.)

18. Absoluto cantu Evangelii, Diaconus dextra manu ostendit Subdiacono principium textus, et Subdiacono transeunti dat locum, facie ad Altare versa. – Si adhibitum fuerit legile, Diaconus sumit librum apertum ambabus manibus de legili, eumque apertum tradit Subdiacono accedenti, ita ut liber repositus sit super brachium sinistrum Subdiaconi, et mox dextra manu ostendit principium Evangelii ut supra. — Accedit ad gradus Altaris versus partem Evangelii, accipit thuribulum, et triplici ductu (cfr. supra n. 4, Nota V) thurificat Celebrantem, inclinatione capitis parva ante et post facta, et reddit thuribulum. Procedit deinde manibus junctis ad gradum secundum vel medium, et genu dextrum flectit ante Altaris medium.

19. **Credo.** Cum Celebrans intonat Symbolum, Diaconus ad verbum *Deum* simul cum Celebrante caput profunde Cruci inclinat, lente ascendit ad dexteram Celebrantis, et cum eo prosequitur submissa voce Symbolum ; caput inclinat Cruci cum dicit : *Jesum Christum* ; genu dextrum flectit ad ℣. *Et incarnatus est.... homo factus est* ; caput iterum inclinat Cruci, cum dicit : *simul adoratur* ; et cum in fine dicit ℣. *Et vitam venturi sæculi. Amen*, Cruce a fronte ad pectus se signat. (Cfr. (2), I, 1.)

20. Observat deinde pro sessione, ea quæ notatur nº 7.

21. Ad verba : *Jesum Christum* ; *Et incarnatus.... factus est* ; *simul adoratur ;* observat quæ notantur nº 8.

Nota. In Festo Annuntiationis B. Mariæ V., et in tribus Missis Festi Nativitatis Domini, quando cantatur in Choro versus : *Et incarnatus.... factus est.* Celebrans et Ministri debent genuflectere. (Rubricæ generales, Tit. XVII, n. 3.) Ideo Diaconus, una cum Celebrante et Subdiacono, nudato capite, assurgit, et tenens biretum ante pectus, genua flectit in infimo gradu a parte Epistolæ, et caput profunde inclinat toto tempore quo hic versus cantatur : dein assurgit, et recedens ad scamnum cum Celebrante et Subdiacono, cum Celebrans sedet, ipse biretum deponit in scamnum, et mox defert bursam ad Altare, quemadmodum in sequenti numero describitur.

22. Quando incipitur cantus ℣. *Crucifixus*, Diaconus caput non tegit, assurgit, et biretum deponit in scamnum ; facta Celebranti inclinatione, ante eum et Subdiaconum transiens tendit ad abacum, et e manibus ministri assumit bursam, quam fert ambabus manibus elatam ad altitudinem vultus, planam, cum apertura conversa ad faciem, non tamen apertam. Accedit ad Altare, genu dextrum flectens ante medium in infimo gradu ; ascendit, deponit bursam super Altare, mox eam aperit, apertamque sinistra tenet, et dextera extrahit corporale ; deinde

sinistram imponens Altari, dextera bursam ponit versus cornu Evangelii contra gradum candelabrorum, cum apertura versus mensam Altaris, nisi ornatus ipsius bursæ obstet. Tum utraque manu corporale in media Altaris mensa super lapidem consecratum totum extendit : primo per longitudinem explicat partem quæ est ad sinistram suam, dein eam quæ est ad dexteram ; postea per latitudinem extendit primo partem posteriorem versus tabellam, deinde partem anteriorem versus frontem Altaris, ita ut pars anterior distet circiter spatio unius digiti a fronte mensæ ; si corporale ita amplum est ut pars posterior tegat partim tabellam secretarum, hanc potest sublevare et superimponere corporali parti posteriori. Manibus junctis, genu dextrum flectit, et descendit per breviorem viam a latere de Altari ad scamnum : biretum sumit, inclinat caput ad Celebrantem, sedet et caput cooperit.

Nota. Stricte loquendo, potest calix jam a principio Missæ præparari in Altari, sed « magis decet » ut præparetur in credentia (Ritus celebrandi Missam, Tit. VII, n. 9) : eo vel magis quod omnia quæ a Ministris sacris servanda præscribuntur, melius et facilius observari possunt, si calix sit in credentia præparatus. — Si itaque calix sit jam ante Missam in medio Altaris paratus, patet quod delatio corporalis infra Symboli cantum omittitur.

23. Ad ℣. *Et vitam,* observat quæ notantur n. 9.

Nota. Si forte Celebrans et Ministri non sederent tempore cantus Symboli, hoc recitato, Diaconus cum Celebrante et Subdiacono remanet in suppedaneo, stans manibus junctis ad dexteram Celebrantis. Quando cantatur versus : *Et incarnatus... factus est,* Diaconus convertit se per sinistram suam, et descendit ad penultimum gradum, convertit se ad Altare, et cum Celebrante et Subdiacono genua flectit in ora suppedanei usque ad finem versus ; debet etiam, licet genuflexus, caput profunde inclinare (Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Maji 1846, n. 2915, ad 6, antiq. 5050, ad 8) ; finito cantu versus, assurgit cum Celebrante, et per dexteram suam conversus, descendit per gradus directe ad credentiam, ut ibi assumat bursam eamque deferat ad Altare eo modo qui describitur supra n° 22 ; postquam genu dextrum flexit in infimo gradu ante medium, ascendit ad dexteram Celebrantis, illoque parum ab Altaris medio recedente, deponit bursam et explicat corporale ; quo facto, iterum stat ad Celebrantis dexteram in suppedaneo ut supra. Ad versum : *Et vitam venturi sæculi,* Diaconus convertit se per sinistram suam, et descendit ad secundum, seu medium gradum, ubi ad Altare conversus stat in medio retro post Celebrantem.

24. **Offertorium.** — Cum Celebrans cantat *Oremus*, Diaconus profunde caput inclinat, deinde conscendit suppedaneum ad dexteram Celebrantis, nullam præstans reverentiam.

25. Cum Subdiaconus venit ad Altare, Diaconus a calice aufert veli humeralis extremitatem. — Si non fuerit cantatum Symbolum, Diaconus accipit bursam, et pro explicatione corporalis omnia peragit, ut notantur n. 22 ; interea Celebrans aliquantum ab Altari retrocedit, ut Diaconus in medio Altaris omnia hæc decenter præstare valeat. — Si calix jam sit in Altari positus, Diaconus, stans ad dexteram Celebrantis, calicem ad nodum dextera accipit, sinistra super velum posita, eumdemque ante se in cornu Epistolæ collocat ; deinde utraque manu accipit calicis velum ad extremitates posteriores, illudque prudenter de calice tollit, et tradit ministro deferendum ad credentiam ; vel, si retinetur velum in mensa Altaris, illud plicat in tres partes, ita ut exterior veli pars sola appareat, et plicatum deponit ambabus manibus in cornu Epistolæ, non longe a corporali, prope gradum candelabrorum. — Mox Diaconus pallam dextera amovet a calice, et ponit contra gradum prope tabellam, interea sinistræ extremos digitos indicem et medium imponens calicis pedi. Accipit ambabus manibus patenam cum hostia, scilicet : sinistra ad partem anteriorem, dextera ad partem posteriorem patenæ, imposita utriusque pollicis extremitate parti seu oræ superiori, reliquisque digitis patenæ suppositis ; pars anterior patenæ hic intelligitur a positione hostiæ, scilicet illa ad quam conversi sunt pedes Crucifixi in hostia impressi, posterior vero erit a parte capitis Crucifixi ; patenam osculatur in ora juxta pollicem sinistræ, eamque ministrat Celebranti, advertens ut Celebrans possit brachium dextrum superimponere sinistro brachio Diaconi ; et osculatur Celebrantis manum.

26. Postea Diaconus a Subdiacono accipit manu sinistra calicem ad nodum prope cuppam, pollici sinistro imponens medium plicati purificatorii, ita ut dependeant super calicis pedem duæ æquales partes, eumque cooperiant. Manu dextra accipit ampullam vini a Subdiacono, et si ampulla non est vitrea certiorem se reddit de vino, infundit vinum in calicem (consultius non in medium, sed juxta parietem calicis paululum inclinati), in ea decenti quantitate, quæ unico haustu facile, et sine interruptione sumi potest. Cum deinde Subdiaconus aquam infudit, Diaconus Subdiacono reddit ampullam vini, et dextera sumit purificatorium illudque circumvolvit indici, et indice dextro parietem interiorem calicis a dispersis guttis abstergit, sinistra tenens interea calicem ad nodum. Caveat in hac actione, nimium elevare brachium dextrum. Quo facto, purifi-

catorium ambabus manibus componit, plicat in duas æquales partes, et in Altare reponit juxta corporale, in distantia unius palmæ ab ora mensæ, et cum extremitatibus versus parietem, seu candelabrorum gradum.

27. Dextra manu accipit calicem prope cuppam, sinistra vero subtus pedem ad partem anteriorem, seu illam in qua Crux in pede figurata habetur ; osculatur calicis pedem, et calicem tradit Celebranti, advertens ne brachium suum sinistrum superimponat brachio dextro Celebrantis, et osculatur Celebrantis manum. Mox sinistram suam pectori applicat, et dextera pedem calicis tangit, vel brachium dextrum Celebrantis sustentat, et cum Celebrante recitat Orationem : *Offerimus*, *etc.*, interea oculos continuate ad Crucem elevatos tenens. — Recitatio hujus Orationis cum descriptis cæremoniis expresse a Rubricis Diacono præscribitur ; proinde licitum non est illam omittere. (Cfr. Ritus celebrandi Missam, Tit. VII, n. 9.) — Dicta Oratione, Diaconus dexteram a calice vel brachio Celebrantis retrahit, et relinquit calicem Celebranti.

28. Depositum a Celebrante post signum Crucis calicem Diaconus palla cooperit ; deinde dextera accipit patenam, eamque in dextram manum Subdiaconi ponit, ita ut pars concava pectus Subdiaconi respiciat, eamque extremitate veli a dextro Subdiaconi humero pendentis tegit.

29. Convertit se ad Thuriferarium, accipit naviculam incensi, et omnia pro thuris impositione peragit, ut sunt notata n. 3.

Celebrans primo incensat oblata ; interea Diaconus dexteræ indicem et medium ponit super pedem calicis, et sinistra planetam sustollit. Postquam Celebrans oblata incensavit, Diaconus dextera calicem amovet e medio versus cornu Epistolæ, intra limites corporalis, et una cum Celebrante caput profunde inclinat Cruci, antequam Celebrans eam incensat ; postquam Crucem incensavit Celebrans, Diaconus simul cum ipso iterum caput profunde inclinat Cruci, deinde statim dextra manu calicem reponit in medium corporalis. — Calicem e medio Altaris esse removendum dum Crux incensatur, et ea incensata in medium esse reponendum, Rubrica expresse præscribit (Ritus, Tit. VII, n. 10). — Diaconus pro incensatione Altaris quæ sequitur, omnia observat quæ præscribuntur supra n° 4 hujus Capitis.

Nota. Si in Altari fuerit Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, aut si in Altaris loco principali palam fuerit exposita Reliquia S. Crucis, aut si in Altari fuerint expositæ Reliquiæ seu Imagines Sanctorum, Diaconus observabit pro diversis his casibus ea quæ præscribuntur supra n° 4 hujus Capitis, in Notis I, II, III.

30. Post Altaris incensationem, Diaconus, accepto thuribulo,

thurificat Celebrantem triplici ductu (cfr. supra n. 4, Nota V); deinde tenens thuribulum dextera prope cooperculum ad altitudinem summi pectoris, sinistra, qua tenet catenularum summitatem, pectori apposita, ante gradum infimum versus partem Epistolæ accedit ad Subdiaconum, et in distantia ab ipso duorum circiter passuum ad eum conversus, illum incensat duplici ductu, cum reverentia capitis minima ante et post. Reddit thuribulum ministro stanti ad dexteram suam, deinde ascendit ad secundum seu medium Altaris gradum, a tergo Celebrantis, et cum pervenit ad medium Altaris, absque ulla reverentia (non enim reliquit in casu Altare, sed tantum de latere accedit ad medium), se convertit per dexteram suam versus Thuriferarium stantem a parte Epistolæ ante gradus anteriores, et incensatur: deinde convertit se ad Altare, permanens in loco suo. — Si forte Celebrans pro manuum lotione adhuc staret in cornu Epistolæ, Diaconus ibi a tergo Celebrantis se converteret versus Thuriferarium, et postquam incensatus fuerit, simul ad medium Altaris accederet. — Cum Celebrante caput inclinare ad ℣. *Gloria Patri.* in fine Psalmi *Lavabo,* non debet Diaconus; secreto enim hæc a Celebrante dicuntur. (Cfr. (77), 1). — Respondet Celebranti ad *Orate fratres.*

Nota. Si adest Chorus, Diaconus postquam incensavit Celebrantem, statim procedit ad incensationem Chori.

In Ecclesia Metropolitana Diaconus, incensato Celebrante, tenens thuribulum ante pectus uti supra describitur, statim tendit de parte Epistolæ ad Chorum qui est a parte Evangelii (supposito quod ibi adsit dignior), genu dextrum flectens cum transit ante medium; ibi incensat eos qui sunt in stallis superioribus, sigillatim, successive unum post alium, stans ante singulos; deinde tendit ad Chorum qui est a parte Epistolæ, genu dextrum flectens cum transit ante medium, ubi similiter incensat eos qui sunt in stallis superioribus. Quo facto, in eadem parte Epistolæ incensat eos qui sunt in stallis inferioribus, Sacerdotes sigillatim unum post alium, stans ante singulos, et alumnos Seminarii collective; deinde revertitur ad Chorum qui est a parte Evangelii, genu dextrum flectens cum transit ante medium, ubi similiter incensat eos qui sunt in stallis inferioribus. — Si dignior in Choro præsens sit a parte Epistolæ, intervertitur supradictus ordo, et ab hac parte incipitur incensatio.

Si Celebrans jam inceperit Præfationem interea dum Chorus incensatur, ad versum *Gratias agamus etc.*, cessatur ab incensatione, et Diaconus, aut qui hoc momento incensat, convertit se ad Altare, et ad verba *Deo nostro* profunde caput inclinat Cruci Altaris; quo facto, continuatur incensatio.

Peracta Chori incensatione, Diaconus revertitur ad Altare versus partem Epistolæ, genu dextrum flectens cum transit ante medium, et accedit ante gradum infimum ad Subdiaconum ; ad eum conversus ipsum incensat uti supra describitur. Reddit thuribulum Thuriferario stanti ad dexteram suam : deinde ascendit ad secundum, seu medium gradum Altaris, a tergo Celebrantis, et cum pervenit ad medium, statim genu dextrum flectit (in casu enim accedit ad medium Altaris quod pro incensatione Chori reliquit ; cfr. (75), III). et deinde convertit se per dexteram suam ad Thuriferarium, et incensatur ut supra.

Pro incensatione eorum qui sunt in Choro observabit Diaconus insuper sequentia :

a) Si adsunt in Chori stallis Episcopi, absente Archiepiscopo singuli incensantur triplici ductu ; præsente Archiepiscopo in throno, incensantur duplici ductu.

Prælati et Canonici incensantur singuli duplici ductu.

Sacerdotes incensantur singuli unico ductu.

Alumni Seminarii incensantur collective triplici ductu. ita ut primus ductus dirigatur versus primum ex ipsis cujusque partis Chori. et ita progrediendo tertius ductus versus ultimum.

b) Diaconus, quando sigillatim aliquem thurificat. ante et post incensationem uniuscujusque caput inclinat versus ipsum. « Si is, qui thurificat, sit æqualis dignitatis cum eo qui thurificandus est, aut etiam majoris, invicem capite inclinato, sibi reverentias faciunt ante, et post thurificationem : si vero. qui thurificat, minor est, ipse quidem versus majores caput profunde inclinat ante et post, illi autem parum. vel nihil versus thurificantem correspondent pro qualitate ipsius thurificantis, qui et ipse thurificando alios post Canonicos, parum, vel nihil versus eos caput inclinat, pro eorum qualitate. » (Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. XXII, n. 20.) Unde Diaconus, quando collective incensat alumnos Seminarii, parum vel nihil versus eos caput inclinabit. idque faciet ante primum et post tertium thuribili ductum.

c) Quando sigillatim aliquem thurificat, pro singulo ductu Diaconus elevat dextera thuribulum de pectore usque ad faciem, vibrat tunc duplici ictu thuribulum, et deinde illud deprimit usque ad pectus, hæc constituunt unicum thuribuli ductum, et repetuntur successive pro numero ductuum quibus persona debet incensari.

Quando autem thurificantur alumni Seminarii collective triplici ductu, tunc sufficit simplex thuribuli ductus versus ipsos ter repetitus. et duplex ictus in singulo ductu non debet observari. (Cfr. Series I, Cap. II, (5), 25, Nota ; et Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 286.)

d) Si Diaconus esset Canonicus, ipse incensaret Canonicos, seu illos qui sunt in stallis superioribus tantum ; reliquos de Choro autem incensat tunc Thuriferarius, postquam incensavit Diaconum.

31. **Præfatio.** — Si adest Cæremoniarius, Diaconus usque ad finem Præfationis remanet in loco suo ; si autem non adest Cæremoniarius, ascendit, postquam dixit : *Suscipiat, etc.*, ad Celebrantis sinistram ; manu dextra indicat Secretam ; vertit folia et indicat sequentes Secretas si plures sunt ; tandem indicat Præfationem. Cum Celebrans inclinat caput in Secretis, Diaconus idem facere non debet ; sed cum Celebrans cantat versum *Gratias agamus, etc.*, Diaconus caput profunde inclinat ad verba *Deo nostro.* Ad initium Præfationis : *Vere dignum, etc.*, descendit ad locum suum in secundo, seu medio gradu post Celebrantem. Inclinat profunde caput ad nomen *Jesu*, et mediocriter ad nomen B. Mariæ V., quando hæc nomina occurrunt in Præfatione.

32. **Canon.** — In fine Præfationis, Diaconus ascendit ad sinistram Celebrantis, et corpore mediocriter inclinatus cum Celebrante dicit Trisagion : *Sanctus*, et cum dicit : *Benedictus etc.*, se erigit, et Cruce a fronte ad pectus se signat (cfr. (2), I, 1). Dextra manu mox vertit folia, et indicat Celebranti legenda in Canone, scilicet : 1° initium Canonis ad verba *Te igitur* ; 2° in eadem Oratione, verba *hæc dona* ; 3° verba *et omnium circumstantium*, post Commemorationem specialem pro vivis ; 4° si Oratio infra actionem propria habetur, indicat Orationem *Communicantes* propriam, et similiter Orationem *Hanc igitur*. Quando Celebrans caput inclinat ad quædam nomina, Diaconus non debet cum ipso caput inclinare, quia secreto dicuntur (cfr. (77), 1).

Ad Orationem *Quam oblationem*, transit de sinistro latere Celebrantis ad dextrum, descendens de suppedaneo, et genu dextrum flectens in suppedanei ora, cum transit ante Altaris medium.

Post Orationem *Quam oblationem*, genuflectit utroque genu, et remanet genuflexus in suppedaneo ad dexteram Celebrantis : profunde inclinat caput cum Celebrans profert verba Consecrationis ; planetam manu sinistra sustollit, dextera interim pectori apposita, cum Celebrans genuflectit, S. Hostiam elevat et iterum Sacramentum adorat. Erecto capite tunc assurgit Diaconus cum Celebrante, calicem dextra manu detegit, pallam reponens contra gradum ; genuflectit iterum, et agit sicut ad Consecrationem et Elevationem Hostiæ ; sed quando Cele-

brans post Elevationem Calicem deponit super corporale, Diaconus, relinquit planetam, caput erigit, assurgit, Calicem cooperit palla, et simul cum Celebrante genu dextrum flectit.

Accedit mox ad sinistram Celebrantis, ibi genu dextrum flectit (non vero in transitu ante medium, incipit enim hoc momento applicatio regulæ pro genuflexionibus, Sacramento exstante super Altari, tradita supra (75), II), et assistit ad Missale manibus junctis ante pectus : dextra manu vertit folia, et indicat legenda ; cum Celebrans se signat in Oratione *Supplices*, ad verba *omni benedictione, etc.*, non tenetur id facere Diaconus (cfr. (77), 1) ; item non tenetur percutere pectus dextra manu extensa ad verba *Nobis quoque peccatoribus*. (Decret. S. Rituum Congregationis, 30 Decembris 1881, n. 3535, ad 3, antiq. 5830, ad 4.) — Perperam agit Diaconus, qui ad hæc duo Missæ momenta se convertit ad Subdiaconum.

Cum Celebrans dicit : *Per quem hæc omnia*, Diaconus genu dextrum flectit, et transit ad dexteram Celebrantis, non genuflectens ante medium Altaris ; ad dexteram Celebrantis detegit Calicem, pallam ponit contra gradum, et manibus ante pectus junctis, cum Celebrante genu dextrum flectit. Cum Celebrans pollices et indices excussit, Calicem cooperit palla Diaconus, et iterum cum Celebrante genu dextrum flectit.

33. **Pater noster.** - Ad *Oremus*, Diaconus profunde inclinat caput, et ad verba *audemus dicere*, genu dextrum flectit, et descendit ad secundum, seu medium gradum in medio post Celebrantem ; ibi non genuflectit.

34. Ad verba *Et dimitte nobis*, Diaconus genu dextrum flectit, vadit ad dexteram Celebrantis, dextra manu amovet velum humerale a manu Subdiaconi, accipit patenam a Subdiacono, transmittit eam in sinistram, dextraque mox abstergit mediante purificatorio ; deinde, reposito purificatorio in duas æquales partes plicato juxta corporale quemadmodum fuerat, super illud tenet patenam erectam, ita ut pars concava medium Altaris respiciat ; tenet autem patenam utriusque manus indice et pollice cum purificatorio circa inferiorem partem. Respondet : *Sed libera nos a malo*, et cum Celebrans submissa voce dixit *Amen*, Diaconus osculatur patenam ad oram superiorem, dein manum Celebrantis, et cum Celebrans tenet patenam, Diaconus purificatorium super Altare demittit. (Super hoc responso : *Sed libera nos a malo*, et sequenti : *Et cum spiritu tuo*, cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 298, Nota.)

35. Cum Celebrans, in fine Orationis *Libera nos, etc.*, se signat cum patena, Diaconus non tenetur signum Crucis facere, et cum Celebrans S. Hostiam posuit super patenam, Diaconus dextera

aufert pallam a Calice, et cum Celebrante genu dextrum flectit. Post *Pax Domini, etc.*, respondet : *Et cum spiritu tuo* ; et cum Celebrans pollices et indices super Calicem aliquantulum tersit, Diaconus rursus Calicem palla cooperit, genu dextrum flectit, surgit.

36. Capite profunde inclinato recitat ter, simul cum Celebrante : *Agnus Dei, etc.*, manum sinistram infra pectus tenens, et dextra totaliter extensa ter pectus percutiens ad *miserere nobis,* et ad *dona nobis pacem.* (Decret. S. Rituum Congregationis, 30 Decembris 1881, n. 3535, ad 3, antiq. 5830, ad 4.) Pro modo percutiendi pectus, cfr. Regulæ generales (2), VI.

37. **Pax.** Dein Diaconus in suppedaneo utrumque genu flectit a dextris Celebrantis, et manet genuflexus interea dum Celebrans recitat Orationem ante pacem ; non debet inclinare se, nec ipse recitare hanc Orationem ; cum Celebrans osculatur Altare, Diaconus se erigens, junctis manibus, simul osculatur illud extra corporale, et convertit se ad Celebrantem, eique capitis inclinationem minimam facit. A Celebrante accipit pacem, manus suas supponens cubitis Celebrantis, sinistris genis sibi invicem appropinquantibus ; et cum Celebrans dixit : *Pax tecum,* respondet Diaconus : *Et cum spiritu tuo.* (Cfr. Regulæ generales, (2), V.)

38. Manus statim jungit, caput inclinat Celebranti, genu dextrum flectit, et conversus per sinistram suam, descendit ante gradus Altaris, et immediate vertit se ad Subdiaconum ante medium Altaris, eique dat pacem : nulla præmissa inclinatione, imponit ambas manus suas humeris Subdiaconi, et dicit : *Pax tecum*, sinistris genis sibi invicem appropinquantibus. Cum Subdiaconus respondit : *Et cum spiritu tuo*, jungit manus Diaconus, et inclinatione capitis minima salutat Subdiaconum.

39. Deinde se convertit ad Altare, genu dextrum flectit in infimo gradu ad dexteram Subdiaconi, et ascendit ad sinistram Celebrantis, ibidem non genuflectit, et stat dum hic recitat Orationes ante Communionem.

Nota. Quidam auctores præscribunt Diacono genuflectere, non postquam ipse pacem dedit Subdiacono, antequam ascendat, sed postquam accesserit ad sinistram Celebrantis, quasi hic Diaconus simpliciter transiret de dextera ad sinistram Celebrantis, Sacramento exstante super Altari, juxta Decretum S. Rituum Congregationis (cfr. (75), II, ad 1) ; sed videtur quod hic non sit simplex transitus ab uno latere ad aliud Celebrantis, interponitur enim actio dandi pacem, ideo præfertur genuflexio præscripta Diacono in infimo gradu post pacem Subdiacono datam, nempe in loco e quo recedit ; omissa genu-

flexione ad sinistram Celebrantis, seu in loco ad quem accedit.

40. **Communio.** — Genu dextrum flectit Diaconus cum Celebrante, postquam hic dixit Orationes ante Communionem ; corpus inclinat mediocriter ad verba ter repetita : *Domine non sum dignus*. Non tenetur Diaconus pectus dextera percutere ad verba : *Domine non sum dignus*. (Decret. S. Rituum Congregationis, 30 Decembris 1881, n. 3535, ad 3, antiq. 5830, ad 4.) Cum Celebrans cubitos super Altare ponit ad sumendam S. Hostiam, et etiam postea cum sumit S. Sanguinem, Diaconus corpus mediocriter inclinat : se erigit statim postquam Celebrans S. Hostiam et S. Sanguinem sumpsit. Cum Celebrante genu dextrum flectit, quando calix detegitur a Subdiacono.

41. Si ante sumptionem S. Sanguinis Subdiaconus e Choro opportuno tempore nondum esset reversus, Diaconus, facta genuflexione, a sinistra Celebrantis discederet, et ad dexteram accederet tempestive ad detegendum Calicem, (quo detecto, genu dextrum flectit), et ad ministrandum purificationem et ablutionem ; adveniente Subdiacono ante sumptionem S. Sanguinis, Diaconus, facta genuflexione, ad Celebrantis sinistram recedit, ibique iterum genu dextrum flectit ; si Subdiaconus advenit post S. Sanguinis sumptionem, Diaconus ipsi tradit ampullam si eam jam teneret, et recedit ad Celebrantis sinistram, genu dextrum in casu flectens in ora suppedanei, retro post Celebrantem, non enim amplius Sacramentum exstat super Altari.

Cum Subdiaconus Celebranti ablutionem ministrat, Diaconus folia evolvit Missalis, ad Missam quæ incidit in eam diem.

42. Ablutione ministrata a Subdiacono, Diaconus ambabus manibus sumit Missale cum legili, illudque transfert ad cornu Evangelii, convertens se per suam dexteram, descendens de suppedaneo in penultimum gradum, et genu dextrum flectens in extremo suppedaneo cum transit ante medium Altaris.

43. Dextra manu indicat accedenti Celebranti Antiphonam *Communio*, deinde descendit ad secundum seu medium gradum retro post eum.

44. Sequitur Celebrantem ad medium, ibique nullam facit reverentiam.

45. **Postcommunio.** — Cum Celebrans cantavit : *Dominus vobiscum*, Diaconus, nulla facta reverentia, sequitur Celebrantem ad cornu Epistolæ sed remanens in suo gradu, et stat retro post eum. Ad *Oremus*, inclinat caput profunde versus Crucem ; itemque ad diversa nomina in Orationibus occurrentia, caput debito modo inclinat, sicut præscribitur supra, n. 10.

Cantatis Orationibus, sequitur Celebrantem ad medium Altaris, ibique nullam facit reverentiam. — Ubi non adest Cæremoniarius, Diaconus ad dexteram Celebrantis accedit, eique dextra manu indicat Orationem, vel Orationes, si plures sint, et folia in casu vertit,uti præscribitur supra n° 10. — Terminata ultima Oratione, cum discessit Celebrans, Diaconus claudit librum Missalem, eumque deponit super legile eo modo ut apertura sit versus Altaris medium. Si autem ultimum Evangelium e Missali sit legendum, Diaconus post ultimam Orationem folia vertit ad hoc Evangelium.

Nota. In Quadragesima, a Feria IV Cinerum usque ad Feriam IV Majoris Hebdomadæ, in Missis de Feria, postquam Celebrans dixit omnes Postcommuniones cum suis solitis conclusionibus, remanens ante Missale addit Orationem vocatam « super populum », sub distincta conclusione. Cum Celebrans cantavit : *Oremus,* Diaconus, retro Celebrantem in secundo, seu medio gradu stans, convertit se in loco suo ad populum, per sinistram suam ne tergum vertat Altaris Cruci, et conversus totaliter ad populum, junctis manibus, cantat : *Humiliate capita vestra Deo*, in eodem tono quo Celebrans cantavit : *Oremus* ; ipse ad ea verba caput non inclinat ; his cantatis convertit se ad Altare per eamdem viam, seu per dexteram suam ne tergum vertat Altari ; ibi remanet retro post Celebrantem donec hic Orationem cantavit. — Quo tono, seu qua modulatione debeant hæc verba cantari, describitur in Appendice II hujus Tractatus.

46. **Benedictio et ultimum Evangelium.** — Postquam cantavit Celebrans : *Dominus vobiscum*, Diaconus sine genuflexione per dexteram suam se convertit ad populum, et ita in medio stans, tono præscripto cantat: *Ite missa est.* Si dicendum est : *Benedicamus Domino,* non se convertit ad populum. — Diversi toni quibus cantari debet *Ite missa est*, vel *Benedicamus Domino*, describuntur in Appendice II hujus Tractatus.

47. Post cantatum *Ite missa est*, convertit se ad Altare, et paulum e medio versus partem Epistolæ, non vero ante Celebrantem, utrumque genu in ora suppedanei flectit cum Celebrans dicit : *Benedicat vos* ; inclinat profunde caput cum accipit benedictionem, Cruce a fronte ad pectus se signat, et respondet : *Amen.*

48. Accepta benedictione assurgit, et stat in eodem loco, donec Celebrans ultimum Evangelium perlegerit ; quando Celebrans genuflectit, item Diaconus genu dextrum flectit versus medium Altaris.

49. Lecto Evangelio, ascendens suppedaneum accedit cum

Celebrante ad medium Altaris, caput inclinat Cruci, et per suam sinistram conversus, descendit ante infimum gradum ; faciem vertit ad Altare, et simul, dum Celebrans debitam facit reverentiam, ipse dextrum genu in plano flectit ; deinde accipit biretum Celebrantis, eique illud tradit ; accipit et suum, caputque cooperit ; et junctis manibus, post Subdiaconum, et ante Celebrantem, revertitur ad sacristiam.

Quæ forsan in via ad sacristiam observari deberent reverentiæ, item salutationes ad clerum in Choro congregatum, exponuntur postea Capite XI (89, 90).

Ad sacristiæ januam nemo accepta aqua benedicta se Cruce signat, sicut fieri potest in egressu e sacristia ad Altare.

50. In sacristia, Diaconus retrocedit paululum, si necesse est, ut Celebrans possit ante ipsum transire ; ad dexteram Celebrantis consistens, ante Crucem caput discooperit et inclinat ; dein reverentiam facit Celebranti, et sacras vestes exuit, ordine inverso quo ipsas accepit ; osculatur manipulum, stolam et amictum cum illa exuit, antequam ea deponat super mensam. — Pro depositione albæ notare juvat, quod, ut decenter exuatur, primo detrahitur manica e brachio sinistro, dein pars albæ quæ a sinistra est revolvitur super brachium sinistrum, ac ducitur super caput versus dexteram, ultimoque detrahitur manica a brachio dextro ; tandem assumpta alba utraque manu composite deponitur super mensam.

CAPUT III

DE OFFICIO DIACONI IN MISSA SOLEMNI CUM PRESBYTERO ASSISTENTE

(80) -- Conferantur ea quæ de jure et de consuetudine admittendi in Missa solemni Presbyterum assistentem dicuntur in Serie V Instructionum, in Appendice Capitis III, (111).

His prænotatis, ubi igitur Presbyter pluviali indutus assistit Celebranti, sequentia servanda sunt a Diacono, et mutanda in Ordine præscripto Capite II, (79), ad numeros respectivos hujus Ordinis.

1. In eundo de sacristia ad Altare, Presbyter assistens incedit ad sinistram Celebrantis. Diaconus vero incedit manibus junctis, subsequens Subdiaconum et præcedens Celebrantem, uti consueto. Ad sacristiæ januam, accepta aqua benedicta, eam præsentat Presbytero assistenti.

Ad Altare, Diaconus se sistit ad sinistram Celebrantis, Cele-

brans stat in medio, ad ejus dexteram Presbyter assistens, ad sinistram ejus stant Diaconus et Subdiaconus. Diaconus caput detegit, tradit biretum suum Subdiacono, et genu dextrum flectit in plano.

(Si est dies Dominica, fit Aspersio aquæ benedictæ modo præscripto Capite I, (78); Diaconus nihil mutat, nondum enim præsens est Presbyter assistens.)

3. Dicto a Celebrante : *Oremus*, Diaconus junctis manibus ascendit ad Altare, transiens post Celebrantem de hujus sinistra ad dexteram (non ideo tamen genu dextrum flectit cum transit ante medium Altaris), et cum Celebrans Altare osculatus erit, Diaconus ministrat incensum.

5. Ad *Introitum* stat more solito, sed non indicat initium Introitus, tamen Cruce a fronte ad pectus se signat, et reliqua præscripta servat.

7. Cum ad intonationem Hymni *Gloria in excelsis* Diaconus ad verbum *Deo* caput Cruci profunde inclinavit, accedit ad dexteram Celebrantis, et se sistit inter Celebrantem et Presbyterum assistentem. Dicto Hymno, Diaconus genu dextrum flectit, et tendit ad scamnum. Incedit ad dexteram Celebrantis ; et ad scamnum cum pervenerit, convertit se versus Celebrantem, stans ad ejus sinistram, et dextera partem posteriorem planetæ sublevans ; servat deinde dicta n. 7, assidet ad sinistram Celebrantis, et caput cooperit.

Nota. Si presbyter assistens sederet in scabello separato ad sinistram Subdiaconi, Diaconus uti consueto sedet ad dexteram Celebrantis. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 15 Aprilis 1899, n. 4018, ad III.)

9. Ad ℣. *Cum sancto Spiritu,* Diaconus caput detegit, surgit, biretum deponit in scamnum, manibusque junctis sequitur Subdiaconum, præcedit Celebrantem ; ante Altaris infimum gradum se sistit ad sinistram Celebrantis, ibique genu dextrum flectit in infimo gradu, et ascendit ad suum locum.

10 et 11. Infra cantum Orationum, et lectionem Epistolæ, Gradualis, etc., Diaconus non accedit ad Celebrantem, sed remanet retro post eum. Respondet in fine Epistolæ : *Deo gratias.*

20. Ad sessionem infra Symboli cantum, servat dicta nn. 7 et 9, ut supra.

22. Ad cantum ℣. *Crucifixus,* caput detegit, surgit, biretum deponit, manibus junctis facit Celebranti inclinationem, et ante Subdiaconum transiens tendit ad credentiam.

30. Postquam incensavit Celebrantem, Diaconus accedit ad angulum inferioris gradus a parte Epistolæ, et ibi duplici ductu incensat Presbyterum assistentem, facta ante et post parva

capitis inclinatione ; deinde pergit ad incensationem Chori.

Nota. Ex Decreto S. Rituum Congregationis (15 Aprilis 1899, n. 4018, ad VI, 1), certum est Presbyterum assistentem debere incensari ante Subdiaconum. — Auctores Romani aiunt Presbyterum assistentem in casu non esse ejusdem conditionis, nec eisdem juribus frui ac Presbyter assistens Episcopum in Missa pontificali ad thronum ; et notant ipsum, præsente clero in Choro, incensari tantum post Chorum, ante Subdiaconum.

31. Non debet Diaconus accedere ad Celebrantem, ut indicet Secretas et Præfationem.

32. Ad finem Præfationis, Diaconus ascendit ad dexteram Celebrantis, ut dicat Trisagion : *Sanctus*. Quo dicto, non accedit ad sinistram Celebrantis, neque descendit ad suum locum retro post Celebrantem, sed, dum dicitur *Canon*, stat ad dexteram aliquantulum post Celebrantem. (Ritus celebrandi Missam, Tit. VII, n. 11.) Remanet ibi usque ad *Pater noster*, nisi cum interea propius ad Celebrantem accedere debet, ad ministrandum in Consecratione, et ad detegendum et cooperiendum Calicem.

33. Ad verba : *audemus dicere*, ante *Pater noster*, Diaconus genu dextrum flectit, et descendit ad suum locum, retro post Celebrantem.

37. Dicto ter *Agnus Dei*, Diaconus genu flectit dextrum, et descendit ad locum suum retro post Celebrantem. Ibi Diaconus accipit pacem a Presbytero assistente. Diaconus, accepta pace, sinit ut primum Presbyter assistens transeat ad sinistram Celebrantis, deinde genu dextrum flectit, et conversus per sinistram suam, descendit ad Subdiaconum, eique dat pacem, ut præscribitur n. 38 ; genu dextrum flectit, et ascendit ad sinistram Celebrantis, stans aliquantulum post illum et post Sacerdotem assistentem.

Nota. Præscriptam regulam accipiendi et dandi pacem dant auctores, qui tradunt regulas servandas in Missa cum Sacerdote assistente. Modus vero juxta quem Diaconus, dicto *Agnus Dei*, descenderet simul cum Subdiacono ante gradum infimum Altaris, et uterque minister (Diaconus et Subdiaconus) acciperet pacem a Sacerdote assistente, a nullo auctore traditus noscitur.

41. Post sumptionem S. Sanguinis, Diaconus descendit retro post Celebrantem, in medio, ad locum suum.

Nota. Si adsit clerus præsens in Choro, consuetudo apud nos immemorabilis existit quod Presbyter assistens, et non Subdiaconus pacem clero deferat. Ministri sacri in casu pacem accipiunt post clerum, Diaconus igitur, dicto *Agnus Dei*, genu dextrum flectit, et transit ad sinistram Celebrantis, aliquantum discedens retro post Celebrantem, quantum necesse fuerit ut

transeat ipsum inter et Celebrantem Presbyter assistens de sinitra ad dexteram Celebrantis ; cum Diaconus pervenerit ad Celebrantis sinistram, genu dextrum flectit et assistit ad Missale loco Presbyteri assistentis. Cum postea Presbyter assistens de Choro reversus fuerit ad Altare, et ascendit ad Celebrantis sinistram, ipso accedente Diaconus parum recedens ad partem Evangelii convertitur ad Presbyterum assistentem, et ab eo accipit pacem : mox genu dextrum flectit ad Altare, et transit ad Celebrantis sinistram ; ibi iterum genu dextrum flectit, pacem dat Subdiacono, genu dextrum flectit, et descendit ad secundum, seu medium gradum, retro post Celebrantem, et ibi stat. — Quod si hoc momento quo pacem Diaconus accipit, Celebrans jam sumpsisset S. Sanguinem, Sacramento non amplius exstante super Altari, Diaconus, accepta pace, genu dextrum flecteret tantum retro post Celebrantem, in transitu a sinistra ad dexteram Celebrantis, cum transit ante Altaris medium.

43. Cum Celebrans e medio Altaris tendit ad cornu Epistolæ, ad legendum Antiphonam *Communio,* Diaconus absque reverentia sequitur Celebrantem, remanens in suo gradu ; stat vero retro post eum, dum Antiphonam legit. Servat deinde dicta numeris 44, 45, 46.

49. Lecto Evangelio, Diaconus accedit cum Celebrante ad medium Altaris, caput inclinat Cruci, et per suam sinistram conversus, descendit ante infimum gradum, transit de parte Epistolæ ad partem Evangelii, ita ut ante Altare conversus stet ad sinistram Celebrantis ; advertet autem ut sinat Presbyterum assistentem prius transire de parte Evangelii ad partem Epistolæ, qui ibi stabit ad dexteram Celebrantis. Diaconus, facie ad Altare conversa, ad sinistram Celebrantis dextrum genu in plano flectit ; deinde accipit biretum suum a Subdiacono, caputque cooperit ; et junctis manibus, post Subdiaconum et ante Celebrantem, revertitur ad sacristiam.

CAPUT IV

DE OFFICIO DIACONI IN MISSA SOLEMNI, QUANDO SUBDIACONUS NON ASSUMIT VELUM HUMERALE

(81) — Conferatur Prænotatum in Serie III Instructionum, de Officio Subdiaconi (Cap. IV, (48)), circa praxim nonnullarum ecclesiarum omittendi assumptionem veli humeralis a Subdiacono.

Quæ in casu a Diacono servanda sint, sequentia indicant, mutanda ad respectivos numeros Capitis II, (79).

25. Casu quo calix e credentia a Subdiacono affertur ad Altare, Diaconus a calice aufert hujus velum, illudque tradit ministro, qui id refert ad abacum, seu credentiam ; vel relinquit plicatum super mensam Altaris, extra corporale, ad cornu Epistolæ.

Si depositus est in Altari calix jam ab initio Missæ, lecto a Celebrante Offertorio, Diaconus accipit e medio Altaris calicem et reponit a parte Epistolæ ; aufert a calice velum, ut supra.

26. Postquam purificatorio parietem calicis interiorem a guttis abstersit, Diaconus purificatorium, eodem modo qui supra, Capite II, (79), hoc numero describitur, plicatum, reponit juxta corporale, ita ut purificatorio cooperiatur patenæ (a Celebrante pro parte subtus corporale depositæ) pars nondum cooperta.

32. In fine Præfationis, Diaconus ascendit ad dexteram Celebrantis, dicturus Trisagion *Sanctus* ; quo dicto, mox accedit ad Celebrantis sinistram, descendens de suppedaneo, et genu dextrum flectens in extremo suppedaneo cum transit ante Altaris medium.

34. Ad verba : *Et dimitte nobis*, Diaconus genu dextrum flectit, vadit ad dexteram Celebrantis, et dextera manu accipit patenam super mensam Altaris depositam, eamque consueto modo abstergit purificatorio.

CAPUT V

DE OFFICIO DIACONI IN MISSA SOLEMNI ANTE SS. SACRAMENTUM EXPOSITUM

(82) — **Prænotatur** I : Si SS. Sacramentum jam est expositum in Altari, Diaconus, quamprimum Celebrans ejusque Ministri exeuntes e sacristia venerint in conspectum SS. Sacramenti,et priusquam Cappellam Expositionis ingrediantur, caput detegit, accipit biretum Celebrantis, illudque cum suo tradit Cæremoniario. Ad Altare, omnes simul in plano ante Altaris infimum gradum genuflectunt utroque genu, cum capitis profunda inclinatione. – Hæc prima genuflexio fit in plano, utroque genu, et cum capitis profunda inclinatione ; item ultima post Missam ; reliquæ vero, per totam Missam, fiunt in infimo gradu, uno genu, sine capitis inclinatione. (Cfr. (75), III, Nota.)

Si SS. Sacramentum immediate ante Missam est exponendum, egressus e sacristia et accessus ad Altare fiunt consueto

modo. Diaconus servat ea quæ dicuntur infra, Capite X, (88), in Instructione de Expositione et Repositione SS. Sacramenti. Post incensationem, reddito thuribulo, Celebrans et Ministri assurgunt, et antequam incipiunt preces Missæ, genu dextrum flectunt in infimo gradu Altaris.

Prænotatur II : Exposito SS. Sacramento, omittuntur semper quæcumque salutationes ad clerum in Choro præsentem ; non autem omittuntur illæ reverentiæ quæ potius ritus quam honoris causa præstantur, ex. gr., ad incensationem, ad pacem, etc. — Omnes oculorum elevationes, et capitis inclinationes, et genuflexiones, quæ alias ad Crucem Altaris diriguntur, ad SS. Sacramentum dirigi debent.

Prænotatur III : Juvat animadvertere quod, ubi in Decreto S. Rituum Congregationis, 9 Junii 1899 (n. 4027, descripto supra (75), II), agitur de genuflexionibus præstandis Sacramento exstante vel non exstante « super Altari »,hæc distinctio spectat ad diversas ejusdem Missæ partes, non vero ad præsentem casum Missæ coram SS. Sacramento exposito celebratæ (ut ibidem (75) in Nota 2ª jam dictum fuit) ; et ideo, inde a Consecratione ad Communionem, Sacramento exstante super Altare, id est, super Altaris mensam, omnes genuflexiones fiunt uti in qualicumque Missa solemni, nulla habita ratione SS. Sacramenti in throno super Altare expositi ; ante Consecrationem vero et post Communionem, Sacramento nondum, vel non amplius exstante super Altaris mensam, Diaconus observabit omnes genuflexiones uti sunt pro aliis Missis præscriptæ ; sed insuper, ratione SS. Sacramenti in throno expositi, genuflexionem simplicem dextri genu præstare debet Diaconus, quoties ad Altaris medium accedit, vel de Altaris medio recedit.

Prænotatur IV : Describitur in sequentibus ritus servandus juxta illum quem proponunt « *Commentaria ad Instructionem Clementis XI pro Expositione SS. Sacramenti in forma XL Horarum* », quæ Commentaria S. Rituum Congregatio ad instar Appendicis adjunxit suæ Decretorum Collectioni, anno 1900 (Vol. IV). De Missa coram SS. Sacramento exposito celebranda agitur in his Commentariis § XXX. (Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, QQ. 307, 318.)

Servat Diaconus in hac Missa omnia quæ præscribuntur pro Missa solemni, exceptis quæ inferius notantur, mutanda ad respectivos numeros Capitis II, (79).

3. Dicto a Celebrante : *Oremus,* Diaconus, absque ulla genuflexione, junctis manibus, ascendit ad suppedaneum, et simul cum Celebrante genu dextrum flectit. Cum Celebrans Altare osculatus est, ipse et Ministri non genuflectunt, sed statim con-

vertunt se ad Thuriferarium, recedentes paulum e medio Altaris (Celebrans et Subdiaconus versus cornu Evangelii, facie versa ad cornu Epistolæ ; Diaconus humeris conversis ad cornu Epistolæ, facie versa ad cornu Evangelii). Accepta navicula, Diaconus dicit : *Benedicite Pater Reverende*, sed non osculatur neque cochlear, neque manum Celebrantis, neque thuribuli manubrium.

Nota. Exposito SS. Sacramento, Diaconus abstinet ab osculis, quando sunt actus mere reverentiales, aut quando faciendum aliquid est, quod specialiter SS. Sacramentum expositum dumtaxat respiciat ; non vero omittuntur oscula quæ ad ritum Missæ solemnis proprie pertinent, quæ sunt : 1° osculum manus Celebrantis, accepta benedictione ante Evangelii cantum ; 2° oscula patenæ, et calicis, ac manus Celebrantis, ad Offertorium ; 3° oscula patenæ, ac manus Celebrantis, in fine Orationis Dominicæ. (Commentaria ad Instructionem Clementinam, § XXX, n. 14.)

Accepto e manibus Thuriferarii thuribulo, Diaconus illud non statim tradit Celebranti, sed prius descendit, absque prævia genuflexione, ad penultimum Altaris gradum, et simul cum Celebrante et Subdiacono genuflectit utroque genu in suppedanei anteriori extremitate.

4. Tunc Diaconus tradit thuribulum Celebranti, et Celebrans cum Ministris facit profundam capitis inclinationem. Diaconus, dextra pectori apposita, sinistra elevat planetæ partem posteriorem, dum Celebrans SS. Sacramentum thurificat ; deinde, manibus junctis, capitis inclinationem renovat, assurgit, ascendit ad suppedaneum, genu dextrum flectit, parum recedit post dexteram Celebrantis, et eodem modo recipit planetam ; fit Altaris thurificatio modo consueto, in quantum spectat ad Diaconum pro genuflexionibus præstandis. — Cum redit ad cornu Epistolæ, ubi Celebrans incensavit partem anteriorem Altaris, Diaconus demittit casulam ; et dum Celebrans adhuc est in suppedaneo, Diaconus in dexteram accipit catenas prope cooperculum thuribuli, et in sinistram manubrium, et simul cum Celebrante descendit in planum a parte Epistolæ ; conversus ad Celebrantem, qui stat facie ad populum versa, ipse, stans humeris ad populum conversis, illum triplici ductu incensat, facta ante et post parva capitis inclinatione.

6. Sub finem cantus *Kyrie*, sequitur Celebrantem ad medium Altaris, incedens in gradu secundo, seu medio, et ibi genu dextrum flectit.

Nota. Quando post *Kyrie eleison* dicendæ sunt Orationes cum Prophetiis (cfr. Caput II, (79), n° 6, Nota I), genuflexio præscripta ad verba *Flectamus genua*, fieri debet more solito

ante Missale et versus Missale, non versus SS. Sacramentum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 18 Februarii 1843, n. 2859, antiq. 4968.)

7. Cum Celebrans intonat Hymnum *Gloria*, ad verbum *Deo* Diaconus caput profunde Cruci inclinat, genu dextrum flectit deinde, et ascendit ad Celebrantis dexteram.

Accessus ad scamnum fit, ut alias, per breviorem viam. (Decret. S. Rituum Congregationis, *Colimen.*, 12 Julii 1901, ad 6 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 462.)

Neque Celebrans, neque Ministri bireto utuntur, et per totum Hymni cantum manus junctas ante pectus tenent.

10. Cum Celebrans, antequam se convertit ut dicat : *Dominus vobiscum*, genuflectit, Diaconus etiam in loco ubi stat genu dextrum flectit in gradu, hancque genuflexionem repetit, cum Celebrans, mox ad Altare conversus, iterum genuflectit antequam discedat ad cornu Epistolæ ; deinde sequitur Diaconus Celebrantem ad cornu Epistolæ.

13. Cum Celebrans incipit legere Evangelium, Diaconus stans adhuc in cornu Epistolæ, genu dextrum flectit in loco ubi stat, et descendit ad planum a parte Epistolæ. Cum deposuit librum super medium mensæ Altaris, genu dextrum flectit, et ibi stat, donec Celebrans Evangelii lectionem finiverit.

14. Lecto Evangelio, Celebrans non movetur loco suo, sed versus medium Altaris se convertit, ut incensum ponat in thuribulum. (Attamen, si cornu Altaris esset latum, et Celebrans Evangelium legeret in extremo cornu, accederet post lectum Evangelium aliquantulum ad medium, sed sine genuflexione.) Ideo Diaconus omittit etiam genuflexionem, et statim post lectionem Evangelii, convertit se ad Thuriferarium, paulum a parte Epistolæ, advertens ne tergum vertat SS. Sacramento, et ministrat incensum.

Reddita navicula, Diaconus cum Celebrante convertit se ad medium Altaris, et genu dextrum flectit. Mox assurgit, convertit se per sinistram, et in extremo suppedaneo ante Altare genuflexus, et profunde inclinatus, dicit : *Munda cor meum, etc.*

15. Accepta benedictione, osculatur Celebrantis manum, assurgit, simul cum Celebrante genu dextrum flectit, convertit se per sinistram suam, et descendit ante infimum gradum.

19. Cum Celebrans intonat Symbolum, ad verbum *Deum* Diaconus caput profunde inclinat, genu dextrum flectit deinde, et ascendit ad Celebrantis dexteram. Ad sessionem, bireto non utitur, et manus junctas ante pectus tenet, ut supra n. 7 indicatur.

22. Bursam deferens, Diaconus accedit ad Altare, genu dextrum flectit ante medium in infimo gradu, ascendit, deponit

bursam super mensam Altaris, et iterum genu dextrum in suppedaneo flectit; explicat deinde corporale.

24. Cum Celebrans, antequam se convertit ut dicat: *Dominus vobiscum*, genuflectit, Diaconus etiam in loco ubi stat genu dextrum flectit in gradu; similiter genuflectit cum Celebrans, mox ad Altare conversus, iterum genuflectit antequam dicat: *Oremus*; deinde facta capitis profunda inclinatione ad verbum *Oremus*, Diaconus iterum genu dextrum flectit in gradu in loco suo, et conscendit suppedaneum ad dexteram Celebrantis.

29. Postquam Celebrans dixit Orationem: *Veni Sanctificator etc.*, neque ipse neque Diaconus genuflectunt ante aut post incensi impositionem, neque ante thurificationem oblatorum, neque post.

Postquam Celebrans incensavit oblata, Diaconus non debet calicem amovere e medio versus cornu Epistolæ; sed statim cum Celebrante, sine genuflexione, convertit se per sinistram, descendit ad penultimum gradum, convertit se ad Altare, genu utrumque flectit in suppedanei anteriori extremitate, et caput profunde inclinat. Servat deinde omnia supra dicta n. 4.

30. Cum reddidit thuribulum ministro stanti ad dexteram suam, Diaconus ascendit ad locum suum a tergo Celebrantis, genu dextrum flectit, et se convertit per dexteram suam versus Thuriferarium, advertens ut recedat paulum e medio ad partem Evangelii. Ubi incensatus fuit, accedit ad medium, et conversus ad Altare genu dextrum flectit.

Cum Celebrans genuflectit ante et post dictum *Orate fratres*, Diaconus simul cum eo bis genu dextrum flectit in loco suo, respondet, et ascendit, si non adest Cæremoniarius, ad Celebrantem, ad vertendum folia Missalis.

31. Priusquam vero ascendat post dictum *Suscipiat*, genu dextrum flectit. Ad initium Præfationis, descendit ad locum suum, retro post Celebrantem, et ibi genu dextrum flectit.

32. Ad finem Præfationis, Diaconus genu dextrum flectit, et ascendit ad sinistram Celebrantis.

Ad Orationem *Quam oblationem*, transiens de sinistra ad dexteram Celebrantis, descendit de suppedaneo, et in extremo suppedaneo genu dextrum flectit, cum transit ante Altaris medium, non vero ad utrumque latus Celebrantis.

Inde a Consecratione ad Communionem, Diaconus servat omnia sicut præscribuntur nn. 32 ad 41, intendens unice præsentiam SS. Sacramenti depositi in mensa Altaris.

44. Cum Celebrans, dicta Antiphona Communionis, accedit ad Altaris medium, Diaconus, remanens in secundo, seu medio gradu, sequitur ipsum, et genu dextrum flectit in gradu suo ante medium Altaris.

45. Cum Celebrans, dicto : *Dominus vobiscum*, se convertit ad Altaris medium et genuflectit, iterum genu dextrum flectit Diaconus ut supra, sequitur Celebrantem ad cornu Epistolæ, remanens in suo gradu, et stat retro post ipsum.

Cantatis Orationibus, Diaconus sequitur Celebrantem ad medium, et simul ac ipse genu flectit dextrum ante medium Altaris in suo gradu.

Nota. In Quadragesima, quando cantatur Oratio super populum (cfr. Caput II, (79), nº 45, Nota), Diaconus, antequam se convertat ad cantandum : *Humiliate capita vestra Deo,* et postea hisce verbis cantatis, conversus iterum ad Altare, genu dextrum flectit in gradu, retro post Celebrantem, versus SS. Sacramentum.

46. Postquam Celebrans cantavit : *Dominus vobiscum*, Diaconus genu dextrum flectit, convertit se ad populum quemadmodum Celebrans, scilicet e medio Altaris paulum secedens versus partem Evangelii, humeris conversis ad latus Evangelii, non vero totaliter ad Altare, et cantat : *Ite missa est.* Si dicendum est *Benedicamus Domino,* non genuflectit, quia non se convertit.

47. Post cantatum *Ite missa est*, convertit se ad medium Altaris, genu dextrum flectit in medio, et paulum e medio recedens versus partem Epistolæ, facie ad Altare conversa, utrumque genu in suppedaneo flectit.

48. Si est genuflectendum infra ultimum Evangelium, ex. gr., ad verba: *Et verbum caro factum est,* genu dextrum flectit Diaconus aliquantulum ad SS. Sacramentum conversus.

49. Lecto Evangelio, Diaconus accedit cum Celebrante ad medium Altaris, genu dextrum flectit, et per suam sinistram conversus, descendit ante infimum gradum Altaris, et faciem convertit ad Altare.

Si SS. Sacramentum remanet expositum, Diaconus facit cum Celebrante genuflexionem utroque genu in plano, cum profunda capitis inclinatione, et manibus junctis revertitur ad sacristiam. Ubi extra conspectum SS. Sacramenti pervenit, accipit a Cæremoniario biretum Celebrantis, illudque ei tradit ; accipit et suum, ac caput cooperit.

Si Benedictio datur, aut Processio fit statim finita Missa, tunc post lectum Evangelium, Diaconus genu dextrum flectit in suppedaneo, et cum Celebrante directe accedit per gradus laterales a parte Epistolæ ad scamnum ; ibi ipse deponit manipulum, et ibi Celebrans accipit pluviale. Revertitur tunc Diaconus cum Celebrante per planum ante medium Altaris, ad dexteram Celebrantis, sinistra manu elevans fimbriam pluvialis, dextera ad pectus pòsita ; genuflectit cum Celebrante in plano utroque

genu, et caput profunde inclinat ; assurgit, et mox, sine capitis inclinatione, utroque genu in infimo gradu genuflectit. Servat deinde, pro repositione SS. Sacramenti, quæ infra dicuntur, Capite X, (88).

Nota. I. Supra descriptum agendi modum, in casu repositionis, aut Processionis post Missam, proponunt Commentaria in quarto Prænotato hujus Capitis laudata. Nuper vero hac super re prodiit sequens Decretum S. Rituum Congregationis : Ad dubium : « An post Missam solemnem, qua finita, benedictio cum SSmo Sacramento datur, dum Celebrans et Ministri recedunt ab Altari ad scamnum in cornu Epistolæ, ut ibi Celebrans exuat casulam et manipulum induatque pluviale, ac Ministri manipulos deponant, debeant coram SSmo Sacramento discooperto in ipso Altari, ubi Missa celebrata est, in plano utroque genu flectere, aut unico genu in gradu infimo Altaris? » S. Congregatio rescribendum censuit: « Juxta praxim Ecclesiarum Urbis, in plano utroque genu flectitur. » (Decret. 24 Novembris 1899, n. 4048, ad 5.)

Nota. II. Non licet Celebranti, benedictionem in fine Missæ daturo cum SS. Sacramento exposito, retinere casulam cum manipulo ; sed debet assumere pluviale. (Decret. S. Rituum Congregationis, 6 Februarii 1892, n. 3764, ad 8.)

CAPUT VI

DE OFFICIO DIACONI IN MISSA SOLEMNI PRO DEFUNCTIS, ET IN ABSOLUTIONE

A. In Missa solemni

(83) — Servabit Diaconus in hac Missa omnia quæ præscribuntur Capite II, (79), pro Missa solemni, exceptis quæ sequuntur, ad respectivos prædicti Capitis numeros mutanda.

2. Ante Confessionem non dicitur Psalmus *Judica* ; sed dicta Antiphona *Introibo ad altare Dei,* et responso a Ministris : *Ad Deum, etc.*, dicitur ℣. *Adjutorium*, et *Confessio*, cum reliquis.

3. Dicto a Celebrante *Oremus*, cum Celebrans ascendit ad suppedaneum, Diaconus ascendit post eum, et stat retro post Celebrantem in secundo, seu medio gradu. Omittitur Altaris incensatio. Cum Celebrans Altare osculatus est, Diaconus absque ulla reverentia cum Celebrante accedit ad cornu Epistolæ, ad Missale ; se sistit ad dexteram Celebrantis, et manu dextra indicat *Introitum* ; quando Celebrans incipit hunc legere, Diaconus non se Cruce signat. Alternatim cum Celebrante recitat

Kyrie eleison. Servantur dein dicta nn. 6, 10, 11, omissis quæ traduntur nn. 7, 8, 9.

12. Dictis a Celebrante Graduali, Tractu et Sequentia, Diaconus relinquit dexteram Celebrantis, et stat retro post eum in secundo gradu. Mox, ibi stans, caput profunde inclinat versus Crucem Altaris (cfr. (79), n. 12, Nota II), convertit se per dexteram suam, et una cum Celebrante et Subdiacono directe tendit ad scamnum, advertens ut sinat Celebrantem prius transire ; ad scamnum servat omnia quæ pro sessione præscribuntur n. 7. Circa finem cantus Sequentiæ (puta ad Stropham *Inter oves locum præsta*), Celebrans et Ministri redeunt de scamno ad Altare, non per gradus anteriores, sed per viam breviorem a parte Epistolæ (cfr. (79), n. 12, Nota II) ; itaque Diaconus, postquam ascendit Celebrans, ascendit et ipse per gradus laterales ad secundum, seu medium gradum, non quidem retro post Celebrantem in medio, sed ad latus Epistolæ ; ibi stans profunde inclinat caput Cruci ; et subsistit usquedum Celebrans incipit legere Evangelium ; servat tunc dicta n. 13.

Quoad hanc regulam pro sessione ante Evangelii lectionem, conferantur ea quæ dicta sunt in Serie II Instructionum, de Officio Cæremoniarii, Capite V, § 1, (23), n. 7, in Nota.

14. Lecto Evangelio, Celebrans accedit ad medium ; Diaconus paulum e medio recedit, convertit se per sinistram, ac in extremo suppedaneo ante Altare genua flectit ; genuflexus, et profunde inclinatus, dicit : *Munda cor, etc.*

15. Assurgit, sumit de Altari librum Evangeliorum, et statim, absque benedictione, convertit se per sinistram suam, et descendit ante infimum gradum, paulum versus partem Epistolæ.

17. Non portatur incensum ad Evangelium.

18. Absoluto cantu Evangelii, Diaconus non indicat principium textus, quia non defertur liber osculandus ; nec incensat Celebrantem, sed statim, manibus junctis, ascendit ad gradum suum, et genu dextrum flectit ante medium Altaris.

24. De oblationibus fidelium vide quæ notantur in Serie III Instructionum, Capite VI, (50), n. 24, in Nota.

25. Cum Subdiaconus venit ad Altare, ad cornu Epistolæ, Diaconus accipit bursam, et pro explicatione corporalis omnia peragit ut notantur n. 22. Servat deinde quæ præscribuntur n. 25, excepto quod non osculatur neque patenam, neque manum Celebrantis. (Regula enim generalis datur in Ritu celebrandi Missam (Titulo XIII, n. 2), quod Ministri, cum aliquid porrigunt Celebranti, in hac Missa non osculantur ejus manum, neque rem quæ porrigitur.)

26. Vide quæ notantur supra, Capite IV, (81), n. 26, pro cooperitione patenæ et dispositione purificatorii.

27. Non osculatur Diaconus pedem Calicis, neque manum Celebrantis.

28. Diaconus depositum a Celebrante Calicem palla cooperit; patenam vero non tradit Subdiacono; sed manibus junctis, exspectat, donec Celebrans recitaverit Orationem: *Veni Sanctificator*; tunc ministrat incensum sine osculis.

30. Post Altaris incensationem, Diaconus thurificat Celebrantem triplici ductu, et statim thuribulum reddit Thuriferario, quia præter Celebrantem nullus alius incensatur. Ascendit mox ad gradum secundum, seu medium, et dum Celebrans manus lavat, se sistit retro post Celebrantem ad cornu Epistolæ, sicut cum cantantur Orationes. Celebrantem sequitur ad medium Altaris, incedens in secundo, seu medio gradu, et cum ante medium venerit, nullam facit reverentiam. Respondet Celebranti ad *Orate fratres*.

32. Ad finem Præfationis, Diaconus ascendit ad dexteram Celebrantis, et corpore mediocriter inclinatus dicit Trisagion: *Sanctus*, et se signat Cruce ad *Benedictus*. Deinde, Subdiacono recedente de sinistra Celebrantis ad suum locum, Diaconus de suppedaneo descendit in gradum penultimum, genu dextrum flectit ante medium Altaris, et ascendit ad sinistram Celebrantis, ut indicet quæ legere debet Celebrans. Servat dein omnia dicta n. 32 et 33.

34. Ad verba *Et dimitte nobis*, Diaconus genu dextrum flectit, vadit ad dexteram Celebrantis, dextra manu extrahit patenam de sub corporali, eamque purificatorio abstergit, et tenet ut præscribitur n. 34. Non osculatur patenam, nec manum Celebrantis.

36. Recitat Diaconus ter: *Agnus Dei*, cum clausulis *dona eis requiem*, et ultimo addit: *sempiternam*. Non percutit pectus, sed manus junctas ante pectus tenet.

Recitato *Agnus Dei*, Diaconus genu dextrum flectit ad dexteram Celebrantis, et transit ad ejus sinistram, ubi iterum genu dextrum flectit. Servantur dein præscripta nn. 40 ad 45.

46. Postquam cantavit Celebrans: *Dominus vobiscum*, Diaconus manens conversus ad Altare, cantat: *Requiescant in pace*, plurali semper numero, licet pro uno tantum Defuncto Sacrum celebraretur. (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Januarii 1678, n. 1611, antiq. 2858.)

47. Cantato *Requiescant in pace*, Diaconus remanet in loco suo.

48. Cum Celebrans dixit Orationem *Placeat*, et accedit ad cornu Evangelii, ut dicat ultimum Evangelium, Diaconus remanet in loco suo, donec Celebrans Evangelium perlegerit; genu dextrum flectit ad verba: *Et verbum caro factum est*; lecto Evangelio, cum Celebrans accedit ad medium Altaris,

Diaconus ascendens suppedaneum, accedit ad Celebrantis dexteram.

Si post Missam fieri debet Absolutio, dicto Evangelio, accedit Celebrans cum Ministris ad medium Altaris ; ibi Ministri genu dextrum flectunt ; et directe omnes tendunt ad scamnum, a latere Epistolæ Diaconus deponit manipulum. Servatur dein ritus præscriptus pro Absolutione, ut explicatur in subsequenti Sectione B hujus Capitis.

B. In Absolutione

(84) — **Absolutio post Missam** pro Defunctis peragitur : vel 1° super cadaver ; vel 2°, absente cadavere, super tumulum in ecclesia erectum ; vel 3°, absente cadavere, prope Altare, super extensum in pavimento ante gradus Altaris aliquem pannum nigrum.

I. Absolutio super cadaver, seu super feretrum (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, QQ. 270, 273.)

1. Lecto ultimo Evangelio, Diaconus accedit cum Celebrante ad medium Altaris, et flectit genu dextrum ad Crucem Altaris, descendit cum Celebrante et Subdiacono ad scamnum a parte Epistolæ, et ibi deponit manipulum, cujus Crucem osculatur.

2. Tradit Celebranti biretum, suumque accipit et caput cooperit ; accedit ad Celebrantis sinistram, et cum Celebrante procedit directe de scamno ad locum feretri, dextra elevans fimbriam pluvialis Celebrantis, sinistra pectori apposita.

3. Si cadaver sit laici, Diaconus cum Celebrante subsistit ad pedes cadaveris, scilicet Altare inter et tumulum, advertens ut stet paulum e medio, versus partem Epistolæ, ne Celebrans et ipse terga directe vertant ad Altare.

4. Si cadaver sit Sacerdotis, Diaconus procedit cum Celebrante per sinistram cadaveris, seu per partem Epistolæ, ad pedes cadaveris, ubi subsistit cum Celebrante tumulum inter et portam Ecclesiæ, in medio e regione Crucis quam ad caput cadaveris sustentat Subdiaconus.

5. Subsistens ad pedes cadaveris, ad sinistram Celebrantis, Diaconus relinquit fimbriam pluvialis, nudat caput, accipit Celebrantis biretum et tradit utrumque ministro ; interea dum Celebrans legit e libro, quem sustinet acolythus vel alius minister, Orationem : *Non intres,* Diaconus dextera elevat fimbriam pluvialis ; stat manibus junctis, cum cantatur Responsorium *Libera me, Domine, etc.*, quod Celebrans non tenetur legere.

6. Cum in Responsorio a cantoribus repetitur Versus *Libera*

me, Domine, Diaconus a sinistra Celebrantis ante eum transit ad dexteram, caput Celebranti inclinans, cum transit ante ipsum ; ministrat dein incensum, sine osculis, dicens : *Benedicite, Pater Reverende*, et reddita navicula Thuriferario, stat ad dexteram Celebrantis, manibus junctis.

7. Cum cantatur : *Kyrie eleison*, Diaconus accipit a ministro aspersorium ; et cum Celebrans cantat : *Pater noster*. Diaconus sinistra elevat fimbriam pluvialis, et Celebranti dextera tradit aspersorium, sine osculis ; remanens semper ad dexteram Celebrantis, et sinistra elevans fimbriam pluvialis, discedit cum Celebrante de loco suo, et conversus ad Altare, genu dextrum flectit ad Crucem Altaris ; procedens dein ad tumulum a sinistris cadaveris (laici), seu partem Evangelii, Celebrantem comitatur ; genu dextrum iterum flectit cum transit ante Crucem quam sustinet Subdiaconus ; et procedit cum Celebrante ad dexteram cadaveris, per partem Epistolæ ; cum pervenerit ad locum quem reliquerat, accipit a Celebrante aspersorium, illudque tradit ministro ; relicta fimbria pluvialis, accipit a Thuriferario thuribulum, illudque statim tradit Celebranti, sine osculis; iterum elevat sinistra fimbriam pluvialis, et accedens cum Celebrante ad medium ante Altare, genu dextrum flectit ad Crucem Altaris, et statim comitatur Celebrantem a sinistris cadaveris; genu dextrum flectit ad Crucem quam tenet Subdiaconus; procedit ad dexteram cadaveris, et iterum subsistit ad locum quem prius occupaverat ; relicta fimbria pluvialis, accipit a Celebrante thuribulum, illudque statim reddit Thuriferario ; cum Celebrante convertitur ad tumulum, stans tunc ad Celebrantis sinistram ; et mox dextera elevat fimbriam pluvialis, cum Celebrans cantat Versiculos et Orationem. — In funere Sacerdotis, etsi diversa sit dispositio, eadem tamen, et eodem modo sunt observanda.

Nota. Potest Diaconus librum tenere apertum ante Celebrantem, dum hic cantat Versiculos et Orationem ; ita faciendum præscribit Rubrica Missalis in Absolutione ad tumulum, absente cadavere (Ritus, Tit. XIII, n. 4) ; pro Absolutione ad feretrum, dicit Rubrica Ritualis, librum ante Sacerdotem teneri ab acolytho, seu alio ministro (Tit. VI, Cap. III, n. 10), qui alius minister intelligi potest Diaconus. - Unde si ita consueto fit in Ecclesia in qua funus fit, Diaconus sustinebit librum ; et in casu, postquam reddidit thuribulum Thuriferario, accipit librum a ministro, se sistit ante Celebrantem, et ambabus manibus ante faciem sustinet librum apertum ante Celebrantem ; dicta a Celebrante Oratione, Diaconus reddit librum ministro, et accedit ad sinistram Celebrantis.

8. Ad Officium Sepulturæ, Diaconus, dicta Oratione Absolu-

tionis, accipit a ministro biretum Celebrantis, eique illud tradit, dein accipit suum, et caput bireto cooperit ; et procedit ad cœmeterium, a sinistris Celebrantis, dextera sustinens pluvialis fimbriam.

9. In cœmeterio, cum Celebrante subsistit ad pedes defuncti, et nudato capite, accipit biretum Celebrantis, illudque cum suo tradit ministro.

10. Si sepulchrum non est benedictum, postquam Celebrans recitavit Orationem super sepulchrum, Diaconus a sinistra Celebrantis accedit ad dexteram, caput inclinans cum transit ante ipsum, et mox ministrat sine osculis incensum, dicens : *Benedicite, Pater Reverende* ; reddita navicula Thuriferario, accipit a ministro aspersorium, et tradit Celebranti ; post aspersionem recipit aspersorium, et reddit ministro ; accipit a Thuriferario thuribulum, et tradit Celebranti ; dum aspergit et thurificat Celebrans corpus et sepulchrum, Diaconus sinistra elevat fimbriam pluvialis ; cum recepit a Celebrante thuribulum, illudque reddidit Thuriferario, Diaconus iterum accedit ad sinistram Celebrantis, caput inclinans cum transit ante ipsum.

11. Post Canticum *Benedictus,* ad repetitionem Antiphonæ *Ego sum,* Diaconus de sinistra Celebrantis accedit ad dexteram, caput inclinans cum transit ante ipsum ; et cum Celebrans dicit : *Pater noster,* Diaconus acceptum a ministro aspersorium sine osculis tradit Celebranti, et elevat sinistra fimbriam pluvialis, interea dum Celebrans aspergit corpus ; receptum aspersorium reddit dein ministro, et remanet ad dexteram Celebrantis, elevans sinistra fimbriam pluvialis ; cum Celebrans dixit Versum : *Anima ejus,* Diaconus a dextera Celebrantis iterum transit ad sinistram, caput inclinans cum transit ante ipsum ; acceptum a ministro biretum porrigit Celebranti, suum dein biretum accipit, et capiti imponit ; dextera sustinens fimbriam pluvialis, procedit cum Celebrante ad sacristiam.

12. In itinere de cœmeterio ad sacristiam dicuntur preces ultimæ ad suffragium omnium fidelium defunctorum ; Diaconus cum reliquis de clero respondet ad dictas preces, quas incipit Celebrans. (Istæ preces describuntur infra in Nota.)

Nota. Preces dicendæ post sepulturam (aut post Absolutionem defunctorum ad tumulum, excepto die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum), sunt sequentes :

Celebrans sine cantu dicit Antiphonæ verba : *Si iniquitates* ; deinde a Celebrante et iis qui ipsum comitantur recitatur Psalmus : *De profundis,* alternatim, sine cantu. In fine dicitur ℣. *Requiem.... eis*, in plurali, et ab omnibus repetitur Antiphona integra : *Si iniquitates observaveris*, *Domine*, *Domine*, *quis sustinebit ?*

Subjunguntur dein sequentes preces, alternatim a Sacerdote et clero dictæ : *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster*, secreto. ℣. *Et ne nos....* ℟. *Sed libera....* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue, Domine, animas eorum.* ℣. *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.* ℣. *Domine, exaudi....* ℟. *Et clamor....* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Et Sacerdos dicit : *Oremus*, et Orationem : *Fidelium, Deus, omnium conditor etc.* ℟. *Amen.* Post Orationem Sacerdos dicit alternatim cum clero : ℣. *Requiem æternam dona eis, Domine.* ℟. *Et lux perpetua luceat eis.* ℣. *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.*

(Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 273, nn. 7, 8, 9.)

II. Absolutio super tumulum in ecclesia erectum. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 287.)

1. Prænotatur quod differentia dispositionis, quæ locum habet in exsequiis vel laici, vel Sacerdotis, præsente corpore (cfr. supra I, nn. 3 et 4), non exstat quando absens est cadaver ; ideoque, sive pro laico, sive pro Sacerdote fiat Absolutio ad tumulum post Missam, eadem dispositio servatur, scilicet quod Celebrans et Diaconus, in hujusmodi Absolutione, semper stant Altare inter et tumulum, quemadmodum in funere laici, præsente ejus corpore. (Decret. S. Rituum Congregationis, 20 Junii 1899, n. 4034, ad 3.)

2. Servatis itaque, quæ supra in supposito I præscribuntur, ad nn. 1, 2 et 3, Diaconus accedit cum Celebrante ad tumulum, subsistens tumulum inter et Altare, aliquantulum e medio, versus partem Epistolæ ; ibi relinquens fimbriam pluvialis, nudat caput, accipit Celebrantis biretum, et tradit utrumque ministro, et stat manibus junctis, dum cantatur Responsorium *Libera me, Domine.*

3. Ad impositionem thuris, aspersionem, et thurificationem tumuli, Diaconus observat quæ dicuntur nn. 6 et 7.

4. Postquam reddidit thuribulum Thuriferario, Diaconus librum a ministro accipit, stat ante Celebrantem, et ambabus manibus ante faciem sustinet librum apertum ante Celebrantem, qui cantat Versiculos cum Oratione ; post Orationem, Diaconus, retinens librum apertum, recedit aliquantulum versus sinistram Celebrantis, qui ad Versum *Requiem æternam,* Crucis signum facit super tumulum.

5. Cum Celebrans cantavit Versum : *Anima ejus, etc.,* Diaconus claudit librum, eumque reddit ministro ; accedit ad sinistram Celebrantis ; accipit a ministro biretum Celebrantis, illudque ei tradit ; dein accipit a ministro biretum suum, illudque dextra ante pectus sustinet.

Nota. Versus : *Anima ejus, etc.*, omittitur in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum.

6. Cum omnes eodem quo venerunt ordine recedunt, Diaconus ad sinistram Celebrantis convertitur ad Altare, et genu dextrum flectit ad Crucem Altaris ; mox caput cooperit, dextera accipit fimbriam pluvialis Celebrantis, et procedit ad sacristiam, quæ hic supponitur a parte Epistolæ ; si hæc est a parte Evangelii, Diaconus genu dextrum flectit, cum transit ante Altaris medium.

7. Diaconus cum reliquis de clero respondet Celebranti ad preces quæ dicuntur ad suffragium omnium fidelium defunctorum, dum revertuntur ad sacristiam. (Istæ preces describuntur supra in Nota ad I, n. 12 ; omittuntur in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum.) Preces terminantur in sacristia ; eis absolutis, et non prius, omnes deponunt paramenta.

III. Absolutio super pannum nigrum, ante gradus Altaris extensum. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 288.)

1. Lecto ultimo Evangelio, Diaconus accedit cum Celebrante ad medium Altaris, et flectit genu dextrum ad Crucem Altaris, descendit cum Celebrante et Subdiacono ad scamnum, a parte Epistolæ, et ibi deponit manipulum, cujus crucem osculatur.

2. Cum Celebrans indutus est pluviali, Diaconus cum ipso ascendit ad Altare a latere, et ibi, absque ulla reverentia, subsistit in cornu Epistolæ ad dexteram Celebrantis ; manus tenet junctas, dum cantatur Responsorium *Libera me Domine.*

3. Cum repetitur Versus *Libera*, Diaconus convertit se ad Celebrantem, ita ut dextrum latus versus cornu Epistolæ habeat, et Celebranti sine osculis præsentat acceptam a Thuriferario naviculam incensi, dicens : *Benedicite, Pater Reverende* ; imposito, et benedicto a Celebrante incenso, Diaconus reddit naviculam Thuriferario, et manibus junctis, iterum convertitur ad cornu Epistolæ, ad dexteram Celebrantis.

4. Postquam Celebrans, remanens in cornu Epistolæ conversus ad Missale cantavit : *Pater noster,* Diaconus ipsum sequitur euntem ad medium ante Altare, et prompte transit, retro post Celebrantem, ad ejus sinistram, ad cornu Evangelii ; per dexteram suam mox cum Celebrante convertit se ad pannum ; ibi stans ad Celebrantis dexteram, humeris conversis ad Altare, accipit a ministro aspersorium, illudque tradit sine osculis Celebranti, et sinistra elevat fimbriam pluvialis, interea dum Celebrans aspergit pannum ; relicta fimbria, accipit a Celebrante aspersorium, redditque ministro, accipit a Thuriferario thuri-

bulum, et tradit Celebranti ; iterum sinistra elevat fimbriam pluvialis, dum Celebrans incensat pannum, et ea relicta post incensationem, recipit thuribulum, redditque Thuriferario.

5. Reddito thuribulo, Celebrans et Ministri convertunt se per eamdem viam (ne circulum perficiant) ad Altare ; Diaconus tunc stat ad sinistram Celebrantis ; deinde prompte recedit de sinistra Celebrantis, ad ejus dexteram ante Missale ad cornu Epistolæ ; omnes tunc stant ante Missale sicut in principio cæremoniæ.

6. Diaconus dextera indicat (nisi id faciat Cæremoniarius) Celebranti Versiculos et Orationem ; interea stat manibus junctis. Antequam Celebrans post Orationem cantat ℣. *Requiem æternam etc.*, ipse et Ministri, remanentes in cornu Epistolæ, convertunt se ad pannum, nulla facta reverentia ; Diaconus convertit se sicut Celebrans per dexteram, et versus pannum stat junctis manibus interea dum Celebrans dicit hunc Versum et facit signum Crucis versus pannum ; quo facto omnes per eamdem viam convertunt se iterum ad Missale in cornu Epistolæ.

7. Postquam Celebrans dixit Versum : *Anima ejus, etc.*, Diaconus accedit cum Celebrante ad medium Altaris, caput Cruci inclinat, et convertens se per sinistram suam, descendit ante gradus Altaris, ubi conversus ad Altare, genu dextrum flectit in plano ; deinde tradit Celebranti biretum, accipit suum, caput cooperit, et ad dexteram Celebrantis sinistra elevat fimbriam pluvialis, dextera pectori apposita, dum procedit ad sacristiam.

8. Dum omnes revertuntur ad sacristiam, statim post reverentiam Altari factam, Celebrans incipit, et cum eo Ministri sacri alternatim dicunt preces ad suffragium omnium fidelium defunctorum, quæ describuntur supra in Nota ad I, n. 12. (Omittuntur istæ preces in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum.) Preces terminantur in sacristia ; eis absolutis, et non prius, omnes deponunt sacra paramenta.

CAPUT VII

OBSERVANDA A DIACONO AD CONCIONEM POST EVANGELIUM

(85) — 1. Postquam Diaconus, cantato Evangelio, incensavit Celebrantem, reddito thuribulo, accedit ante gradum infimum Altaris, paulo extra medium a parte Epistolæ ; ad ejus sinistram accedit Subdiaconus ; mox Diaconus cum Subdiacono

genu dextrum flectit in infimo gradu ; et dum Celebrans de suppedaneo descendit directe ad scamnum, Diaconus præcedens Subdiaconum per planum accedit ad scamnum, et sistit ad dexteram Celebrantis.

2. Si Celebrans concionem habet, Diaconus ad scamnum stat, usque dum Celebrans exuerit manipulum et casulam, ac recesserit ab Altari ad cathedram ; dein simul cum Subdiacono sedet in scamno, et caput cooperit ; vel cooperto capite, et manibus ante pectus junctis, accedit ad locum præparatum ubi concionem erit auditurus, ibique sedet ad dexteram Subdiaconi.

3. Si alius concionator sermonem habet, Diaconus sedet ad dexteram Celebrantis, vel in scamno, vel in alio loco ad audiendam concionem præparato.

4. Caput detegit Diaconus, cum fit signum Crucis, et enuntiatur sacer textus concionis, ac quoties proferuntur sacra nomina *Jesu* et *Mariæ*.

5. Post concionem, Diaconus simul cum Subdiacono accedit ad scamnum, si in alio loco concionem audierit ; et adveniente Celebrante, stans capite detecto, exspectat donec hic casulam et manipulum assumpserit ; dein accedunt omnes ad Altare per planum ; ante Altare, in infimo gradu genu dextrum flectit Diaconus, et mox ascendit ad medium, seu secundum gradum, et stat in loco suo retro post Celebrantem.

6. Si Celebrans concionem non habuerit, hac terminata, Diaconus cum Celebrante et Subdiacono de scamno, vel de loco quem occupavit, accedit ad planum ante Altare, et facit ut supra.

CAPUT VIII

DE OFFICIO DIACONI IN MISSA SOLEMNI CUM PLANETA PLICATA

(86) — Quibus diebus usuveniant planetæ plicatæ, exponitur in Rubricis generalibus Missalis Romani, Tit. XIX, n. 6.

Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 137.

1. Cum Subdiaconus transfert librum, Diaconus, e loco quem occupat in secundo, seu medio gradu, descendit absque ulla reverentia ad planum a parte Epistolæ, et ad scamnum cum pervenit, deponit planetam plicatam, quæ tunc juxta Rubricam complicatur, et ponitur super humerum sinistrum, super stolam diaconalem, ita ut extremitates ligentur sub brachio dextro ;

verum cum hoc regulariter fieri nequeat, ob modum quo pleræque planetæ confectæ sunt, adhibetur pro Diacono aliud indumentum, quod formam habet stolæ latioris, et formam planetæ complicatæ repræsentat; quæ stola ponitur a ministro super humerum sinistrum Diaconi, super stolam diaconalem, et cordulis ligatur sub brachio dextro. Non potest Diaconus deponere stolam suam diaconalem.

2. Ita indutus, Diaconus accipit a ministro librum Evangeliorum, eumque consueto modo defert ad Altare.

3. Diaconus hac stola latiori indutus, ministrat Celebranti per totam Missam, usque ad factam Communionem.

4. Peracta Communione, cum Missale transtulit ad cornu Epistolæ, Diaconus absque ulla reverentia descendit ad planum a parte Epistolæ; ibi deponit stolam latiorem, resumit planetam plicatam, et ascendit ad cornu Epistolæ, ut ministret Celebranti ad lectionem Antiphonæ *Communio*, et ad cantum Orationum, consueto modo.

CAPUT IX

DE OFFICIO DIACONI IN MISSA SOLEMNI AD CLERI POPULIQUE COMMUNIONEM

(87) — 1. Postquam, sumpto S. Sanguine, Subdiaconus pallam posuit super Calicem, Diaconus simul cum ipso genu dextrum flectit, et locum mutat, transiens ad dexteram Celebrantis, ubi iterum genu dextrum flectit.

2. Si Pyxis cum Particulis distribuendis posita est super Altaris mensam, Diaconus illam collocat in medio corporalis, aufert cooperculum, illudque deponit super corporale in angulo posteriori, et cum Celebrante dextrum genu flectit.

Si Pyxis inclusa est in Tabernaculo, Diaconus aperit Tabernaculum, genu dextrum flectit cum Celebrante, extrahit Pyxidem, eamque deponit super corporale, et Tabernaculum claudit; Diaconus tunc a Pyxide aufert velum, et cooperculum, quod deponit super corporale, et iterum simul cum Celebrante genu dextrum flectit.

3. Diaconus deinde discedit de latere Celebrantis ad cornu Epistolæ, descendit uno gradu a suppedaneo, convertit se ad SS. Sacramentum, et stans, profunda cum corporis inclinatione, junctisque manibus, recitat: *Confiteor etc.*, ad verba: *mea culpa*, ter pectus dextera percutiens; et remanet inclinatus usque dum Celebrans dixerit: *Misereatur, etc.*, et ipse responderit: *Amen.*

Ad verba : *Indulgentiam, etc.*, erectus, Cruce a fronte ad pectus se signat, et postea respondet : *Amen.*

4. Si sumpturus est S. Eucharistiam, Diaconus, post ℣. *Indulgentiam*, simul cum Subdiacono procedit ad medium, et genu utrumque flectit in extremo suppedaneo, ante Celebrantem, ad dexteram Subdiaconi. Accepta S. Communione, assurgit, et accedit ad Celebrantis dexteram, sive ad latus Evangelii, humeris ad Altare versis, ibique dum S. Communio ad Altare ministrabitur, stabit junctis manibus, conversus ad communicandos.

Nota. I. Diaconus et Subdiaconus semper communicant primi, etiamsi communicarent alii Sacerdotes dignitate superiores ; idque fit ratione ministerii sui.

Nota. II. Cum Celebrans Sacerdos sacram Communionem distribuit, non licet Diacono tenere Pyxidem, nec Subdiacono tenere patenam, quemadmodum fit Episcopo celebrante. (Decret. S. Rituum Congregationis, 13 Junii 1676, n. 1572, antiq. 2791, ad 2.)

Attamen in Communione generali, potest etiam Diaconus, si mos erit, patenam, diversam a patenis pro Missis et ad hunc usum tantum destinatam, vel etiam, juxta aliquos auctores, patenam in Missa adhibitam, communicantium mento supponere. In hoc casu, accipit patenam dextera, et ad dexteram Celebrantis, sive ad latus Evangelii, stans, unicuique communicando patenam mento supponit, dum Celebrans imponit S. Hostiam linguæ.

5. Si de sacra mensa non participat, Diaconus post ℣. *Indulgentiam,* genu dextrum flectit in cornu Epistolæ, et mox de latere Epistolæ transit ad latus Evangelii ; ubi cum pervenerit, ad sinistram Celebrantis hoc momento ad Altare conversi, genu dextrum flectit ; deinde cum Celebrans cum Pyxide se convertit ad communicandos, Diaconus per dexteram suam item se convertit, et stat ad Celebrantis dexteram, manibus junctis, nisi, ut supra dictum fuit, patenam teneat mento communicantium supponendam.

6. Clerici omnes ad Altare communicantur ; si dein laicis distribuenda est S. Communio, id fiet ad cancellos Presbyterii, et Diaconus comitatur Celebrantem a dextris.

7. Finita distributione, Diaconus accedit cum Celebrante ad Altare ad ejus sinistram ; deponit patenam, si eam tenuit, super corporale ; genu dextrum flectit in suppedaneo, ad Celebrantis sinistram, et mox transit ad ejus dexteram, ubi iterum genu dextrum flectit ; tunc cooperit pyxidem cooperculo et velo, aperit Tabernaculum, reponit in eo pyxidem, et genu dextrum flectit cum Celebrante ; dein claudit Tabernaculum ; et

mox transit ad sinistram Celebrantis, genu dextrum flectens retro post Celebrantem, cum transit ante medium.

Si vero Hostiæ non remaneant post distributionem, Diaconus, ubi de cancellis cum Celebrante pervenerit ad gradus Altaris, postquam ascenderit Celebrans, ascendit et ipse ad sinistram Celebrantis, et genu dextrum flectit. Si in casu distributio facta fuerit ad Altare tantum, hac terminata, se convertit ad Altare, et stat ad sinistram Celebrantis. Si patenam tenuit, eam statim deponit super corporale.

8. Casu quo Pyxis ex alio Altari esset afferenda, et post distributionem S. Communionis ad illud referenda, alius Sacerdos id faciat, debito modo, cum lumine, et sub umbella : non autem Diaconus hac de causa relinquat suum ministerium ad Altare.

CAPUT X

DE OFFICIO DIACONI IN EXPOSITIONE ET BENEDICTIONE SS. SACRAMENTI

(88) — I. **Expositio.** 1. Hora statuta, Diaconus indutus amictu, alba, cingulo, stola et dalmatica, facta in sacristia inclinatione capitis ad imaginem, caput bireto cooperit, dexteram applicat pectori, sinistra accipit fimbriam anteriorem pluvialis Celebrantis, et ad dexteram Celebrantis procedit ad Altare SS. Sacramenti.

Nota. Si Missa celebratur coram SS. Sacramento exposito, possunt Ministri sacri cum supradictis paramentis jam assumere manipulum ; nisi SS. Sacramentum deferatur immediate ante Missam ad Altare a Celebrante pluviali induto ; quia tunc manipulum assumunt ad scamnum, postquam SS. Sacramentum ad Altare fuit expositum.

2. Ante Altare Diaconus detegit caput, accipit biretum Celebrantis, et tradit ministro, et genu dextrum flectit in plano.

3. Si SS. Sacramentum ad aliud Altare est deportandum, Diaconus ascendit ad Altare ; in mensa explicat corporale, si nondum explicatum habeatur ; aperit ostium Tabernaculi, et genu dextrum flectit, paulum recedens e medio versus cornu Epistolæ, ne tergum vertat Celebranti ; tum extrahit Ostensorium vel Custodiam, et Tabernaculum claudit.

Casu quo Ostensorium non deponitur in Tabernaculo, Diaconus aperit Custodiam, genu dextrum flectit, et lunulam cum S. Hostia accipit, et collocat in sphæram Ostensorii, quod mi-

nister ad Altare attulit et ipse Diaconus super corporale deponit ; Custodiam clausam sine velo ponit a latere super corporale, vel si Missa sequitur ibi dicenda, reponit in Tabernaculum, hoc momento tantum in casu claudendum.

Clauso Tabernaculo, depositoque Ostensorio in medio corporalis, Diaconus genu dextrum flectit, paulum e medio recedens, et descendit, recedens paulum etiam a parte Epistolæ, et genu dextrum flectit in infimo gradu ad dexteram Celebrantis. Mox simul cum Celebrante se erigit, et conversus ad Thuriferarium, ab eo accipit naviculam, quam apertam tenet versus Celebrantem, et dextera huic præsentat cochleare, sine osculis, utraque manu mox tenens naviculam ; nihil dicit, quia incensum pro hac functione non benedicitur. Imposito incenso, accipit a Celebrante cochleare, naviculam reddit Thuriferario, et accipit thuribulum, tenens summitatem catenularum dextera, catenulas prope cooperculum sinistra. Genu utrumque flectit in infimo gradu ad dexteram Celebrantis, et ei tradit thuribulum, deponens dextera summitatem catenularum in sinistra Celebrantis, sinistra vero tradens ei catenulas prope cooperculum. Mox sinistra tenet fimbriam pluvialis elevatam, et profunde inclinat caput simul cum Celebrante, ante et post incensationem. Deinde relinquit fimbriam pluvialis, et accipit e manibus Celebrantis thuribulum, dextera assumens catenularum summitatem, sinistra vero catenulas prope cooperculum, et thuribulum reddit Thuriferario stanti ad dexteram suam.

4. Cum Celebrans indutus est velo humerali, Diaconus simul cum ipso ascendit ad Altare, sinistra tenens interea fimbriam pluvialis; ad Altare genu dextrum flectit, manibus junctis, paulum e medio; accipit Ostensorium, tenens illud dextera super nodum, sinistra ad pedem, et conversus ad Celebrantem in ora suppedanei genuflexum, ipsi tradit Ostensorium, et mox manus ejus cooperit velo humerali, partem hujus dextram disponens supra sinistram. Cum Celebrans assurgit, Diaconus genu dextrum flectit, et mox cum Celebrante descendit ad planum, dextera sustinens paulum brachium sinistrum Celebrantis ; in plano Diaconus, retro post Celebrantem, locum mutat cum Subdiacono, et accedit ad Celebrantis dexteram, ac fimbriam pluvialis elevat sinistra, interea dexteram applicans pectori, cum procedunt ad Altare expositionis ; ibi ascendit cum Celebrante ; sed dum hic subsistit in penultimo gradu, Diaconus ascendit ad suppedaneum, convertit se ad Celebrantem, genuflectit utroque genu, et accipit genuflexus Ostensorium, tenens illud dextera ad nodum, sinistra ad pedem ; mox assurgit, et cum Celebrans genuflexione adoravit SS. Sacramentum, Diaconus convertit se ad Altare, et collocat Ostensorium super

thronum. Si necesse sit ut ascendat super scabellum, caute et lente id faciat. Exposito SS. Sacramento in throno, Diaconus, manibus junctis, genu dextrum flectit in suppedaneo, paulum e medio, et mox, per sinistram conversus, descendit ; ad dexteram Celebrantis genu dextrum flectit in infimo gradu, et simul cum Celebrante assurgit, et ministrat iterum incensum, quemadmodum supra dictum fuit.

5. Si SS. Sacramentum exponitur ad idem Altare in quo reponitur in Tabernaculo, Diaconus in accessu ad Altare, et cum extrahit Ostensorium, vel Custodiam e Tabernaculo, eadem observabit quæ supra n. 3 describuntur ; clauso vero Tabernaculo, manibus junctis, dextrum genu flectit, paulum e medio, et mox accipit Ostensorium, illudque collocat in thronum. Si necesse sit ut ascendat super scabellum, accipiet Ostensorium antequam ascendat, non vero postquam jam ascendit. Exposito SS. Sacramento, Diaconus observat dicta in fine n. 4, pro incensatione.

6. Reddito thuribulo Thuriferario, assurgit, et ad duos passus a Celebrante secedens, iterum genu utrumque flectit in infimo gradu, et ibi remanet in adoratione SS. Sacramenti. (Si sequitur Missa, observantur dicta supra, (82), Capite V.)

Nota. In nostris Laudibus vespertinis semper genuflexi per totam functionem remanent Celebrans et Ministri ; etiamsi cantentur Hymni, aut alia sub quibus in Officio stare præcipitur ; ex. gr., etiamsi cantetur Dominicis diebus aliqua Antiphona B. Mariæ V., ut *Salve Regina*, aut tempore Paschali quocumque die *Regina cœli*, aut quocumque tempore Canticum *Benedictus*, aut *Magnificat*. Unica datur exceptio pro cantu Hymni *Te Deum laudamus*, infra cujus cantum Celebrans et Ministri stare debent. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 185, Nota ; et Q. 182, B, Nota III.)

7. Quando Celebrans debet cantare Orationes, vel Versiculos, Diaconus accipit a ministro librum ad Orationis locum apertum, absque capitis inclinatione assurgit, et propius accedens ad Celebrantem, genu utrumque flectit ad ejus dexteram ; protendit librum ante Celebrantem, ita ut Subdiaconus possit illum tenere dextera, dum ipse Diaconus illum tenebit sinistra ad partem inferiorem, dextera interea pectori apposita, nisi folium sit vertendum ; dicta Oratione, accipit librum quem relinquit Subdiaconus, librum reddit ministro ; absque capitis inclinatione assurgit, et genu utrumque flectit iterum in loco quem in adoratione occupavit.

Nota. I. Liber tenetur a Ministris sacris genuflexis, quando Celebrans cantat Orationem, aut Versiculos cum Oratione ; quando autem Celebrans legit tantum, seu recitat quasdam

precationes, ex. gr., Litanias B. Mariæ V., Orationem ad S. Joseph, etc., ipse sibi librum tenet.

Si vero Celebrans intonat aliquem Hymnum, ex. gr., *Veni Creator*, *Te Deum laudamus*, Ministri sacri qui librum tenent ad intonationem, eumdem tenere continuant dum Hymnus legitur, usque ad finem recitationis; et postea iterum librum tenent quando Celebrans cantat Versiculos et Orationem.

Nota. II. Dictum fuit supra in Nota ad n. 6, quod Celebrans et Ministri stant infra cantum Hymni *Te Deum laudamus*; notare juvat quod, terminato cantu Hymni, quando cantantur Versiculi post Hymnum, omnes debent genuflectere, etiam Celebrans; iste tamen solus assurgit pro cantu Orationis.

II. Benedictio. — 8. Cum cantatur stropha *Genitori,* Diaconus cum Celebrante assurgit, et ministrat incensum et thuribulum ut supra; remanet prope Celebrantem, et tenet cum Subdiacono librum ad Orationem SS. Sacramenti.

9. Post Orationem SS. Sacramenti, Diaconus assurgit, ascendit ad Altare, genu dextrum flectit in suppedaneo, paulum e medio a parte Epistolæ, et Ostensorium mox e throno accipit, et deponit super mensam in medio corporalis; convertit illud ita, ut in danda benedictione pars anterior vergat ad populum. Si necesse sit ut ascendat super scabellum ad accipiendum e throno Ostensorium, illud non deponat super mensam, antequam e scabello descendat, vel dum descendit, sed tantum postquam descenderit.

Deposito Ostensorio, Diaconus recedit paulum a latere a parte Epistolæ, et utrumque genu flectit, usque dum Celebrans accedens ad Altare genu dextrum flexerit; simul cum Celebrante assurgit Diaconus, et adjuvat Celebrantem in accipiendo e mensa Ostensorio, et cooperiendis velo manibus; deinde convertit se per sinistram suam, et descendit de suppedaneo uno gradu, et mox utrumque genu flectit in ora suppedanei, a latere a parte Epistolæ. Genuflexus remanere debet, non ante Celebrantem, et quasi prope Subdiaconum, sed in aliquali distantia e medio versus partem Epistolæ, ita ut Celebrans, conversus ad populum pro benedictione, posset quasi procedere Diaconum inter et Subdiaconum.

10. Cum Celebrans tenens SS. Sacramentum, conversus versus populum benedictionem impertitur, Diaconus ad ipsum conversus, et genuflexus ut supra n. 9 dicitur, sinistra tenet fimbriam pluvialis, et caput profunde inclinat; data benedictione, relinquit fimbriam pluvialis, manus jungit, caput erigit; remanet genuflexus, usque dum Celebrans, deposito Ostensorio, descenderit, et in infimo gradu genuflexus fuerit.

Tunc assurgit Diaconus, accedit ad mensam Altaris, genu dextrum flectit paulum e medio a parte Epistolæ, assurgit, et apertis sphæra Ostensorii et Custodia, lunulam cum S. Hostia ex Ostensorio in Custodiam deponit, genu dextrum flectit, Custodiam claudit et velo cooperit; aperit Tabernaculum (nisi antea jam aperiendum foret, casu quo Custodia in eo deposita fuisset), reponit Custodiam in Tabernaculum; si vero Ostensorium in Tabernaculum esset reponendum, velo illud cooperit et reponit; genu dextrum flectit paulum e medio, et Tabernaculum claudit; per sinistram suam se convertens, descendit ante infimum gradum, ad dexteram Celebrantis.

11. Si SS. Sacramentum, post datam benedictionem, ad aliud Altare est reportandum, Diaconus, data benedictione, assurgit, et descendit simul cum Celebrante, sustinens paulum dextera cubitum sinistrum Celebrantis, dum hic de gradibus Altaris descendit; ubi in planum descenderint, Diaconus, retro post Celebrantem, mutat locum cum Subdiacono; accedit ad Celebrantis dexteram, et sinistra elevat fimbriam pluvialis, dextera pectori apposita; ad Altare ubi reponitur SS. Sacramentum in Tabernaculo, Diaconus cum Celebrante ascendit, et cum hic subsistit in penultimo gradu, Diaconus ascendit ad suppedaneum, et conversus ad Celebrantem, genu dextrum flectens, accipit ab eo Ostensorium, tenens illud dextera ad nodum, sinistra ad pedem; mox assurgit, et cum Celebrans genuflexus adoravit SS. Sacramentum, Diaconus convertit se ad Altare, et collocat Ostensorium super mensam, in medio corporalis; genu dextrum flectit aperit Tabernaculum, et reponit SS. Sacramentum, ut supra n. 10 describitur: deposito SS. Sacramento, genu dextrum flectit paulum e medio a parte Epistolæ, et mox Tabernaculum claudit, et descendit ante infimum gradum ad dexteram Celebrantis.

Nota. Ex præcedentibus patet hæc regula, relate ad SS. Sacramentum: Quoties Celebrans daturus est cum SS. Sacramento benedictionem, ipse a mensa Altaris Ostensorium accipit, et data benedictione, super mensam illud reponit; in aliis autem casibus, semper Celebrans accipit Ostensorium genuflexus e manibus Diaconi, aut Diaconus illud genuflexus accipit e manibus Celebrantis.

12. Diaconus cum descendit ante infimum Altaris gradum, accipit a ministro biretum Celebrantis, illudque ei dextera tradit; accipit biretum suum, et simul cum Celebrante, qui surrexit a genuflexione, dextrum genu flectit in plano, caputque bireto cooperit; deinde sinistra tenens fimbriam pluvialis Celebrantis, ad hujus dexteram procedit ad sacristiam.

Nota. In exponendo ritu Expositionis et Benedictionis SS.

Sacramenti descriptus fuit ordo cæremoniarum præscriptus Clero Diœcesis Mechliniensis per Instructionem datam 6 Decembris 1872. (Cfr. Instructio in Tractatu de administratione Sacramentorum, Q. 186 ; cfr. insuper quæ notantur in eodem Tractatu, Q. 184, in Nota finali.)

CAPUT XI

OBSERVANDA A DIACONO PRO REVERENTIIS PRÆSTANDIS, TUM INTER EUNDUM AD ALTARE, TUM CLERO IN CHORO

§ 1. Reverentiæ præstandæ inter eundum ad Altare

(89) — Diaconus, quando cum Celebrante et Subdiacono e sacristia progreditur per ecclesiam ad Altare, inter eundum sequentes præstare debet reverentias :

1. Transiens ante Altare majus ecclesiæ, cum pervenerit ante Altaris medium, subsistit et convertitur ad Altare, stat inter Subdiaconum et Celebrantem si Celebrans casula indutus est, ad Celebrantis dexteram vero si iste pluviali indutus est, caput detegit dextera, genu dextrum flectit, assurgit, caput bireto cooperit, et progreditur.

2. Transiens ante Altaria minora ecclesiæ, nullam ratione Altaris facit reverentiam.

3. Transiens ante Altare in quo habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, genu dextrum flectit, ut supra ad 1 pro Altari majori.

Idem faciendum est quando transiret, non quidem directe ante Altare hujusmodi, sed ab ejus latere.

4. Transiens ante Altare in quo celebratur Missa, distinguendum est sub quanam parte Missæ transit :

a) Ante Consecrationem, et post Communionem, nullam ratione Missæ facit reverentiam.

b) Infra Consecrationem et Elevationem : subsistit, convertit se ad Altare, et si Celebrans indutus est casula, retrocedens unum vel duos passus mox accedit ad Celebrantis dexteram (decentius enim videtur in casu, quod Celebrans genuflexus sit Diaconum inter et Subdiaconum, quia cum mora, seu per aliquot momenta adoratio fit), caput detegit, genu utrumque flectit, caput profunde inclinans SS. Sacramentum adorat usque dum Calix fuerit depositus super Altare, surgit (retro post Celebrantem accedit ad pristinum locum, sequens Subdiaconum

et Celebrantem præcedens, si iste casula indutus est), caput cooperit, et progreditur.

c) Inter Elevationem et Communionem, ante Altare caput detegit, genu dextrum flectit, assurgit, caput cooperit et progreditur, eodem modo agens quam in casu quo Tabernaculum habetur in Altari, ut supra n. 3.

5. Transiens ante Altare in quo distribuitur sacra Communio : caput detegit statim ac venerit in conspectum SS. Sacramenti, subsistit ante Altare, convertit se ad Altare, genu utrumque flectit, caput profunde inclinat sine pausa, assurgit, progreditur, et caput cooperit quando erit extra conspectum SS. Sacramenti.

6. Transiens ante Altare in quo SS. Sacramentum est expositum, in Pyxide vel in Ostensorio, eodem modo agit quam supra ad 5.

7. Transiens ante Altare in quo loco principali exposita est Reliquia S. Crucis, vel Dominicæ Passionis, genu dextrum flectit agens eodem modo quam supra ad 1 et 3.

8. Transiens ante Reliquiam insignem alicujus Sancti expositam, subsistit, convertitur ad Reliquiam, caput detegit et profunde inclinat, caput cooperit, et progreditur.

(Cfr. insuper *Commentaria ad Instructionem Clementis XI*, in Volumine IV Collectionis Decretorum S. Rituum Congregationis, § VII, nn. 4 ad 15.)

§ 2. Reverentiæ clero in Choro præstandæ

(90) — 1. Prænotatur quod reverentiæ clero in Choro congregato non præstantur : 1° exposito SS. Sacramento ; 2° præsente Episcopo proprio ; 3° in Officio Feriæ VI in Parasceven, inde ab adoratione Crucis usque ad Nonam Sabbati Sancti. — Non omitti debent in Missis de *Requiem*. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 12 Septembris 1857, n. 3059, ad 27, antiq. 5251, ad 31.)

Diaconus sequentia observabit in Missa solemni.

2. Accedens e sacristia ad Chorum, supposito accessu per portam lateralem a parte Epistolæ, Diaconus ad ingressum Chori subsistit, et ad dexteram Celebrantis accedens, caput detegit, et simul cum Celebrante salutat inclinatione capitis parva clerum qui remanet in Choro a parte Epistolæ ; paululum dein progreditur ad dexteram Celebrantis, et cum Celebrante salutat eodem modo clerum a parte Evangelii remanentem ; biretum mox capiti imponit, et progreditur ad dexteram Celebrantis usque ad gradus Altaris.

3. Post sessiones, quando de scamno revertitur ad Altare, Diaconus, manibus junctis, discedens de scamno, manet ad

dexteram Celebrantis, et cum eo paululum progrediens, salutat parva capitis inclinatione clerum a parte Epistolæ, dein duos vel tres passus versus medium progressus, salutat clerum a parte Evangelii, et lentius procedens ad dexteram Celebrantis, accedit ad Altare.

4. Postquam in plano, a parte Epistolæ, accepit librum Evangeliorum, Diaconus, conversus per sinistram suam, paucosque passus progressus versus clerum qui in Choro a parte Epistolæ est, subsistens eumdem salutat ; iterumque duos tresve passus progressus, subsistens salutat clerum a parte Evangelii ; et dein progreditur ante medium Altaris, ubi in infimo gradu genu dextrum flectit ad Crucem.

5. Ante cantum Evangelii, Diaconus, tenens manibus librum Evangeliorum, ad dexteram Subdiaconi genu dextrum flectit in infimo gradu Altaris, dein per sinistram suam se convertit ad clerum qui in Choro est a parte Epistolæ, eumque simul cum Subdiacono salutat ; progreditur duos tresve passus ad sinistram Subdiaconi, versus clerum qui est a parte Evangelii, eumque salutat ; dein exspectat donec Subdiaconus accedat ad suam sinistram, et procedit ad locum ubi consueto cantatur Evangelium.

6. Post cantum Versus *Et incarnatus est,* in Symbolo, Diaconus ad credentiam accipit bursam, paucosque passus progressus versus clerum qui in Choro a parte Epistolæ est, subsistens eumdem salutat ; iterumque duos tresve passus progressus, subsistens salutat clerum a parte Evangelii ; et dein progreditur ante medium Altaris, ubi in infimo gradu genu dextrum flectit ad Crucem.

7. Finita Missa, Diaconus, ante gradus Altaris stans ad dexteram Celebrantis, genu dextrum flectit ante infimum gradum Altaris ; tenens manibus biretum, per sinistram suam se convertit ad clerum qui est a parte Evangelii, eumque salutat ; remanens ad sinistram Celebrantis, procedit cum ipso tres quatuorve passus, et subsistens salutat clerum qui est a parte Epistolæ ; caput bireto cooperit, et manibus junctis, sequitur Subdiaconum et præcedit Celebrantem, dum omnes revertuntur ad sacristiam.

Nota. I. Ordo salutationum ad clerum supra descriptus, in quo præscribuntur faciendæ in quibusdam casibus prius a parte Epistolæ dein a parte Evangelii, in aliis casibus vero prius a parte Evangelii dein a parte Epistolæ, pro casuum diversitate, observatur semper idem, etiamsi dignior in Choro præsens non adstet in parte prius assignata.

Nota. II. Super quæstione, an in accessu primo ad Altare ante Missam, et in recessu ultimo post Missam, reverentiæ fa-

ciendæ sint prius Altari, dein Choro, vel an potius Choro prius, deinde Altari, videri possunt Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 369.

CAPUT XII

DE OFFICIO DIACONI IN FESTO PURIFICATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS

(91) — 1. Diaconus paratus erit amictu, alba, cingulo, et stola diaconali violacei coloris; ac etiam planeta plicata, violacei coloris, si ecclesia ex præcipuis est, aut planetis utitur; non induit manipulum, neque dalmaticam.

2. Accedit cum Celebrante et Subdiacono ad Altare, incedens ad dexteram Celebrantis, sinistra fimbriam pluvialis elevans, et deposito bireto, ac accepto et deposito bireto Celebrantis, genu dextrum flectit in plano. — Si est dies Dominica, statim fit aspersio aquæ benedictæ, quemadmodum describitur supra, Capite I, (78). — Diaconus ascendit cum Celebrante ad suppedaneum, ibi stans ad ejus dexteram, et cum Celebrans osculatus erit Altare, Diaconus, nulla facta reverentia, ipsum sequitur ad cornu Epistolæ, ubi manibus junctis stat ad dexteram Celebrantis dum hic cantat Orationes. Diaconus dextera indicat diversas successivas Orationes Celebranti. Cum Celebrans benedicit candelas, Diaconus aliquantum recedit si necesse sit, et dextera fimbriam pluvialis sustinet. Missalis folia, cum opus fuerit, vertit Diaconus.

3. Post quintam Orationem, Diaconus convertit se ad Celebrantem, ita ut dextrum latus versus cornu Epistolæ habeat, et accipit a Thuriferario, stante ad sinistram suam ante Celebrantem, naviculam incensi; mox cochlear cum consuetis osculis præsentat Celebranti, dicens: *Benedicite, Pater Reverende*; imposito incenso, accipit cochlear a Celebrante cum consuetis osculis; dein benedicto a Celebrante incenso, Diaconus reddit naviculam Thuriferario. Statim Diaconus accipit a ministro aspersorium, illudque cum osculis tradit Celebranti, et recedit aliquantulum ad sinistram Celebrantis, se convertens ad candelas, ac dextera elevat pluvialis fimbriam, interea dum Celebrans aspergit candelas; quo facto, Diaconus, ad Celebrantem iterum conversus, accipit cum osculis aspersorium, et illud tradit ministro; dein accipit a Thuriferario thuribulum, illudque cum osculis tradit Celebranti, eodem modo se gerens ad thurificationem candelarum sicuti ad earum aspersionem; et acce-

ptum cum osculis a Celebrante thuribulum reddit Thuriferario.

4. Deinde Diaconus ad Altare conversus, cum Celebrante accedit ad medium Altaris, et ibi mox per sinistram sine reverentia conversus ad Chorum et populum, humeris Altari versis, manibus junctis, stat ad sinistram Celebrantis. Dignior cleri accedit tunc ad Celebrantem, eique tradit candelam ; Celebrans acceptam candelam porrigit Diacono, qui eam dextera accipit, et statim tradit ministro. A sacrista mox Diaconus accipit aliam candelam, eamque tradit Celebranti, qui eam porrigit digniori e clero.

5. Tunc Diaconus et Subdiaconus, manibus junctis, descendunt unum gradum de suppedaneo, et genu utrumque flectunt in extremo suppedaneo ante Celebrantem ; Diaconus dextera accipit a Celebrante candelam, osculans primum candelam, dein manum Celebrantis. — Osculatur primo, non manum dantis, sed candelam, quia hæc est benedicta (cfr. (58), 5, Nota). — Mox Diaconus ascendit ad suppedaneum, et tradit acceptam candelam ministro ; convertit se iterum, ut prius, ad populum, et stat ad Celebrantis sinistram. Cum deinde omnes accedunt ad Celebrantem ut candelam accipiant, Diaconus a sacrista accipit singulas candelas, easque dextera porrigit Celebranti.

6. Finita distributione, Diaconus, junctis manibus, convertitur cum Celebrante ad Altare, et sine ulla reverentia accedit ad cornu Epistolæ cum Celebrante. Dum ibi Celebrans lavat manus, Diaconus convertitur ad Celebrantem, ita ut habeat ad sinistram suam Acolythos, ad dexteram vero Altare, et dextera elevat fimbriam pluvialis sinistram ; dein ad idem cornu stat conversus ad Altare, ad dexteram Celebrantis, qui stat ante Missale.

7. Si fuerit post Septuagesimam et non dies Dominica, cum Celebrans dixerit : *Oremus*, Diaconus ad dexteram Celebrantis genu dextrum flectit unico genu versus cornu Epistolæ, non versus Crucem Altaris, cantans : *Flectamus genua,* et mox assurgit, cum Subdiaconus cantat : *Levate.* (Quo tono debeat cantari : *Flectamus genua,* describitur in Appendice II hujus Tractatus.) Dum Celebrans cantat Orationem *Exaudi,* Diaconus, junctis manibus, remanet ad ejus dexteram.

8. Post Orationem, cum Celebrans imponit incensum pro Processione, Diaconus ministrat incensum, eodem modo qui describitur supra n. 3.

9. Incenso imposito et benedicto, Diaconus statim accipit a ministro candelam Celebrantis, eamque cum consuetis osculis Celebranti tradit ; deinde a ministro accipit candelam suam, eamque dextera tenet.

10. Diaconus tunc ad dexteram Celebrantis manens convertitur ad populum, et cantat : *Procedamus in pace* (tono qui describitur in Appendice II hujus Tractatus) ; postquam Chorus respondit : *In nomine Christi. Amen,* Diaconus convertitur ad cornu Epistolæ; et stat ad dexteram Celebrantis ; cum Celebrante accedit ad medium Altaris, et nullam faciens reverentiam convertit se per sinistram, et descendit ad sinistram Celebrantis ante gradus Altaris, convertitur ad Altare per sinistram suam, stat ad dexteram Celebrantis, tradit Celebranti biretum, accipit biretum suum, genu dextrum flectit in infimo gradu, cum Celebrante per sinistram suam convertitur ad populum, caput cooperit, et procedit ad sinistram Celebrantis, manu sinistra tenens candelam, dextera infra pectus posita.

11. Cum Processio revertitur ad Altare, Diaconus ante gradus transit de sinistra Celebrantis ad dexteram, caput detegit, accipit biretum Celebrantis, genu dextrum flectit in infimo gradu ; cum Celebrante pergit ad scamnum, tradit candelam suam ministro, accipit a Celebrante candelam cum osculis candelæ et manus, eamque porrigit ministro : deinde deponit planetam violaceam, si habeat, et stolam ; et accipit paramenta albi coloris, nempe stolam, dalmaticam et manipulum, pro Missa quæ statim celebratur. Si Missa celebraretur de Dominica privilegiata, Diaconus retineret stolam, et acciperet dalmaticam et manipulum violacei coloris.

CAPUT XIII

DE OFFICIO DIACONI IN FERIA IV CINERUM

(92) — 1. Diaconus paratus erit amictu, alba, cingulo, et stola diaconali violacei coloris ; ac etiam planeta plicata, violacei coloris, si ecclesia ex præcipuis est, aut planetis utitur ; non induit manipulum, neque dalmaticam.

2. Accedit cum Celebrante et Subdiacono ad Altare, incedens ad dexteram Celebrantis, et sinistra fimbriam pluvialis elevans ; deposito bireto, et accepto ac deposito bireto Celebrantis, genu dextrum flectit in plano ; ascendit cum Celebrante ad suppedaneum, ibi stans ad ejus dexteram, et cum Celebrans osculatus erit Altare, Diaconus, nulla facta reverentia, ipsum sequitur ad cornu Epistolæ, ubi manibus junctis stat ad dexteram Celebrantis, dum cantatur Antiphona, et dum Celebrans cantat Orationes. Diaconus dextera indicat Celebranti Antiphonam et diversas successivas Orationes. Cum Celebrans benedicit cineres, positos in angulo Altaris a parte

Epistolæ prope Missale, Diaconus dextera fimbriam pluvialis sustinet. Missalis folia, cum opus fuerit, vertit Diaconus.

3. Post quartam Orationem, Diaconus convertit se ad Celebrantem, ita ut dextrum latus versus cornu Epistolæ habeat, et accipit a Thuriferario, stante ad sinistram suam ante Celebrantem, naviculam incensi ; mox cochlear cum consuetis osculis præsentat Celebranti, dicens : *Benedicite, Pater Reverende* ; imposito incenso, accipit cochlear a Celebrante cum consuetis osculis ; dein benedicto a Celebrante incenso, Diaconus reddit naviculam Thuriferario, et se convertit iterum ad Altare. Statim Diaconus, stans ad dexteram Celebrantis, accipit a ministro aspersorium, illudque cum osculis tradit Celebranti ; dum Celebrans cineres aspergit, Diaconus dextera elevat pluvialis fimbriam ; quo facto, accipit cum osculis aspersorium, et illud tradit ministro ; dein accipit a Thuriferario thuribulum, illudque tradit cum osculis Celebranti, eodem modo se gerens ad thurificationem cinerum, sicuti ad eorum aspersionem ; et acceptum cum osculis a Celebrante thuribulum reddit Thuriferario.

4. Diaconus tunc ad Altare conversus, ambabus manibus accipit vasculum cum cineribus illudque tenet ante pectus, et cum Celebrante accedit ad medium ante Altare, sed prompte retro post Celebrantem transit ad partem Evangelii ad sinistram Celebrantis ; deinde, cum Celebrans convertitur ad populum, Diaconus item, semper vas cum cineribus tenens, se convertit sine ulla reverentia per dexteram suam, et stat ad dexteram Celebrantis conversus ad populum, humeris Altari versis ; tum sinistra pectori apposita, dextera tenet vas cinerum, ex quo dignior e clero accipit cineres ; dum Celebrans accipit cineres a digniore e clero, Diaconus sinistram ponit contra pectus ; cum Celebrans eidem digniori imponit cineres, Diaconus sinistra elevat fimbriam pluvialis.

5. Deinde Diaconus tradit vasculum Cæremoniario, vel ministro, et manibus junctis, descendit uno gradu de suppedaneo, genu utrumque flectit ante Celebrantem in extremo suppedaneo, paulum a parte Epistolæ, dum Subdiaconus genuflectit ibidem a parte Evangelii, ad sinistram Diaconi ; capite inclinato accipit cineres ; assurgit postquam Subdiaconus accepit cineres, et statim accedit iterum ad dexteram Celebrantis ad populum conversi, ac convertit se ad populum ; accipit, et dextera tenet vasculum cinerum, ac sinistra elevat fimbriam pluvialis, interea dum Celebrans ad Altare cineres clero distribuit.

6. Completa cinerum impositione, Diaconus reddit vasculum Cæremoniario, vel ministro ; junctis manibus, convertitur cum Celebrante ad Altare, et sine ulla reverentia accedit ad cornu Epistolæ. Dum ibi Celebrans lavat manus, Diaconus converti-

tur ad Celebrantem, stans coram ipso, ita ut habeat ad sinistram suam Acolythos, ad dexteram vero Altaris cornu, et dextera elevat fimbriam pluvialis sinistram; dein ad idem cornu stat conversus ad Altare, ad dexteram Celebrantis, qui stat ante Missale.

7. Post Orationem, Diaconus cum Celebrante caput profunde inclinat versus Crucem Altaris, et cum Celebrante descendit per gradus laterales ad scamnum, ac imponit sibi manipulum; redit consueto modo per planum ante Altare, pro Missæ celebratione, et genu dextrum flectit in infimo gradu.

8. Postquam Celebrans legit Evangelium, cum Ministris accedit ad Altaris medium; et cum a Choro cantatur ℣. *Adjuva nos*, Diaconus cum Celebrante per dexteram conversus descendit ad gradum suppedaneo proximum, et ante Altaris medium genu utrumque flectit ad dexteram Celebrantis, in extremo suppedaneo. Cantato hoc Versu, assurgit cum Celebrante, ascendit ad Altare, et mox ministrat incensum pro Evangelio.

9. Postquam Celebrans cantavit diversas Postcommuniones, cantat Orationem dictam *super populum*; et præmisso a Celebrante: *Oremus,* Diaconus remanens in loco suo retro post Celebrantem, per sinistram convertit se totaliter ad populum, et junctis manibus, tono debito cantat: *Humiliate capita vestra Deo* (cfr. Appendix II); mox per eamdem viam convertit se ad cornu Epistolæ, et stat in loco suo, interea dum Celebrans cantat Orationem. (Cfr. Caput II, (79), n. 45, Nota.)

CAPUT XIV

DE OFFICIO DIACONI IN DOMINICA PALMARUM

(93) – 1. Diaconus paratus erit amictu, alba, cingulo et stola diaconali violacei coloris; ac etiam planeta plicata, violacei coloris, si ecclesia ex præcipuis est, aut planetis utitur; non induit manipulum, neque dalmaticam.

2. Accedit cum Celebrante et Subdiacono ad Altare, incedens ad dexteram Celebrantis, sinistra fimbriam pluvialis elevans, et genu dextrum flectit in plano; mox fit Aspersio aquæ benedictæ, more solito, ut describitur Capite I, (78), sed non cantatur ℣. *Gloria Patri.*

3. Post Aspersionem aquæ benedictæ, Diaconus remanens ante gradus Altaris, accipit a ministro manipulum, et illum imponit brachio sinistro; ascendit cum Celebrante ad suppedaneum pro benedictione Ramorum, ibi stans ad ejus dexteram, et cum Celebrans osculatus erit Altare, Diaconus absque ulla

reverentia ipsum sequitur ad cornu Epistolæ, ubi ad Celebrantis dexteram stans, indicat Antiphonam *Hosanna*, a Celebrante legendam, et manus jungit.

4. Remanet semper ad dexteram Celebrantis, interea dum hic cantat : *Dominus vobiscum*, et Orationem, ac legit Epistolam, et Responsorium ; item, dum Celebrans, remanens semper in cornu Epistolæ, dicit : *Munda cor*, et legit Evangelium ; deinde, cum Subdiaconus accedit ad accipiendum a Celebrante benedictionem. Diaconus discedit a Celebrantis dextera, et stat in penultimo gradu, retro post Celebrantem.

5. Cum Subdiaconus, reversus ad Altaris cornu, steterit ad Celebrantis sinistram, Diaconus absque ulla reverentia convertit se per dexteram, et de penultimo gradu descendit ad planum a parte Epistolæ ; ibi deponit, si ea utitur, planetam plicatam, et assumit stolam latiorem ; accipit librum Evangeliorum, et ritu consueto, ut in Missa solemni, illum defert ad Altare, et deponit in medio super Altaris mensam.

6. Mox Diaconus, nulla facta reverentia, accedit ad cornu Epistolæ, ad dexteram Celebrantis ; accipit a Thuriferario naviculam, et consueto modo ministrat incensum, reddita navicula, Diaconus iterum discedit a Celebrantis dextera, et accedit ad medium Altaris, ubi genu utrumque flectens in ora suppedanei, et profunde inclinatus, dicit : *Munda cor, etc.*; assurgit deinde, accipit librum, et ibi ad sinistram Celebrantis mox convertit se ad ipsum stantem in cornu Epistolæ, et genuflexus petit benedictionem ; accepta benedictione, et osculata dextera Celebrantis, assurgit, convertit se ad Altare, et per sinistram suam se convertens, descendit ante infimum gradum Altaris.

7. Cantat deinde Diaconus Evangelium, observans omnia quæ præscribuntur pro Evangelii cantu in Missa solemni, inde a genuflexione ante discessum ab Altari usque ad incensationem Celebrantis inclusive. (Cfr. Caput II, (79), nn. 16, 17, 18.)

8. Postquam incensavit Celebrantem, Diaconus accedit ad scamnum, genuflectens in infimo gradu cum transit ante Altaris medium ; ad scamnum deponit manipulum, et, si eam assumpserit, stolam latiorem, et resumit planetam plicatam ; et redit per gradus laterales ad dexteram Celebrantis, qui stat in cornu Epistolæ, conversus ad Missale.

9. Celebrans cantat Orationem ; cum Celebrans benedicit Ramos positos ad partem Epistolæ, Diaconus aliquantum recedit, si necesse sit, et dextera fimbriam pluvialis sustinet. Finita Præfatione, Diaconus cum Celebrante, submissa voce, dicit Trisagion : *Sanctus,* corpore mediocriter inclinato versus Crucem Altaris, et cum dicit : *Benedictus, etc.,* Cruce a fronte ad pectus se signat.

10. Post quintam Orationem, Diaconus convertit se ad Celebrantem, ita ut dextrum latus versus cornu Epistolæ habeat, et accipit a Thuriferario, stante ad sinistram suam ante Celebrantem, naviculam incensi, cujus cochlear cum consuetis osculis præsentat Celebranti, dicens : *Benedicite, Pater Reverende* ; imposito incenso, accipit cochlear a Celebrante cum consuetis osculis; dein, benedicto a Celebrante incenso, Diaconus reddit naviculam Thuriferario. Mox Diaconus accipit a ministro aspersorium, illudque cum osculis tradit Celebranti, et recedit aliquantulum ad sinistram Celebrantis, se convertens ad Ramos, ac dextera elevat pluvialis fimbriam, interea dum Celebrans aspergit Ramos ; quo facto, Diaconus, ad Celebrantem iterum conversus, accipit cum osculis aspersorium, et illud tradit ministro ; dein accipit a Thuriferario thuribulum, illudque cum osculis tradit Celebranti, eodem modo se gerens ad thurificationem Ramorum, sicut ad eorum aspersionem ; et acceptum cum osculis a Celebrante thuribulum reddit Thuriferario.

11. Ad Orationem sequentem, Diaconus stat ad dexteram Celebrantis, conversus ad Altare. Deinde cum Celebrante accedit ad medium Altaris, et ibi mox sine reverentia per sinistram conversus ad Chorum et populum, manibus junctis, stat ad sinistram Celebrantis.

12. Dignior e clero accedit tunc ad Celebrantem, eique tradit Ramum ; Celebrans acceptum Ramum porrigit Diacono, qui eum dextera accipit, et statim tradit ministro. A sacrista mox Diaconus accipit alium Ramum, eumque tradit Celebranti, qui eum porrigit digniori e clero. Tunc Diaconus et Subdiaconus, manibus junctis, descendunt unum gradum de suppedaneo, et genu utrumque flectunt in extremo suppedaneo ante Celebrantem ; Diaconus, genuflexus ad dexteram Subdiaconi, dextera accipit a Celebrante Ramum, osculans primum Ramum, deinde manum Celebrantis. — Osculatur primo, non manum dantis, sed Ramum, quia hic est benedictus. (Cfr. (58), 5, Nota.) — Mox Diaconus ascendit ad suppedaneum, et tradit acceptum Ramum ministro ; convertit se iterum, ut prius, ad populum, et stat ad Celebrantis sinistram. Cum deinde omnes accedunt ad Celebrantem, ut Ramum accipiant, Diaconus a sacrista accipit singulos Ramos, eosque dextera porrigit Celebranti.

13. Finita distributione, Diaconus, junctis manibus, convertitur ad Altare, et sine ulla reverentia accedit cum Celebrante ad cornu Epistolæ. Dum ibi Celebrans lavat manus, Diaconus convertitur ad Celebrantem, ita ut habeat ad sinistram suam Acolythos, ad dexteram vero Altare, et dextera elevat fimbriam

pluvialis sinistram ; dein ad idem cornu stat conversus ad Altare, ad dexteram Celebrantis, qui stat ante Missale.

14. Post Orationem, cum Celebrans imponit incensum pro Processione, Diaconus incensum ministrat eodem modo qui describitur supra n. 6.

15. Incenso imposito, et benedicto, Diaconus statim accipit a ministro Ramum Celebrantis, eumque cum consuetis osculis Celebranti tradit ; deinde Ramum suum a ministro accipit, eumque dextera tenet.

16. Diaconus tunc ad dexteram Celebrantis manens convertitur ad populum, et cantat : *Procedamus in pace* (tono qui describitur in Appendice II hujus Tractatus) ; postquam Chorus respondit : *In nomine Christi. Amen,* Diaconus convertitur ad cornu Epistolæ, et stat ad dexteram Celebrantis ; cum Celebrante accedit ad medium Altaris, et nullam faciens reverentiam convertit se per sinistram suam, et descendit ad sinistram Celebrantis ante gradus Altaris, convertitur ad Altare per sinistram suam, stat ad dexteram Celebrantis, tradit Celebranti biretum, accipit biretum suum, genuflectit uno genu in infimo gradu, cum Celebrante per sinistram suam convertitur ad populum, caput cooperit, et procedit ad sinistram Celebrantis, manu sinistra tenens Ramum, dextera infra pectus posita.

17. Ad Processionis reditum, facta statione ante portam, Diaconus ante gradus Altaris transit de sinistra Celebrantis ad dexteram, caput detegit, accipit biretum Celebrantis, et genu dextrum flectit in infimo gradu ; cum Celebrante pergit ad scamnum, tradit Ramum suum ministro, accipit a Celebrante Ramum cum osculis Rami et manus, eumque porrigit ministro ; deinde accipit manipulum, et cum Celebrante redit ad Altare, pro Missa solemni, et ibi genu dextrum flectit in infimo gradu.

18. In Missa, Diaconus non genuflectit dum Celebrans legit in Epistola verba : *Ut in nomine.... infernorum* ; sed cum Subdiaconus hæc verba cantat, Diaconus simul cum Celebrante genu dextrum flectit. Postquam Celebrans legit Tractum, Diaconus discedit a dextera Celebrantis,et stat in penultimo gradu retro post Celebrantem.

19. Cum Cantores Passionis incipiunt cantare Passionem, Diaconus accedit ad Celebrantis dexteram, et acceptum a ministro Ramum tradit Celebranti cum consuetis osculis, deinde ab eodem ministro accipit Ramum, quem dextera sustinet ; cum Celebrans incipit legere Passionem, Diaconus stat ad dexteram Celebrantis, sicuti ad Introitum Missæ solemnis ; ad verba : *emisit spiritum,* Celebrans ea legens non genuflectit, sed aliquantulum pausat, deinde pergit legere usque ad partem quæ tono Evangelii cantatur. Quum Celebrans legere Passio-

nem desierit, Diaconus, manens in loco quem occupat, simul cum ipso convertit se ad Cantores Passionis ; post verba : *emisit spiritum*, eodem loco versus Cantores genuflectit utroque genu, quamdiu genuflexus remanebit Celebrans, dein assurgit, manens conversus ad Cantores.

20. Post cantum prioris partis Passionis, Diaconus tradit Ramum ministro, accipit a Celebrante Ramum cum osculis Rami et manus, eumque porrigit ministro ; deinde stat in penultimo gradu, retro post Celebrantem, ibique remanet usque dum Subdiaconus transtulit librum, et Celebrans incepit legere ultimam partem Passionis ; tunc Diaconus descendit ad planum a parte Epistolæ ; deponit planetam, si ea utitur, assumitque stolam latiorem ; accipit librum Evangelii, et usitato ritu peragit omnia quæ præscribuntur ad Evangelii cantum ; attamen non dicit : *Dominus vobiscum*, nec : *Sequentia etc.*, neque signat librum, nec seipsum, sed statim thurificat librum, et incipit cantare tono consueto Evangelium, tenens interea Ramum.

21. Reliquæ functiones in hac Missa fiunt ritu consueto.

APPENDIX

DE CANTU PASSIONIS

I. Ritus servandus a tribus Diaconis qui Passionem cantant

(94) — 1. Tres Diaconi Cantores Passionis, dum cantatur Oratio Missæ, in sacristia induunt amictum, albam, cingulum, manipulum, et stolam diaconalem tantum, violacei coloris ; capiti biretum imponunt.

Nota. Stola latior, quam induit ante Evangelium Diaconus Missæ inserviens si utitur planeta plicata (cfr. supra (93), n. 20), non potest adhiberi super stola diaconali ad cantandam Passionem. (Decret. S. Rituum Congregationis, 11 Martii 1897, n. 3949, ad 6.)

2. Circa finem Tractus, procedunt e sacristia hoc ordine : præcedit ille qui Evangelistæ seu Chronistæ personam agit, qui canit historiam Passionis, seu textum indicatum in Missali littera C ; portat ambabus manibus librum cum apertura versus sinistram ; — sequitur Succentor, seu Cantor turbarum, seu Synagogæ, qui cantabit ea quæ indicantur littera S ; — postremo venit qui Christi personam agit, qui cantaturus est ea quæ cruce ✠ indicantur ; hi duo procedunt junctis manibus. Sequuntur ipsos tres clerici induti superpelliceo, qui incedunt junctis

manibus. — Quod si non adsint clerici qui librum tenere valeant, parari potest in loco ubi Passio cantatur legile; imo permittitur usus trium legilium, et trium librorum (Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Junii 1893, n. 3804, Dub. III, ad 1); in hoc casu singulus ex Diaconis manibus portat librum.

Nota. Pars ab unoquoque ex tribus Diaconis cantanda determinatur in Missali præfatis signis. Cantor qui repræsentat Synagogam pro sua parte habet verba a quocumque præter Christum Dominum prolata, sive ab uno, sive a pluribus; hæc pars dividi potest, et permittitur « ut in cantu Passionis Diaconus, qui repræsentat Synagogam, eas tantum sententias cantet quæ ab uno proferuntur, ut a Petro, Caipha, Pilato, etc.; sententiæ vero turbæ cantentur a schola, ordinarie ex laicis conflata. » (Decret. S. Rituum Congregationis, 7 Julii 1899, n. 4044, ad 2.)

3. Procedunt Diaconi in presbyterium ante Altare; ibi Chronista medium locum occupabit; qui Christi personam agit, dextrorsum; Succentor, qui turbarum personam agit, sinistrorsum stabit; caput nudant, biretum tradunt ministris, et simul ad Crucem Altaris dextrum genu in plano flectunt, et statim assurgunt.

Nota. Si clerus in Choro præsens est, post genuflexionem ad Crucem Altaris factam, Chronista et Succentor convertunt se per dexteram suam, qui Christi personam agit convertit se per sinistram suam, et tres simul salutant Chorum, primo a parte Evangelii, dein a parte Epistolæ; dein per eamdem viam convertunt se iterum ad Altare. Hæc Chori salutatio omittitur si Episcopus ad thronum functioni assistit, et in casu tres Diaconi, post genuflexionem ad Altare, convertunt se per sinistram, et simul genu dextrum flectunt ad Episcopum.

4. Finito cantu Tractus, Diaconi ad nutum Cæremoniarii iterum genu dextrum in plano flectunt; et mox, per sinistram conversi, eodem quo stant ordine, accedunt ad locum ubi consueto Evangelium canitur; Diaconus Chronista, qui in medio stat, librum aperit, et tradit clerico, qui stat contra illum librumque apertum tenet eodem modo quo Subdiaconus in Missa solemni; tres Diaconi tunc a ministro accipiunt Ramum, quem dextera tenent, posita sinistra contra pectus; moxque Chronista incipit cantare Passionem.

Nota. Si Episcopus ad thronum functioni assistit, tunc in fine Tractus, post genuflexionem ad Altare factam, tres Diaconi simul accedunt ad thronum, et stantes eodem ordine ante thronum, simul genu dextrum flectunt ad Episcopum, et assurgunt; mox Chronista ascendit ad thronum, et genu utrumque flectens in superiori throni gradu, osculatur manum Episcopi,

et assurgens descendit ad locum suum ante thronum ; eodem modo ascendit tunc qui Christi personam agit, et osculata Episcopi manu, descendit ad dexteram Chronistæ ; ultimo idem facit Succentor, et quando iste de throno descendit ad Chronistæ sinistram, tres Diaconi simul iterum genu dextrum flectunt in plano, et conversi per sinistram suam, accedunt ad locum ubi Passio cantatur,

5. « Passio Domini incipitur absolute ; non dicitur *Munda cor meum,* non petitur benedictio, non deferuntur luminaria, nec incensum ; non dicitur : *Dominus vobiscum,* nec respondetur : *Gloria tibi, Domine* ; et Celebrans, seu Diaconus, dum pronuntiat : *Passio Domini nostri,* non signat librum, neque seipsum. » (Rubrica specialis Missæ Dominicæ in Palmis.)

6. Ut passionis cantus bono exemplo sit adstantibus, necesse est ut tres Diaconi Cantores inter se de cantu conveniant, assumentes quæ voci convenit partem, utque gravitatem, et mœstitiam functionis hujus decenter exprimant. — Editus fuit cantus Passionis secundum quatuor Evangelistas, excerptus ex editione authentica Majoris Hebdomadæ, divisus in tres fasciculos, quorum primus continet partem Chronistæ, secundus partem Christi, tertius partem Synagogæ ; in singula parte textus cum notis descriptus est a principio ad finem.

7. Post verba : *emisit spiritum,* tres Cantores in genua procumbunt versus librum ; idemque faciunt adstantes ministri, illo excepto qui librum tenet ; quando ad Altare surrexerit a genuflexione Celebrans, ipsi assurgunt, et continuatur cantus Passionis usque ad eam partem, quæ a Diacono Missæ assistente erit cantanda.

8. Terminato Passionis cantu, tres Diaconi tradunt Ramum ministro ; Chronista claudit librum, eumque accipit ut ad sacristiam referat ; reliqui duo manus jungunt, et tres simul, eodem quo stant ordine, accedunt ad medium ante Altare ; genu dextrum flectunt in plano, assurgunt, et accipiunt biretum caputque operiunt ; dein recedunt ad sacristiam, eodem quo venerunt ordine, nempe præcedente Chronista, sequentibus qui turbarum, tandem qui Christi personam agit.

Nota. Si clerus in Choro præsens est, post genuflexionem ad Crucem Altaris factam, Chronista et Succentor, per dexteram conversi, qui Christi personam agit per sinistram conversus, simul salutant Chorum, a parte Evangelii primum, dein a parte Epistolæ ; quo facto, accipiunt biretum et caput operiunt, et ordine supra indicato revertuntur ad sacristiam.

Si Episcopus ad thronum functioni assistit, tunc tres Diaconi, post genuflexionem factam ad Crucem Altaris, convertunt se in loco ubi stant, per sinistram ad Episcopum, simul genu de-

xtrum in plano flectunt ad Episcopum, assurgunt, et per dexteram conversi revertuntur ad sacristiam ordine supra indicato.

II. Passio cantata a Celebrante et duobus Ministris

Prænotatur : Auctores plures, præsertim Romani, ritum pro cantu Dominicæ Passionis describentes, supponunt, cum Cæremoniali Episcoporum (Lib. II, Cap. XXI, n. 14), adesse in ecclesiis numerum requisitum Sacrorum Ministrorum, ut præter Diaconum et Subdiaconum Missæ, tres designari valeant Diaconi, aut Sacerdotes Diaconi officio fungentes, qui Passionem cantent. Verum, paucissimæ numero sunt in nostra Diœcesi ecclesiæ, quæ hoc Sacerdotum aut Diaconorum numero gaudeant ; attamen in multis ecclesiis, præsertim in civitatibus, ad fidelis populi adstantis ædificationem præstat valde hunc cantus Passionis ritum explere. Inde exstat ibi ab immemoriali consuetudo, ut cantus Passionis fiat a Celebrante, Diacono et Subdiacono Missæ ; Diaconus Chronistæ personam agit, Succentoris Subdiaconus, Christi tandem Celebrans.

Subdiaconi Missæ solemnis munere in casu fungitur talis qui in ordinem Diaconatus, imo Presbyteratus est constitutus ; et pro hac parte Missæ, nempe pro Passionis cantu imponit sibi stolam diaconalem. — Imperfectio quidem habetur in eo quod Subdiaconus Missæ solemnis ministeri in casu limites sui proprii ministerii transeat, partes agat non suas, figuramque alienam sibi arroget assumendo stolam diaconalem.

Ob defectum Ministrorum admittitur quod Celebrans unus sit ex cantoribus Evangelii Passionis, seu decantet partem Passionis ; nam S. Rituum Congregatio semel et iterum rescribendum censuit et declaravit, Celebrantem in casu debere partem suam decantare « in cornu Evangelii » (Decreta 12 Martii 1836, n. 2740, antiq. 4777, ad 2 ; et 16 Junii 1893, n. 3804, Dub. III, ad 4). Sed a quibus ob defectum Ministrorum debeant reliquæ duæ Passionis partes decantari, ex his Decretis non patet. Stat quod Celebrans legitime suam Passionis partem decantare possit ob defectum Ministrorum.

Ad dubium : « An Passio Domini, deficientibus aliis Ministris, cantari possit a Diacono ministrante quoad textum Evangelistæ, et a Celebrante quoad verba a Christo prolata ; vel a duobus Diaconis, quorum alter sit ipse Diaconus ministrans ; vel (si Subdiaconus ministrans sit in ordine diaconali) a duobus Missæ ministris ? » S. Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicæ, rescribere rata est : « Affirmative. » (Decret. *Bellunen. et Feltren.*, 1 Februarii 1895, ad 1 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, IX, 1895, pag. 132.) — Decretum citatum refertur in

Collectione authentica anni 1900 sub n. 3842, sed omissum in eo fuit dubium supra descriptum; unde approbatio, anno 1895 data, praxis apud nos ab immemoriali existentis non amplius invocari potest. Utinam ocius, sicut pro aliis casibus jam factum fuit, solutio aliqua evulgetur!

Quod si responsum ad dubium præfatum maneat revocatum, solum superest in Missa solemni legere priorem Passionis partem, et alteram decantare juxta normam quæ describitur infra ad III.

Interim, donec S. Congregatio mentem suam expresse declaret, consuetudo existens nondum videtur esse omnino abrumpenda; et ut omnia jam congrue fiant, proponitur ordo cæremoniarum in casu servandus a Celebrante, a Diacono et a Subdiacono.

Quando Celebrans et Diaconus ac Subdiaconus Missæ Passionem cantant, sequentia observanda veniunt:

1. Celebrans, dicto Tractu, postquam Subdiaconum benedixit, accedit ad medium Altaris, ibique nulla facta reverentia, nullaque dicta prece, erectus, aliquantum exspectat; translato a Subdiacono Missali ad cornu Evangelii modo consueto, paratisque jam Diacono et Subdiacono, accedit ad illud cornu (Decret. S. Rituum Congregationis, 12 Martii 1836, n. 2740, antiq. 4777, ad 2); ibi stans sicut ad Evangelium in omni Missa, observatis quæ supra (I, n. 5) ex Rubricis specialibus Missalis pro Passione notata fuerunt, cantabit quæ in Passione cruce ✠ signata sunt; reliqua vero submissa voce leget.

2. Diaconus, interea dum Subdiaconus transfert Missale ad cornu Evangelii, descendit ad planum a parte Epistolæ. Si utitur planeta plicata, accedit ad scamnum, eamque ibi deponit; non assumit stolam latiorem, sed stola diaconali tantum indutus remanet. In plano a parte Epistolæ accipit a ministro librum Passionis, et accedit ad planum ante gradus Altaris paulum e medio a parte Epistolæ; ibi exspectat tenens manibus librum.

3 Subdiaconus, accepta post cantum Epistolæ benedictione Celebrantis, tradit librum ministro; non resumit, si ea utitur, planetam plicatam; mox transfert Missale a cornu Epistolæ ad cornu Evangelii consueto modo; deposito Missali in cornu Evangelii, accedit statim directe ad scamnum, genu dextrum flectens cum retro post Celebrantem transit ante Crucem Altaris; ad scamnum induit more diaconali stolam diaconalem, et manibus junctis accedit ad planum ante gradus Altaris, ad sinistram Diaconi, genu dextrum flectens in plano retro post Diaconum, cum transit ante Altaris medium.

4. Acolythi qui librum Passionis sustinebunt, junctis manibus, accedunt simul cum Subdiacono ad planum ante gradus Altaris, et ibi stant retro post Diaconum et Subdiaconum.

5. Omnibus ita constitutis, Celebrans accedit ad cornu Evangelii ; Diaconus et Subdiaconus genu dextrum flectunt in infimo gradu Altaris, Acolythi qui Passionis librum sustinebunt genu dextrum flectunt in plano. — Si clerus in Choro præsens est, omnes, facta genuflexione, salutant Chorum uti ordinarie fit ante Evangelium (cfr. pro Acolythis (5), 19 ; pro Subdiacono (57), 6 ; pro Diacono (90), 5). — Quo facto, omnes accedunt ad locum ubi consueto cantatur Evangelium. Subdiaconus ibi stat ad sinistram Diaconi, Acolythi stant contra Diaconum et Subdiaconum ; Diaconus librum aperit et tradit clerico qui stat contra ipsum. Ramum omnes accipiunt a ministro, antequam cantum incipiat Diaconus. Diaconus Chronista tunc incipit cantare Passionem, observans pro ritu ea quæ notantur supra ad I, n. 5.

6. Post verba : *emisit spiritum,* Celebrans in genua procumbit versus cornu Evangelii, Diaconus et Subdiaconus versus librum in genua procumbunt, idemque faciunt adstantes ministri, illo excepto qui librum tenet. Cum surgit a genuflexione Celebrans, omnes assurgunt, et continuatur cantus Passionis.

7. Cum Diaconus pervenerit ad partem Passionis quæ in tono consueto Evangelii erit cantanda, omnes deponunt Ramum.

8. Celebrans accedit ad medium Altaris et dicit : *Munda cor, Jube Domine,* et *Dominus sit, etc.* ; mox redit ad cornu Evangelii, ut legat ultimam Passionis partem.

9. Diaconus claudit librum Passionis, eumque relinquit in manibus Acolythi ; manibus junctis accedit ad Altare, et genu dextrum flectit in infimo gradu ad dexteram Subdiaconi ; si usus fuit planeta plicata, accedit ad scamnum et assumit stolam latiorem. Quando Celebrans incipit legere ultimam partem Passionis, Diaconus a ministro stante prope scamnum accipit librum Evangeliorum, eumque defert ad Altaris mensam modo consueto, et omnia peragit uti describuntur Capite XIV, (93), n. 20.

10. Subdiaconus manibus junctis accedit ad Altare, genu dextrum flectit in infimo gradu ad sinistram Diaconi ; accedit ad scamnum, et stolam diaconalem ibi deponit ; si utitur planeta plicata, eam resumit ; mox per planum transit ad cornu Evangelii ad sinistram Celebrantis, genu dextrum flectens, in infimo gradu cum transit ante Crucem Altaris, et omnia observat quæ præscribuntur in Serie III Instructionum, Capite XIV, (60), n. 21.

III. Cantus Passionis omissus in Missa solemni

Defectu Cantorum Passionis fieri etiam potest quod, adstantibus tantum prope Celebrantem Diacono et Subdiacono, Passio solum legatur a Celebrante, et ultima pars cantetur a Diacono. In tali supposito sequentia erunt observanda :

1. Celebrans, data benedictione Subdiacono post lectionem Tractus, accedit ad medium, ibique nulla facta reverentia, nullaque dicta prece, erectus exspectat usque dum Subdiaconus Missale transtulerit ad cornu Evangelii ; tunc Celebrans accedit ad Missale, et legit totam Passionem, quemadmodum legitur in Missa privata, usque ad ultimam partem quæ a Diacono erit cantanda.

2. Diaconus, translato Missali a Subdiacono ad cornu Evangelii, cum Celebrans accedit ad Missale, ipse de loco quem occupavit dum benedictio data fuit Subdiacono, accedit ad Celebrantis dexteram, genu dextrum flectens ante Crucem Altaris cum in medio ante ipsam transit ; et ad dexteram Celebrantis stat dum legitur Passio.

3. Subdiaconus, accepta post Epistolam benedictione, si utitur planeta plicata, ad scamnum ipsam resumit ; mox, modo consueto, transfert Missale ad cornu Evangelii ; ibi stat ad sinistram Celebrantis, dum hic Passionem legit.

4. Omnes manibus tenent Ramum, dum Passio a Celebrante legitur. — Post verba : *emisit spiritum,* Celebrans, Diaconus et Subdiaconus in genua procumbunt versus cornu Evangelii.

5. Lecta Passione usque ad eam partem quæ a Diacono est cantanda, Celebrans, tradito uni ex ministris Ramo, accedit ad medium Altaris, recitat : *Munda cor, Jube Domine, Dominus sit, etc.,* et iterum accedit ad cornu Evangelii, ut legat ultimam Passionis partem ; quæ sequuntur fiunt a Celebrante modo consueto ; dum cantatur hæc pars a Diacono, Celebrans a ministro resumit Ramum.

6. Diaconus, lecta Passione, cum Celebrante accedit ad Altaris medium, genu dextrum flectit, et descendit ad planum a parte Epistolæ ; tradit Ramum ministro ; si utitur planeta plicata, ipsam deponit, et assumit stolam latiorem ; mox accipit a ministro librum Evangeliorum, et omnia observat quæ præscribuntur Capite XIV, (93), n. 20.

7. Subdiaconus, lecta Passione, tradit uni ex ministris Ramum, et cum Celebrante accedit ad Altaris medium ; nullam facit reverentiam ; et postquam Celebrans dixerit : *Munda cor, etc.,* cum ipso iterum accedit ad cornu Evangelii, stans ad sinistram Celebrantis, dum hic legit ultimam Passionis partem ;

deinde omnia observat quæ præscribuntur in Serie III Instructionum, Capite XIV, (60), n. 21.

IV. Varia Decreta S. Rituum Congregationis super cantu Passionis

Plura Decreta jam descripta aut indicata sunt in præcedentibus numeris ; placet quædam insuper hic indicare.

1. Passio Domini cantanda est a Sacerdotibus seu Diaconis indutis vestibus a Rubrica præscriptis ; non autem a Subdiaconis, aut a laicis. (Decret. 16 Januarii 1677, n. 1588, antiq. 2811, ad 8.) — Textus Evangelicus cantari nequit ab organista, etiamsi is sit clericus minorista, vel Subdiaconus. (Decret. 22 Martii 1862, n. 3110, antiq. 5318, ad 10.)

2. Celebranti Missam cantatam sine Ministris licet legere Passionem usque ad *Munda cor meum, etc.*, et alteram partem, quæ sequitur, canere in tono Evangelii : si aliter fieri nequeat ; non tenetur totam Passionem canere in tono Evangelii. — Non vero potest ipsemet exsequi in Passione partem Christi, et laici partes Chronistæ et Synagogæ. (Decret. 13 Junii 1899, n. 4031, ad 2 et 3.)

CAPUT XV

DE OFFICIO DIACONI IN FERIA V, IN CŒNA DOMINI

(95) — 1. Pro Missa solemni, omnia observabit Diaconus quæ Capite II, (79), præscribuntur, inde a principio usque ad *Agnus Dei*, inclusive, excepto quod non dicitur Psalmus *Judica,* nec *Gloria Patri* ad Introitum. — Notatur quod super patena ponuntur binæ hostiæ majores, una pro Missa, altera servanda ; has super patena positas ad Offertorium præbet Diaconus Celebranti.

Nota. Si Hostiæ pro Communione cleri et populi consecrantur in hac Missa, sequentia observabit Diaconus.

a) Pyxis cum particulis consecrandis affertur ad Altare per Cæremoniarium, vel Sacristam, simul ac calix defertur a Subdiacono ad Offertorium.

Diaconus primo aufert veli humeralis extremitatem a calice quem affert Subdiaconus ; dein accipit Pyxidem sinistra, eamque detegit dextera, deponens cooperculum extra corporale ; dextera deponit Pyxidem super corporale aliquantulum e medio

versus partem Epistolæ ; tunc aufert pallam a calice, et tradit patenam cum duabus hostiis Celebranti cum osculis consuetis.

Mox sinis ra pectori apposita, dextera elevat Pyxidem aliquantulum, ita ut cuppa sit ad altitudinem patenæ quam tenet Celebrans, eamque Diaconus tenet toto tempore quo Celebrans recitat Orationem : *Suscipe, sancte Pater, etc.*

Facta Oblatione per Celebrantem, Diaconus dextera deponit Pyxidem super corporale in medio sed versus tabellam, ita ut calix postea possit deponi inter hostias et Pyxidem ; et mox dextera accipit cooperculum et Pyxidem tegit, interea sinistra tenens Pyxidis pedem.

b) In Canone, post Orationem : *Quam oblationem etc.*, Diaconus dextera calicem removet e medio versus partem Evangelii, Pyxidem ponit in medio corporalis, et dum sinistra tenet Pyxidis pedem, dextera aufert cooperculum illudque deponit extra corporale ; tunc genua flectit.

Quando Celebrans, deposita post Elevationem S. Hostia super corporale, genu dextrum flexit, simul cum ipso assurgit Diaconus, accipit cooperculum dextera et Pyxidem tegit, interea sinistra tenens Pyxidis pedem, et removet Pyxidem aliquantulum e medio versus partem Epistolæ super corporale (ne Pyxis impediat quominus Celebrans possit videre in tabella verba Consecrationis calicis), reponit calicem in medio corporalis dextera, et pallam aufert ; dein iterum genua flectit.

Quando Celebrans Calicem elevavit, Diaconus assurgit, Calicem palla cooperit, et mox Pyxidem retro post Calicem in medio corporalis versus tabellam reponit ; tunc cum Celebrante genu dextrum flectit.

2. Quia pax in hac Missa non datur, dicto *Agnus Dei*, Diaconus genu dextrum flectit ad dexteram Celebrantis, et mutat locum cum Subdiacono, transiens ad Celebrantis sinistram, ubi iterum genu dextrum flectit.

3. Cum Celebrans sumpserit S. Sanguinem, et Calicem deposuerit super corporale versus partem Evangelii, Diaconus genu dextrum flectit, et statim transit ad dexteram Celebrantis, ubi adveniens genu dextrum flectit. Diaconus accipit Calicem vacuum, quem ad Altare attulit Cæremoniarius, illumque deponit super Corporale in medio ; mox iterum cum Celebrante dextrum genu flectit, assurgit, et mox Calicem eumdem dextera sustinet super corporale, interea dum Celebrans in hunc Calicem deponit S. Hostiam servandam ; quo facto, Diaconus Calicem deponit super corporale ; imponit dextera super Calicem pallam alteram quam attulit Cæremoniarius, et patenam alteram item allatam, quam super pallam ponit inversam, seu concava parte super pallam conversa ; deinde accipit velum

album sericum, illudque super patenam extendit, et vitta sericea albi coloris adstringit supra Calicis nodum; Calicem cum S. Hostia ita compositum deponit super medium corporale; sed mox retrahit Pyxidem, si adsit, e medio corporalis versus partem Epistolæ, ponit Calicem cum S. Hostia servanda prope tabellam in medio, et reponit Pyxidem cum Hostiis mox distribuendis in medio corporalis ante Calicem cum S. Hostia servanda.

4. Fit deinde Communio Cleri, pro qua Diaconus observabit omnia quæ præscribuntur Capite IX, (87). Ipse cooperculum aufert a Pyxide.

5. Casu quo Pyxis ex alio Altari esset afferenda, et finita Communione ad illud Altare esset reportanda, id præstabit alius Sacerdos, non autem Diaconus Missæ, qui non potest hac de causa ministerium suum ad Altare relinquere.

6. Usque ad finem Missæ observabit Diaconus omnia quæ Capite V, (82), præscribuntur nn. 45 ad 49, pro Missa celebrata coram SS. Sacramento exposito.

7. Dicto ultimo Evangelio, Diaconus accedit cum Celebrante ad medium Altaris, ubi genuflectit (cfr. (82), n. 49); de Altari recedit ad scamnum a latere Epistolæ; deponit manipulum; cum Celebrans indutus erit pluviali, Diaconus ad ejus dexteram sinistra sustinet fimbriam pluvialis, et cum Celebrante accedit ad planum ante gradus Altaris; genuflectit in plano utroque genu cum capitis inclinatione, assurgit, et genu utrumque flectit in infimo gradu Altaris ad dexteram Celebrantis; relinquens fimbriam pluvialis, manibus junctis remanet aliquantulum in oratione; cum Celebrans assurgit pro impositione incensi, assurgit Diaconus, et conversus ad Thuriferarios (sunt enim in casu bini), accipit a primo ex ipsis naviculam, et sine osculis præsentat cochlear et naviculam Celebranti, nihil dicens; quum incensum fuerit impositum in duobus thuribulis, Diaconus reddit naviculam Thuriferario, et ab eo accipit thuribulum; genua flectit ad dexteram Celebrantis, eique tradit thuribulum; mox sinistra elevat fimbriam pluvialis, caput inclinat cum Celebrante ante et post incensationem, et acceptum a Celebrante thuribulum reddit Thuriferario.

8. Diaconus assurgit, et ascendit ad suppedaneum; genu dextrum flectit aliquantum versus cornu Epistolæ, ne tergum vertat Celebranti; accipit Calicem dextera supra nodum, sinistra infra pedem, convertit se, et descendit ad Celebrantem eique genuflexo stans Calicem tradit. Celebrans accipit Calicem sinistra velo cooperta ad nodum; Diaconus imponit Calici extremitatem veli humeralis quæ ad Celebrantis dexteram pendet; Celebrans ponit dexteram velo humerali coopertam super

Calicem ; Diaconus adaptat extremitates veli humeralis, genuflectit uno genu et assurgit ; postquam Celebrans se ad populum convertit, Diaconus, retro post Celebrantem, in plano mutat locum cum Subdiacono, se sistit ad dexteram Celebrantis ; sinistra elevat fimbriam pluvialis, dextera ad pectus posita, et cum Celebrante procedit sub baldachino.

9. Ubi pervenerint ad locum repositionis, Diaconus ante gradus Altaris subsistit, genu flectit utrumque in plano versus Celebrantem, extremitates veli humeralis a Calice et manibus Celebrantis retrahit, et accipit Calicem dextera supra nodum, sinistra infra pedem ; assurgit, et exspectat donec Celebrans SS. Sacramentum genuflexione et inclinatione adoraverit, et ascendens ad Altare, statim Calicem deponit in urna seu custodia. Genu dextrum flectit aliquantum a latere dextro, descendit, genu dextrum flectit in infimo gradu, ministrat incensum pro unico thuribulo, dein pro thurificatione SS. Sacramenti facit quæ præscribuntur supra n. 7.

10. Cum stropha *Genitori* fuerit cantata, Diaconus cum Celebrante assurgit, et mox in plano genu utrumque flectit cum capitis inclinatione, assurgit, et ad dexteram Celebrantis procedens, fimbriam pluvialis sinistra sustinet : ubi extra sacellum pervenerit, Celebranti dextera tradit biretum, moxque biretum suum accipit, capiti imponit, et ad sacristiam procedit.

Notandum est quod quidem custodia, in qua depositus fuit Calix, statim sit claudenda ; Diaconus post incensationem, et terminato cantu, assurgens ascendit ad Altare, genu dextrum flectit, et claudit custodiam ; etiamsi sit clausa, observantur tamen in discessu ea quæ supra præscribuntur pro reverentia Sacramento præstanda. Attamen in his regionibus generaliter remanet custodia aperta pro adoratione fidelium, usque ad determinatum tempus vel usque ad vesperam ; quæ consuetudo retineri debere videtur, usque dum auctoritas diœcesana censuerit rubricam esse urgendam.

11. Diaconus in sacristia deponit paramenta albi coloris, retentis cingulo, alba et amictu ; et assumit stolam diaconalem violacei coloris ; opportuno tempore e sacrario redit ad Altare, pro denudatione : e sacrario progrediens, cooperto capite, manibus junctis, sequitur Subdiaconum, et præcedit Celebrantem ; ante Altare deponit biretum, accipit biretum Celebrantis, illudque tradit ministro ; genu dextrum flectit in plano, et statim cum Celebrante ascendit, remanens ad ejus dexteram, et adjuvat Celebrantem ad tollendum tres tobaleas successive, quas tradit ministris ; quo facto, de Altari descendit, genu dextrum flectit in plano, tradit biretum Celebranti, caput cooperit, et procedit ante Celebrantem ad aliud Altare, et ad reliqua,

quotquot erunt denudanda ; pro quibus idem servatur ut supra. Si non adsint clerici qui recitant Antiphonam *Diviserunt,* et Psalmum *Deus, Deus meus,* Ministri sacri id cum Celebrante facient.

12. Denudatis Altaribus. Diaconus eodem quo venit modo revertitur ad sacristiam, ubi deponit paramenta sacra.

CAPUT XVI

DE OFFICIO DIACONI IN FERIA VI IN PARASCEVE

(96) — 1. Diaconus paratus erit amictu, alba, manipulo, et stola diaconali, nigri coloris ; ac etiam planeta plicata, nigri coloris, si ecclesia ex præcipuis est, aut planetis utitur.

2. Hodie non sumitur aqua benedicta ad egressum e sacristia, nec fit signum Crucis. — Omittuntur hodie salutationes ad clerum in Choro congregatum.

3. Diaconus procedit ad Altare manibus junctis, sequens Subdiaconum, et præcedens Celebrantem ; ante gradus Altaris deponit biretum, accipit biretum Celebrantis illudque tradit ministro, genu dextrum flectit in plano, et mox ad dexteram Celebrantis procumbit super gradus Altaris, positis genibus in gradu infimo, capite vero et brachiis super cussino illic parato.

4. Facta Oratione, simul cum Celebrante assurgit Diaconus, et junctis manibus, cum ipso ascendit ad suppedaneum Altaris, ibi stans ad ejus dexteram ; cum Celebrans osculatus erit Altare, Diaconus sine ulla reverentia accedit cum Celebrante ad cornu Epistolæ, ubi subsistit ad ejus dexteram, ut in Introitu Missæ solemnis. Indicat dextera Celebranti Lectionem et Tractum.

5. Cum Celebrans legerit Lectionem et Tractum, Diaconus discedit a Celebrantis dextera, et stat retro post eum in penultimo, seu medio gradu ; ubi Celebrans cantavit : *Oremus,* Diaconus cantat tono debito : *Flectamus genua,* et genu dextrum flectit ; mox assurgit, cum Subdiaconus cantat : *Levate.* (Quo tono debeat cantari : *Flectamus genua,* describitur in Appendice II hujus Tractatus.)

6. Versus finem Orationis, Diaconus iterum accedit ad Celebrantis dexteram, eique indicat Lectionem, et Tractum. Remanet ad dexteram Celebrantis.

7. Cum post cantum Tractus cantatur Passio, Diaconus remanet ad dexteram Celebrantis, manibus junctis, interea dum Celebrans legit Passionem ; post verba : *tradidit spiritum,* Celebrans non genuflectit, sed aliquantum pausat tantum, dein

pergit legere usque ad partem quæ tono Evangelii cantatur ; recitat item ibi : *Munda cor*, et legit ultimam partem. Quum Celebrans hæc omnia legere desierit, Diaconus, remanens in loco quem occupat, simul cum ipso se convertit ad Cantores Passionis ; post verba : *tradidit spiritum,* eodem loco versus Cantores genuflectit utroque genu, quamdiu genuflexus remanebit Celebrans, dein assurgit manens conversus ad Cantores.

Cantores Passionis induti amictu, alba, cingulo, manipulo, et stola diaconali, nigri coloris, circa finem Tractus accedunt ad cantandum Passionem, et observant omnia quæ præscripta sunt in Appendice Capitis XIV, (94), ad I, excepto quod hodie Palmam non tenent.

Pro casu, quo Diaconus et Subdiaconus, hujus diei functioni inservientes, cantant cum Celebrante Passionem, conferatur Nota II in Appendice Capitis XIV, (94), harum Instructionum.

8. Post cantum prioris partis Passionis, postquam discesserunt Diaconi qui Passionem cantaverunt. Diaconus per dexteram conversus descendit ad scamnum a parte Epistolæ ; deponit planetam plicatam, si ea utitur, assumitque stolam latiorem ; accipit librum Evangelii, eumque usitato ritu defert ad Altare ; deponit librum in medio Altari ; manibus junctis, per sinistram se convertit, et descendit unum gradum, ac in extremo suppedaneo ante Altare utrumque genu flectens, et profunde inclinatus, recitat : *Munda cor.*

9. Diaconus assurgit, accedit ad Altare, et assumit librum ; statim descendit ante gradus Altaris, genu dextrum flectit simul cum Subdiacono in infimo gradu, et ritu consueto procedit ad locum ubi canitur Evangelium ; ibi, neque librum, neque seipsum signat, non librum incensat, sed statim incipit cantare textum, tono consueto Evangelii ; quo cantato, claudit librum, et mox cum Subdiacono revertitur ad Altare, genu dextrum flectit in infimo gradu ad dexteram Subdiaconi, et ascendit ad penultimum, seu medium gradum, retro post Celebrantem, ad cornu Epistolæ ; aut, si non adsit Cæremoniarius, accedit ad dexteram Celebrantis, eique indicat Invitationem primam : *Oremus, dilectissimi,* et mox descendit ad penultimum, seu medium gradum, retro post Celebrantem.

10. Ad Orationes, quoties post Invitationem Celebrans cantat : *Oremus*, Diaconus caput inclinat versus Crucem Altaris ; deinde, in loco ubi stat genu dextrum flectens, cantat debito tono (qui describitur in Appendice II hujus Tractatus) : *Flectamus genua* ; mox assurgit, cum Subdiaconus cantat : *Levate.*

Si non adsit Cæremoniarius, statim Diaconus accedit ad dexteram Celebrantis, ut ei indicet Orationem, ibique remanet usque dum indicaverit sequentem Invitationem ; quo facto,

iterum descendit ad penultimum gradum, retro post Celebrantem. Meminerit Diaconus, omittendam esse Invitationem et Orationem pro Imperatore Romano.

Post Invitationem ad Orationem pro Judæis, Diaconus nihil cantat, neque genu dextrum flectit, quia Celebrans statim absolute incipit Orationem.

11. Post Orationes, quando Celebrans descendit de Altari ad scamnum, Diaconus sine ulla reverentia etiam accedit ad scamnum ; cum Celebrante accedit ad planum a parte Epistolæ, et statim a latere ascendit ad Altare ; in medio Altaris genu dextrum flectit, et mox accipit, ascendens scabellum paratum si opus sit, Crucem in medio Altaris positam, relinquens super Altare basim seu pedem ; tenens Crucem (Crucifixo ad se converso) ambabus manibus elevatam ante faciem, Diaconus per dexteram suam conversus descendit de Altari ab anteriori parte, et non se convertens ad Altare ante gradus, directe accedit per planum a parte Epistolæ ad Celebrantem, eique reverenter Crucem tradit, ita ut Crucifixus sit versus ad populum, et mox accedit ad Celebrantis dexteram, versa ad populum facie.

12. Diaconus adjuvat Celebrantem cum hic detegit partem superiorem Crucis usque ad partem transversam ; deinde cum Celebrans solus cantavit : *Ecce lignum Crucis*, Diaconus, simul cum Celebrante et Subdiacono, continuat e libro quem ante ipsos tenet Acolythus cantare : *in quo salus mundi pependit ;* quo facto, Diaconus genuflectit utroque genu a dextris Celebrantis, facie ad populum versa, dum Chorus cantat : *Venite adoremus.*

Post primam hanc adorationem, Diaconus cum Subdiacono assurgit, et præcedit Celebrantem procedentem ad anteriorem partem anguli ejusdem cornu Epistolæ ; subsistit et adjuvat Celebrantem cum hic detegit brachium dextrum Crucis et caput cum brachio dextro Crucifixi ; eadem tunc præstatur adoratio, elevata semitono voce ad verba cantanda.

Tandem Diaconus cum Subdiacono assurgens, præcedit Celebrantem procedentem ad medium suppedaneum ; adjuvat Celebrantem cum hic detegit totaliter Crucem, et accipit velum, illudque tradit ministro ; iterum eadem præstatur adoratio, elevata iterum semitono voce ad verba cantanda.

13. Post tertiam adorationem, Diaconus remanet genuflexus in suppedaneo versa facie ad populum, interea dum Celebrans defert Crucem ad cussinum paratum ante Altare ; cumque, imposita Cruce, Celebrans ad ipsam genuflectit, assurgit Diaconus, et simul cum Subdiacono in suppedaneo genu dextrum flectit versus eamdem Crucem ; deinde versus scamnum a parte Epistolæ procedit, ita ut simul cum Celebrante ibi adveniat, et stat ad scamnum ad dexteram Celebrantis, versa facie ad Al-

tare. Interea dum Celebrans Crucem adorat, Diaconus deponit manipulum, et si consuetudo existit in ecclesia ubi ministrat, etiam calceamenta ; simul cum Subdiacono ad hujus dexteram procedit manibus junctis ad adorationem Crucis, genuflectens utroque genu, cum brevi pausa, primo ad distantiam sex fere passuum a Cruce : dein secundo ad distantiam trium fere passuum ; tandem ad pedem Crucis ; Diaconus tunc osculatur pedes Crucifixi : cum id fecerit Subdiaconus. Diaconus simul cum Subdiacono assurgit, genu dextrum flectit ad Crucem, et accedit ad dexteram Subdiaconi ad scamnum, ubi calceos primum, si deposuerit, et manipulum resumit ; deinde stabit prope scamnum ad dexteram Celebrantis, cum ipso lecturus Improperia.

Ad legendum Improperia, Celebrans et Ministri sacri servabunt divisionem Versiculorum, quæ proponitur in *Memoriali Rituum* Benedicti XIII (cfr. Appendix I hujus Tractatus, Tit. V, Cap. II, § II) ; Diaconus leget quæ ibi a secundo Clerico recitanda proponuntur.

14. Versus finem adorationis a clero factæ, Diaconus de dextera Celebrantis pergit ad credentiam : accipit bursam cum corporali et purificatorio, eamque ambabus manibus ante pectus defert ; ascendit sine ulla reverentia ad Altare, non in medio sed per gradus laterales Epistolæ, quasi via recta a credentia ad medium suppedanei ; ibi cum pervenerit, convertit se per sinistram suam versus Crucem quam adorat clerus, et genu dextrum flectit ; deinde ad Altare conversus, deponit bursam super mensam, extrahit purificatorium et corporale, et modo consueto bursam deponit versus partem Evangelii, corporale explicat, et prope corporale a parte Epistolæ deponit purificatorium. Iterum convertit se per sinistram suam ad Crucem, genu dextrum flectit, et descendit a latere Epistolæ, accedens ad Celebrantem.

Completa Crucis adoratione, Diaconus de dextera Celebrantis pergit ad locum ubi deposita fuit Crux ; ubi cum pervenerit, prius ante Crucem dextrum genu flectit, assurgit, et mox flexis genibus reverenter accipit Crucem, assurgit, eamque ambabus manibus elevatam ante faciem, cum imagine Crucifixi versa ad Altare, defert ad Altare et reponit in basi seu pede ; genu dextrum flectit, et per latus Epistolæ descendit ad dexteram Celebrantis.

15. Cum dein ordinatur Processio ad locum ubi pridie SS. Sacramentum fuerat repositum, Diaconus tradit biretum Celebranti ; cum Celebrante et Subdiacono, manibus tenens biretum, de scamno procedit ante gradus Altaris, ubi stat ad dextrum Celebrantis ; simul cum ipso genu dextrum flectit in infimo gradu ; conversus per sinistram suam, biretum capiti im-

ponit, et manibus junctis procedit, sequens Subdiaconum et præcedens Celebrantem.

16. Ubi pervenerit ad aditum sacelli, biretum aufert, accipit Celebrantis biretum, eaque tradit ministro, et prope Altare accedit ad dexteram Celebrantis, ante gradus cum ipso genuflectit utroque genu, et caput inclinat, assurgit, et genu utrumque flectit in infimo gradu aliquanto tempore oraturus.

Omnibus ordinatis pro Processione, si custodia SS. Sacramenti fuerit clausa (juxta dicta ad n. 10 præcedentis Capitis), Diaconus ascendit ad Altare, genu dextrum flectit paulum a parte Epistolæ, aperit custodiam, iterum genu dextrum flectit, et descendit ad dexteram Celebrantis, ubi genu utrumque flectit in infimo gradu.

Post brevem Orationem, Celebrans assurgit; Diaconus cum ipso assurgit pro impositione incensi in duobus thuribulis; Diaconus præsentat naviculam sine osculis et nihil dicens, et incenso imposito, redditaque navicula, accipit thuribulum, genu utrumque flectit in infimo gradu, thuribulum tradit Celebranti, et planetam Celebrantis sinistra sustollit cum hic incensat, profunde caput inclinans ante et post incensationem; acceptum a Celebrante thuribulum reddit Thuriferario.

Diaconus deinde, interea dum humeris Celebrantis velum humerale imponitur, ascendit ad Altare, genu dextrum flectit paulum a parte Epistolæ, accipit Calicem dextera super nodum, sinistra infra pedem, convertit se ad Celebrantem eique Calicem tradit; adaptat extremitatem veli humeralis quæ ad Celebrantis dexteram pendet super Calicem, genu dextrum flectit, assurgit et descendit ad planum; ibi retro post Celebrantem mutato loco cum Subdiacono, accedit ad Celebrantis dexteram, et manibus junctis, cum Celebrante procedit sub baldachino.

17. Ubi Processio venerit ad Altare, Diaconus cum Celebrante ascendit; in suppedaneo conversus ad Celebrantem, genuflectit utroque genu, extremitates veli humeralis a Calice et manibus Celebrantis retrahit, et genuflexus accipit ambabus manibus Calicem, dextera infra cuppam, sinistra ad pedem; assurgit et exspectat donec Celebrans SS. Sacramentum genuflexione et inclinatione adoraverit; deinde per dexteram conversus, deponit Calicem super corporale, solvit vittam, expandit velum sericum; genu dextrum flectit paulum a parte Epistolæ, et per sinistram conversus, paulum e medio versus partem Epistolæ descendit ante gradus ad dexteram Celebrantis; genu dextrum flectit in infimo gradu, et assurgens cum Celebrante, ministrat sine osculis incensum pro uno thuribulo quod, incenso imposito, tradit sine osculis Celebranti; ad in-

censationem sinistra sustollit planetam Celebrantis, et caput ante et post profunde inclinat ; acceptum a Celebrante thuribulum reddit Thuriferario.

18. Diaconus assurgens ascendit cum Celebrante ad suppedaneum, et stans ibi ad ejus dexteram, genu dextrum flectit ; aufert a Calice velum sericum, illudque tradit ministro stanti a parte Epistolæ ; accipit Patenam eamque convertit et deponit super corporale juxta Calicem ; pallam dein quam deponit super Altare extra corporale ; tunc dextera sustinet intra limites, seu circa medium corporalis Patenam ad altitudinem digiti super corporale elevatam, super quam Celebrans effluere facit e Calice sacram Hostiam ; deposito a Celebrante Calice, Diaconus ipsi præbet Patenam ; deinde sinistra accipit Calicem quem tenet supra corporale, et accepta mox a Subdiacono ampulla vini, aliquantum vini infundit in Calicem ; postquam Subdiaconus parum aquæ infudit in Calicem, Diaconus ipsi reddit ampullam vini ; et statim Calicem, quem non abstergit purificatorio, dextera tradit Celebranti, sine osculis ; depositum super Altare Calicem mox cooperit palla.

19. Diaconus per sinistram conversus sine genuflexione, ministrat incensum sine osculis, et non dicit : *Benedicite*, *Pater Reverende* ; tradit Celebranti thuribulum sine osculis, et ad incensationem oblatorum nulla fit genuflexio ante eorumdem incensationem ; sed cum post oblata Celebrans stans et non genuflexus incensat, non SS. Sacramentum, sed Altaris Crucem, Diaconus removet Calicem e medio corporalis, deinde genu dextrum cum Celebrante flectit, et assurgit ; incensata Cruce iterum genu dextrum flectit, et mox reponit Calicem in medium corporalis ; quando deinde Celebrans incensat Altare, Diaconus assistit modo consueto quemadmodum fit coram SS. Sacramento exposito (cfr. Cap. V, (82), n. 4) ; completa Altaris thurificatione, Diaconus accipit a Celebrante thuribulum, et descendens ad planum a parte Epistolæ non incensat Celebrantem, sed statim thuribulum reddit Thuriferario.

20. Cum descendit de Altari Celebrans a parte Epistolæ et stat facie ad populum versa, Diaconus, humeris ad populum versis, accipit ab Acolytho manutergium, et simul cum Subdiacono ad hujus dexteram accedit ad Celebrantem ; postquam Subdiaconus aquam effudit pro lotione manuum Celebrantis, Diaconus Celebranti ministrat manutergium, quod mox receptum reddit Acolytho.

21. Cum Celebrans ascendit ad Altaris medium, Diaconus per sinistram conversus, ipsum sequitur, et accedit ad medium in penultimo, seu medio gradu post Celebrantem ; ibi genu dextrum flectit, et assurgens remanet stans in loco suo. Cum Ce-

lebrans dixerit : *Orate fratres,* non respondet. Nisi adsit Cæremoniarius, Diaconus post *Orate fratres,* genu dextrum flectit, et ascendit ad sinistram Celebrantis, ut ei indicet Orationes.

22. Versus finem Orationis *Libera nos,* ad verba *ut opc misericordiæ,* Diaconus, vel ad sinistram Celebrantis, si ibi stat, vel in loco suo post Celebrantem, dextrum genu flectit, et accedit ad penultimum gradum ad dexteram Celebrantis ; ibi in extremo suppedaneo genua flectit simul cum Subdiacono, et remanet manibus junctis, interea dum Celebrans S. Hostiam elevat ; post elevationem, statim ac Celebrans S. Hostiam demittit, Diaconus assurgit, accedit ad dexteram Celebrantis, et aufert pallam a Calice ; Celebrans tunc immediate, absque ulla genuflexione, frangit S. Hostiam ; cum Celebrans partem S. Hostiæ misit in Calicem, Diaconus palla cooperit Calicem, et cum Celebrante genu dextrum flectit ; transit tunc ad sinistram Celebrantis, locum mutans cum Subdiacono, et iterum genu dextrum flectit.

23. Diaconus genu dextrum flectit cum Celebrante ante sumptionem S. Hostiæ ; paulum inclinat caput cum Celebrans dicit : *Domine, non sum dignus etc.,* sed pectus non percutit ; profunde inclinat caput cum Celebrans sumit S. Hostiam ; dein genu dextrum flectit cum Subdiaconus aufert pallam a Calice.

24. Postquam Subdiaconus ministravit purificationem, Diaconus de sinistra Celebrantis accedit ad ejus dexteram, genu dextrum flectens cum transit ante Crucem Altaris, retro post Celebrantem. Si in hoc Officio utitur planeta plicata, Diaconus de sinistra Celebrantis directe discedit per gradus laterales a parte Epistolæ ad scamnum, genu dextrum flectens cum transit ante Crucem Altaris, ibi deponit stolam latiorem, et resumit planetam plicatam ; et accedit ad Celebrantis dexteram.

25. Cum Subdiaconus, deposito Calice ad credentiam, reversus fuerit ad Celebrantis sinistram, Diaconus simul cum Celebrante, sine ulla reverentia convertit se per sinistram, descendit de Altari, et ante gradus conversus ad Altare genu dextrum flectit in plano, accipit biretum Celebrantis eique illud tradit, accipit biretum suum, caput cooperit, et post Subdiaconum procedit ad sacristiam.

CAPUT XVII

DE OFFICIO DIACONI IN SABBATO SANCTO

(97) — 1. Diaconus paratus erit amictu, alba, cingulo et stola diaconali, violacei coloris ; ac etiam planeta plicata, violacei coloris, si ecclesia ex præcipuis est, aut planetis utitur.

2. Hora statuta, Diaconus, facta in sacristia inclinatione ad Crucem vel imaginem, cooperto capite procedit ad sinistram Celebrantis, dextera fimbriam pluvialis sustinens sinistramque ante pectus tenens ; et sequens clerum procedit ad portam primariam ecclesiæ ; si per Chorum transeundum est, Celebrans et Diaconus non accedunt ad Altare, sed transeuntes ante Altare debitam faciunt reverentiam : Diaconus nempe, relicta fimbria pluvialis Celebrantis, sed remanens ad ejus sinistram, dextera accipit biretum suum, et genu dextrum flectit ; assurgit, caput cooperit, et mox accipit iterum fimbriam pluvialis Celebrantis dextera, et ad ejus sinistram procedit usque ad portam primariam ecclesiæ, ubi præparata est credentia pro benedictione novi ignis. Diaconus cum Celebrante subsistit ante credentiam, contra Crucem quam tenet Subdiaconus, versis humeris ad Altare majus, ita ut focus cum igne, et credentia sint inter Crucem et Celebrantem. Ubi cum steterit, biretum deponit et tradit ministro, et transiens retro post Celebrantem ad ejus dexteram, ejus biretum acceptum ministro tradit.

3. Dum Celebrans benedicit ignem novum a ministro jam antea accensum, Diaconus dextera elevat fimbriam pluvialis quoties Celebrans benedicit manu ignem aut grana incensi.

4. Postquam Celebrans benedixit grana incensi, Diaconus accipit a Thuriferario naviculam incensi, et cum osculis consuetis ministrat incensum, dicens : *Benedicite, Pater Reverende* ; recepto cum osculis consuetis cochleari, et reddita navicula, accipit a ministro aspersorium, illudque tradit cum osculis consuetis Celebranti ; eoque post aspersionem cum consuetis osculis recepto, item præbet thuribulum ; dum aspergit et thurificat Celebrans grana et ignem, Diaconus fimbriam pluvialis sustollit ; postea thuribulum a Celebrante cum osculis consuetis receptum reddit Thuriferario.

5. Diaconus salutat inclinatione Celebrantem, et discedit ad locum prope mensam paratum, ubi exuit planetam si ea utitur, et stolam violaceam, et assumit manipulum, stolam diaconalem et dalmaticam, omnia albi coloris ; revertitur ad Celebrantis dexteram, eumque inclinatione salutat, et statim eodem modo

quo supra ministrat incensum ; quo imposito et benedicto, reddit naviculam Thuriferario. Ordinatur processio.

Nota. Diaconus qui in sequenti cæremonia defert arundinem, et postea cantat Præconium, idem esse debet qui in subsequentibus functionibus, et speciatim in Missa mox celebranda assistet ; et non potest substitui alius pro Præconio. (Decret. S. Rituum Congregationis, 12 Novembris 1831, n. 2684, antiq. 4672, ad 8 ; cfr. etiam Suffragium hac super re in Vol. IV Decretorum, pag. 323.)

6. Diaconus accipit a ministro arundinem cum tricereo, et eam utraque manu ante pectus tenens, sequitur clerum et præcedit Celebrantem ; cum ipse et Celebrans ecclesiam sunt ingressi, omnes subsistunt ; Diaconus inflectit aliquantum arundinem versus lumen quod ad ejus sinistram tenet minister, ut accendatur una ex tribus candelis tricerei ; qua accensa, Diaconus erigit arundinem, genu dextrum flectit, et genuflexus cantat debito tono : *Lumen Christi* ; cum clerus respondit : *Deo gratias*, omnes assurgunt, et procedunt usque dum Diaconus et Celebrans pervenerint ad medium ecclesiæ ; iterum omnes subsistunt, et Diaconus eodem modo quo supra accendit aliam candelam, genu dextrum flectit, et genuflexus cantat : *Lumen Christi,* vocem attollens semitono ; cum clerus respondit : *Deo gratias,* iterum omnes assurgunt, et procedunt usque dum Subdiaconus pervenerit ante Altaris infimum gradum ; clero autem recedente ad loca, Diaconus et Celebrans ultro progrediuntur usque dum fuerint aliquot passibus a Subdiacono separati : ibi Diaconus iterum eodem modo quo supra accendit tertiam candelam, genu dextrum flectit, et genuflexus cantat, vocem attollens iterum semitono : *Lumen Christi* ; clerus respondet : *Deo gratias,* et Diaconus simul cum omnibus assurgit.

7. Mox Diaconus arundinem tradit ministro, et accedit ad Altare, ubi stat ante gradus paulum e medio a parte Epistolæ, et accipit a Celebrante biretum quod tradit ministro ; dum Celebrans debitam facit reverentiam, Diaconus genu dextrum flectit in plano, et assurgit. Cum Celebrans ascendit ad Altare, Diaconus, adhuc stans ante gradus, accipit a ministro librum Præconii paschalis eumque tenet ante pectus ; ascendit ad Altare, et ad dexteram Celebrantis in medio stantis versus eum genu utrumque flectit, habens Altare ad dexteram suam ; nihil præmisso mox dicit : *Jube domne benedicere* : accepta benedictione, osculatur manum Celebrantis, assurgit, sine ulla reverentia convertit se per sinistram suam, et descendit ante infimum gradum, paulum versus partem Epistolæ.

8. Diaconus genu dextrum flectit in infimo gradu, et mox accedit ad pulpitum, habens ad dexteram suam Subdiaconum

qui defert Crucem. — Nisi Præconium cantetur in ambone, pulpitum ita disponitur ut Diaconus cantans Præconium stet versus Aquilonem, aut partem quæ pro Aquilone figuratur, prout ad cantum Evangelii. (Decret. S. Rituum Congregationis, *Urgellen.*, 29 Maji 1900, ad 3 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 531.) Ambo in nulla ex nostris ecclesiis habetur. — Ad pulpitum cum pervenit, Diaconus super eo ponit librum apertum, et statim accipit a Thuriferario thuribulum, et librum incensat eodem modo quam ad Evangelium in Missa : reddit thuribulum Thuriferario, et manibus junctis incipit canere Præconium : *Exsultet.*

9. Post verba : *curvat imperia,* Diaconus cantum abrumpit, conscendit, si necesse fuerit, scabellum prope cereum positum, et accipit a ministro granum incensi benedicti, quod ponit in foramen superius ex quinque in cereo antea effectis ; accipit successive reliqua grana quæ itidem infigit in cereo, ita ut ponantur in modum crucis sequenti modo et ordine :

1
4 2 5
3

10. Descendit de scabello, et ante pulpitum continuat cantum Præconii, a verbis : *In hujus igitur noctis, etc.*, usque ad verba : *rutilans ignis accendit* ; cantum iterum abrumpit, accipit a ministro arundinem, conscendit scabellum prope cereum positum, et cereum accendit cum una ex tribus candelis tricerei in arundine positi.

11. Descendit de scabello, reddit ministro arundinem, et ante pulpitum continuat Præconii cantum a verbis : *Qui licet, etc.*, usque ad verba : *apis mater eduxit* ; cessat cantum, et interim ab uno vel pluribus clericis accenduntur lampades per ecclesiam, cum lumine a tricereo accepto. Missale Romanum non dicit hoc a Diacono esse faciendum ; attamen ipse etiam potest hoc loco lampadem Altaris majoris ubi officium celebratur cum una ex candelis tricerei accendere.

12. Accensis lampadibus, Diaconus continuat cantum a verbis : *O vere beata nox, etc.* Ad verba : *Papa nostro,* dicit cum parva capitis inclinatione nomen Papæ regnantis, sine numero; et ad verba : *et Antistite nostro,* adjungit prænomen vel prænomina Episcopi proprii Diœcesis ; quæ verba et nomina omittuntur sede vacante. Post verba : *conservare digneris,* omittit Orationem pro Imperatore, et statim dicit conclusionem : *Per eumdem Dominum, etc.*

13. Completa cerei benedictione, Diaconus claudit librum

quem super legile positum relinquit ; ad dexteram Subdiaconi procedit usque ad gradus Altaris, et genu dextrum flectit in infimo gradu ante Crucem ; mox pergit ad scamnum, ubi simul cum Celebrante adveniet ; stans ad dexteram Celebrantis, deponit paramenta albi coloris, et resumit manipulum et stolam violacei coloris, necnon planetam plicatam si eam jam in initio Officii adhibuerit.

14. Cum Celebrante accedit ad Altare a latere Epistolæ, sine ulla reverentia ; et dum Celebrans stat ad cornu Epistolæ ante librum, Diaconus stat ad ejus dexteram, sicuti cum legitur Introitus in Missa solemni ; si non adest Cæremoniarius, Diaconus indicat Celebranti initium Prophetiæ quam Celebrans totam leget. Cum Celebrans legerit totam Prophetiam, Diaconus sine ulla reverentia recedit a dextera Celebrantis, et stat in secundo, seu penultimo gradu retro post Celebrantem ante cornu Epistolæ ; quando post cantum Prophetiæ Celebrans dixit : *Oremus*, Diaconus genu dextrum flectit, et genuflexus cantat tono præscripto (qui describitur in Appendice II hujus Tractatus) : *Flectamus genua* ; cum Subdiaconus cantat : *Levate*, Diaconus assurgit, accedit ad Celebrantis dexteram et ipsi indicat Orationem, et postea Prophetiam sequentem, quæ dum legitur, Diaconus stat sicuti ad Introitum in Missa solemni, ut supra jam dictum fuit.

15. Hæc observabit Diaconus pro singula ex duodecim Prophetiis quæ cantantur ; advertet tamen quod post quartam, octavam et undecimam Prophetiam, prius cantetur Tractus, quam dicatur *Oremus,* et *Flectamus genua* ; et quod post Prophetiam duodecimam, dicitur quidem ante Orationem : *Oremus,* sed non : *Flectamus genua.*

16. His expletis, si ecclesia habuerit fontem baptismalem, proceditur ad ejus benedictionem. Diaconus, sine ulla reverentia, de Altari directe per gradus laterales simul cum Celebrante descendit ad scamnum, et stans ibi ad dexteram Celebrantis, deponit manipulum, et accipit biretum. Cum processio ad fontem instituitur, Diaconus tradit biretum Celebranti, deinde ipse caput bireto cooperit, procedit ad dexteram Celebrantis, ejusque fimbriam pluvialis sinistra sustinet ; de scamno procedunt in planum usque ante Altaris medium, ubi Diaconus, deposito bireto, in gradu genu dextrum flectit, surgit et statim caput bireto cooperit, et relicta fimbria pluvialis, conversus per sinistram suam, mox locum mutat cum Subdiacono retro post Celebrantem, et iterum sinistra elevat fimbriam pluvialis ad Celebrantis dexteram ; sequitur clerum procedentem ad fontem baptismalem.

17. Cum pervenerint ad fontem, antequam intrent, Diaconus

caput nudat et biretum tradit ministro, cui etiam tradit acceptum a Celebrante biretum, et mox dum Celebrans dicit Orationem, sinistra pluvialis fimbriam elevatam tenet.

18. Ingressus cum Celebrante ad fontem, Diaconus ad ejus dexteram pluvialis fimbriam tenet elevatam. Post verba Præfationis : *de Spiritu sancto,* cum Celebrans manu dividit aquam fontis in modum Crucis, Diaconus Celebranti offert linteum ad manus extergendas ; idem facit quoties Celebrans manu aquam tetigerit. Post verba : *purificandis mentibus efficaces,* Diaconus accipit ambabus manibus a ministro cereum paschalem, eumque tradit Celebranti, adjuvans Celebrantem cum iste ter cereum in aquam mergit et retrahit de aqua. Post Præfationem Diaconus accipit a ministro aspersorium, illudque tradit Celebranti cum osculis, genu dextrum flectit, et Cruce a fronte ad pectus se signat cum a Celebrante aspergitur, mox assurgit, et acceptum cum osculis aspersorium reddit ministro. Deinde accipit a ministro et tradit Celebranti ampullam sacri Olei Catechumenorum ; receptaque mox hac ampulla a Celebrante post S. Olei infusionem, ipsi tradit alteram ampullam sancti Chrismatis ; infuso S. Chrismate, Diaconus iterum tradit Celebranti ampullam sacri Olei Catechumenorum : utramque deinde ampullam post infusionem sacrorum Oleorum a Celebrante accipit et ministro reddit : statimque tradit Celebranti medullam panis, gossipium et manutergium ad manus abluendas.

19. Completa benedictione fontis, procedunt omnes ad Altare eodem quo venerunt ordine et modo ; cum pervenerint ante gradus Altaris, Diaconus caput nudat, genu dextrum flectit a dextris Celebrantis in infimo gradu, et cooperto iterum capite, accedit cum Celebrante ad scamnum, ubi deponit biretum, et planetam plicatam si ea induitur ; retinet stolam diaconalem.

Nota. Si ecclesia non habet fontem baptismalem, Diaconus post Prophetias cum Celebrante et Subdiacono accedit ad scamnum uti supra n. 16 describitur, et ibi deponit non tantum manipulum, sed etiam planetam plicatam, si ea induitur ; retinet stolam diaconalem. Omittuntur quæ supra describuntur nn. 16 ad 19.

20. Junctis manibus accedit cum Celebrante Diaconus ad planum ante Altare, genu dextrum flectit ad Crucem in infimo gradu, assurgit et statim simul cum Celebrante genu utrumque flectit in infimo gradu, et se prosternit, brachia et caput ponens super pulvinum in gradibus præparatum ; ita remanet interea dum cantantur Litaniæ.

21. Cum perventum fuerit ad Versum : *Peccatores, Te rogamus audi nos*, simul cum Celebrante assurgit Diaconus, genu dextrum flectit in plano, tradit Celebranti biretum, accipit bire-

tum ac caput cooperit, et sequens Subdiaconum præcedensque Celebrantem discedit ad sacristiam.

22. In sacristia deponit biretum, inclinat caput ad imaginem Crucifixi, deponit stolam violacei coloris, et assumit paramenta albi coloris pro Missa solemni.

23. Cum in fine Litaniarum cantatur : *Agnus Dei,* consueto modo omnes de sacristia accedunt ad Altare ; Diaconus sequitur Subdiaconum et præcedit Celebrantem ; ad ingressum Chori salutatur clerus, si mos iste servatur.

24. Ritus hujus Missæ non differt ab aliis, nisi in sequentibus a Diacono observandis. Post incensationem Altaris et Celebrantis, omnes stant uti ad Introitum, sed cum non dicatur Introitus, a Celebrante in cornu Epistolæ statim dicitur *Kyrie eleison,* cui respondet Diaconus consueto modo.

25. Celebrans legit Epistolam, eaque lecta non statim pergit legere quæ sequuntur ; Diaconus post Epistolæ lectionem a dextera Celebrantis recedit, et occupat locum in penultimo gradu retro post Celebrantem usque dum Celebrans post Epistolæ cantum Subdiacono benedictionem dederit ; tunc Diaconus iterum accedit ad Celebrantis dexteram, dum hic cantat ter *Alleluja*, et postea legit Tractum ; quo lecto, iterum discedit, et stat retro post Celebrantem dum Subdiaconus transfert Missale.

26. Quia non dicitur in hac Missa *Agnus Dei,* ideo Diaconus post *Pax Domini,* imposita Calici palla, genu dextrum flectit cum Celebrante, et mox transit a dextera Celebrantis ad sinistram, ubi iterum genu dextrum flectit.

27. Postquam Missale transtulerit ad cornu Epistolæ, Diaconus, accedente Celebrante, stat ad ejus dexteram quemadmodum ad Introitum in Missa solemni ; cum Celebrante recitat Psalmum et Antiphonam Vesperarum. Postquam Celebrans intonaverit Antiphonam : *Vespere autem sabbati,* Diaconus eam cum Celebrante prosequitur submissa voce.

28. Cum intonatur *Magnificat,* Diaconus Cruce a fronte ad pectus se signat, et statim cum Celebrante accedit ad Altaris medium, et nulla facta reverentia, sistit ad ejus dexteram ; mox per sinistram suam conversus ad Thuriferarium, accipit naviculam et præsentat Celebranti cochlear, dicens : *Benedicite, Pater Reverende,* et osculans cochlear et manum Celebrantis ; imposito incenso, accipit cum osculis cochlear, redditque Thuriferario post incensi benedictionem ; accipit thuribulum, traditque cum osculis Celebranti, et assistit ad thurificationem Altaris eodem modo quam ad Introitum Missæ solemnis.

29. Postquam incensavit Celebrantem, Diaconus, remanens in eodem loco, convertit se ad Subdiaconum qui stat in plano

a parte Epistolæ ut ad Introitum Missæ solemnis, et thurificat ipsum ; dein, reddito thuribulo, ipse ascendit ad dexteram Celebrantis, stans ut ad Introitum in secundo gradu, et per dexteram suam convertit se ad Thuriferarium et ab ipso incensatur ; quo facto convertit se ad Altaris cornu.

Nota. Si clerus in Choro præsens est, incensatur ante Subdiaconum ; ideo in casu Diaconus, postquam incensavit Celebrantem, procedit ad incensationem Chori, eodem modo quam in Missa solemni ad Offertorium ; e Choro reversus ad Altare, subsistit ante gradus anteriores versus partem Epistolæ, et thurificat Subdiaconum stantem in plano a parte Epistolæ : dein, reddito thuribulo, accedit ad dexteram Celebrantis ad partem Epistolæ, per sinistram se convertit ad Thuriferarium et ab eo incensatur ; deinde convertit se ad Altaris cornu.

30. Repetita a cantoribus Antiphona : *Vespere autem sabbati,* cum Celebrans accedit ad medium Altaris, Diaconus accedit etiam ad medium in secundo, seu penultimo gradu, ibi nullam faciens reverentiam : et cum Celebrans, dicto *Dominus vobiscum,* revertitur ad cornu Epistolæ, Diaconus sine ulla reverentia recedit cum Celebrante e medio, et stat retro post Celebrantem tempore Orationis, nisi defectu Cæremoniarii deberet ad dexteram Celebrantis ipsi indicare Orationem ; reliqua peraguntur ritu usitato, excepto quod Diaconus cantans *Ite missa est,* adjungit duplex *Alleluja.*

CAPUT XVIII

DE OFFICIO DIACONI IN VIGILIA PENTECOSTES

(98) — 1. Diaconus paratus erit amictu, alba, cingulo, manipulo et stola diaconali, violacei coloris ; ac etiam planeta plicata, violacei coloris, si ecclesia ex præcipuis est, aut planetis utitur.

2. Accedit Diaconus e sacristia cum Celebrante et Subdiacono ad Altare, manibus junctis, sequens Subdiaconum et præcedens Celebrantem ; ad Altare ad dexteram Celebrantis deponit biretum, accipit biretum Celebrantis illudque tradit ministro, et genu dextrum flectit in plano ; ascendit cum Celebrante ad suppedaneum, stans ibi ad dexteram Celebrantis, et cum Celebrans osculatus erit Altare, Diaconus sine ulla reverentia ipsum præcedit ad cornu Epistolæ, ubi stat ad Celebrantis dexteram, sicuti cum legitur Introitus in Missa solemni ; si non adest Cæremoniarius, Diaconus indicat Celebranti initium Prophetiæ.

3. Leguntur hodie sex Prophetiæ ; post secundam, tertiam et quartam cantatur Tractus ; et, sive post Prophetias, sive post Tractus, Celebrans dicit Orationem ; sed hodie dicuntur Orationes sine *Flectamus genua* ; Diaconus observabit omnia quæ præscribuntur præcedenti Capite XVII, (97), ad nn. 14 et 15, exceptis cantu verborum : *Flectamus genua,* et genuflexione ad hæc verba.

4. Pro benedictione fontis et Litaniis, eadem observantur quæ ad easdem functiones notantur Capite XVII, (97), nn. 16 ad 21 inclusive ; advertat tamen Diaconus diversam esse Orationem quæ dicitur ante ingressum ad fontem.

5. In sacristia deponit Diaconus biretum, inclinat caput ad imaginem Crucifixi, deponit stolam violacei coloris, et assumit paramenta rubri coloris pro Missa solemni ; deinde omnia facit, quæ præscribuntur præcendenti Capite, (97), nn. 23 et 24.

Pro reliquis observatur ritus consuetus Missæ solemnis.

CAPUT XIX

DE OFFICIO DIACONI IN PROCESSIONE SS. CORPORIS CHRISTI, ET IN ALIIS PROCESSIONIBUS IN QUIBUS DEFERTUR SS. SACRAMENTUM

(99) — 1. Quando S. Hostia quæ in Processione defertur consecratur in ipsa Missa post quam Processio instituitur (quod supponitur quidem in Rituali Romano, Tit. IX, Cap. 5, n. 2, pro Processione in Festo SS. Corporis Christi, sed rarius apud nos fit), sequentia in hac Missa observanda sunt a Diacono :

Hostia consecranda pro Processione deposita supponitur in patena cum altera Hostia Sacrificii ; in casu Diaconus utramque Hostiam in patena ad Offertorium præsentat Celebranti ut consueto. Si autem Hostia pro Processione jam adaptata fuit in lunula et deposita habetur in Pyxide, Diaconus ad Offertorium et Consecrationem observabit omnia quæ præscribuntur Capite XV, (95), in Nota ad 1.

Deposito Ostensorio super Altare extra corporale, et reposita palla super Calicem per Subdiaconum post sumptionem S. Sanguinis, Diaconus ad sinistram Celebrantis stans simul cum Subdiacono genu dextrum flectit, et mox de sinistra Celebrantis transit ad ejus dexteram, ubi iterum genu dextrum flectit.

Diaconus tunc collocat Ostensorium super corporale in medio, ita ut apertura sphæræ sit versus partem Epistolæ, et aperit sphæram. — Si S. Hostia deposita est in Pyxide, ponit mox

Pyxidem prope Ostensorium versus partem Epistolæ, aperit Pyxidem, et cooperculum deponit extra corporale. — Antequam Celebrans accipiat S. Hostiam, vel de corporali, vel ex Pyxide, ipse et Diaconus ac Subdiaconus genu dextrum flectunt.

Ipse Celebrans S. Hostiam adaptat in lunula, et lunulam adaptat in Ostensorio ; quo facto, Diaconus claudit sphæram Ostensorii dextera, tenens interea sinistra nodum vel pedem Ostensorii et mox dextera collocat Ostensorium in medio corporalis sed versus tabellam. — Si Pyxis adest, Diaconus ipsam claudit, et reponit super corporale, juxta Ostensorium a parte Epistolæ. — Tunc Diaconus simul cum Subdiacono genu dextrum flectit, de dextera Celebrantis transit ad ejus sinistram, et ibi iterum genu dextrum flectit ; deinde usque ad finem Missæ observat omnia quæ præscribuntur Capite V, (82), pro Missa solemni coram SS. Sacramento exposito. (Cfr. Commentaria ad Instructionem Clementis XI, § XIX, n. 2, in Volumine IV Collectionis Decretorum S. Rituum Congregationis.)

2. Si Processio instituitur immediate post Missam solemnem, Diaconus, post lectum ultimum Evangelium, accedit ad medium Altaris simul ac Celebrans, genu dextrum flectit in suppedaneo, et cum Celebrante directe tendit per latus Epistolæ ad scamnum, ubi conversus ad Altare deponit manipulum ; quando Celebrans indutus erit pluviali, Diaconus ad ejus dexteram sinistra sustinet fimbriam pluvialis, et cum Celebrante accedit ad planum ante gradus Altaris ; genuflectit in plano utroque genu cum capitis inclinatione, assurgit, et genu utrumque flectit in infimo gradu Altaris ad dexteram Celebrantis, et relinquens fimbriam pluvialis, manus jungit. (Cfr. Caput V, (82), n. 49.)

3. Si Processio instituitur post functionem aliquam aliam quam Missam et in qua manipulus non fuit assumptus, terminata hac functione, Diaconus vel cum Celebrante accedit ad scamnum, si Celebrans pluviale assumere deberet, et tunc observat omnia quæ numero præcedenti fuerunt indicata ; vel, si Celebrans pluviali jam indutus est, cum Celebrante accedit immediate ante gradus Altaris ad planum, ubi genu utrumque flectit in infimo gradu.

4. Si Processionem nulla alia functio præcedit, Diaconus, ad expositionem et initium Processionis, observabit ea quæ præscribuntur Capite X, (88), pro expositione SS. Sacramenti.

Si autem SS. Sacramentum jam esset expositum, Diaconus cum Celebrante procedit e sacristia ad Altare, sinistra pluvialis fimbriam tenens ; ubi venerit in conspectum SS. Sacramenti, caput detegit biretumque tradit ministro ; accipit biretum Celebrantis illudque itidem tradit ministro ; ante gradus Altaris,

utrumque genu flectit in plano, caput profunde inclinat, assurgit, genu utrumque flectit in infimo gradu ad dexteram Celebrantis, et relinquens fimbriam pluvialis, manus jungit.

5. Post brevem adorationem factam flexis genibus in infimo gradu Altaris, cum Celebrans assurgit pro impositione incensi, Diaconus cum ipso assurgit ; et conversus ad Thuriferarios, ab uno ex illis accipit naviculam incensi, et ministrat incensum sine osculis, nihil dicens. Imposito incenso, accipit a Celebrante cochlear, reddit Thuriferario naviculam, et accipit ab eodem thuribulum, tenens summitatem catenularum dextera, catenulas prope cooperculum sinistra. Genu utrumque flectit in infimo gradu ad dexteram Celebrantis, et tradit ei thuribulum, ponens dextera summitatem catenularum in sinistra Celebrantis, sinistra vero catenulas prope cooperculum in Celebrantis dextera. Mox sinistra tenet fimbriam pluvialis elevatam, et profunde inclinat caput simul cum Celebrante ante et post incensationem. Deinde relinquit fimbriam pluvialis, accipit a Celebrante thuribulum, dextera assumens catenularum summitatem, sinistra vero catenulas prope cooperculum, et thuribulum reddit Thuriferario.

6. Cum Celebrans indutus est velo humerali, Diaconus simul cum ipso ascendit ad Altare, sinistra tenens interea fimbriam pluvialis ; stans in suppedaneo, junctis manibus, genu dextrum flectit paulum e medio, accipit Ostensorium, ascendens si necesse sit super scabellum, tenetque illud dextera super nodum ac sinistra ad pedem, et conversus ad Celebrantem in ora suppedanei genuflexum, ipsi tradit Ostensorium ; et mox manus ejus cooperit velo humerali, partem hujus dextram disponens super sinistram. Cum Celebrans assurgit, Diaconus genu dextrum flectit, et mox cum Celebrante descendit ad planum, dextera paulum sustinens brachium sinistrum Celebrantis ; in plano Diaconus retro post Celebrantem locum mutat cum Subdiacono, et accedit ad Celebrantis dexteram ac fimbriam pluvialis elevat sinistra, interea dexteram applicans pectori ; ita cum Celebrante procedit sub baldachino.

7. Si Processio subsistit ad aliquam ecclesiam, vel ad aliquod Altare hac de causa erectum, Diaconus, cum venerit ad Altare, ascendit cum Celebrante, sed dum hic subsistit in penultimo gradu, Diaconus ascendit ad suppedaneum, convertit se ad Celebrantem, genuflectit utroque genu, et genuflexus accipit Ostensorium, tenens illud dextera ad nodum, sinistra ad pedem ; mox assurgit, et cum Celebrans genuflexione adoravit SS. Sacramentum, Diaconus convertit se ad Altare et collocat Ostensorium in thronum ; dein, manibus junctis, genu dextrum flectit paulum e medio, et mox descendit ad dexteram Cele-

brantis, genu dextrum flectit in infimo gradu, et ministrat incensum quemadmodum supra dictum fuit ; ad cantum Orationis SS. Sacramenti, et ad benedictionem assistit Diaconus secundum regulas jam expositas Capite X, (88).

8. Itidem, cum regressa fuerit ad ecclesiam Processio, eadem observabit Diaconus, et speciatim pro repositione SS. Sacramenti, quæ Capite X, (88), nn. 10, 11, 12, præscripta fuerunt.

CAPUT XX

DE OFFICIO DIACONI IN PROCESSIONIBUS LITANIARUM

(100) — 1. Diaconus in sacristia paratur amictu, alba, cingulo, stola diaconali, et dalmatica, violacei coloris. Hora præstituta procedit ad Altare, a dextris Celebrantis, et fimbriam pluvialis sinistra elevatam tenet.

2. Ante gradus Altaris deponit biretum, accipit biretum Celebrantis et tradit ministro, genu dextrum flectit in plano, assurgit, demittit fimbriam pluvialis, et stat ad dexteram Celebrantis, dum cantatur Antiphona *Exsurge, Domine* ; cum cantores incipiunt Litanias, Diaconus genu utrumque flectit in infimo gradu Altaris, et genuflexus remanet usque ad Versum *Sancta Maria.*

3. Simul cum Celebrante assurgit, dein genu dextrum flectit ad Crucem Altaris in plano, assurgit, acceptum a ministro biretum tradit Celebranti, caput cooperit bireto, et conversus ad populum mox locum mutat cum Subdiacono, retro post Celebrantem accedens de sinistra Celebrantis ad ejus dexteram, et sinistra fimbriam pluvialis elevatam tenet.

4. In ecclesia ad quam fit statio, quando ante ingressum ecclesiæ a Sacerdote aspergitur, Diaconus, relicta fimbria pluvialis, caput dextera detegit, biretum mox tenet sinistra, et signat se Cruce a fronte ad pectus ; dein dextera biretum capiti imponit, ac resumit fimbriam pluvialis. In ecclesia Diaconus accedit cum Celebrante ante gradus Altaris, deponit biretum, accipit biretum Celebrantis et tradit ministro, genu dextrum flectit in plano, assurgit, et cum Celebrans cantat Orationem de Sancto ecclesiæ Titulari, accipit a ministro librum et simul cum Subdiacono stans sustinet librum ante Celebrantem sinistra manu.

5. Post Orationem, reddit librum ministro, accipit manipulum, et assistit Missæ solemni ritu consueto.

6. Post Missam, lecto ultimo Evangelio, Diaconus cum Celebrante accedit ad medium Altaris, genu dextrum flectit, et mox descendit de suppedaneo, per gradus laterales, ad scamnum, et conversus ad Altare deponit manipulum, ad dexteram Celebrantis sinistra tenet fimbriam pluvialis, accedit cum Celebrante ante gradus Altaris, genu dextrum flectit in plano, assurgit, acceptum a ministro biretum tradit Celebranti, caput cooperit bireto, et conversus procedit ad dexteram Celebrantis, sicut supra n. 3 describitur.

7. In ecclesia in qua absolvitur Processio, Diaconus accedit cum Celebrante ante gradus Altaris, deponit biretum, accipit biretum Celebrantis et tradit ministro, genu dextrum flectit in plano, assurgit, et cum terminatur a clero cantus, accipit a ministro librum, et flexis genibus in infimo gradu, sinistra manu tenet librum ante Celebrantem simul cum Subdiacono, interea dum Celebrans cantat Preces, Versiculos et Orationes; manet genuflexus etiam quando Celebrans assurgens et stans dicit Orationes.

8. Functione peracta, Diaconus assurgit simul cum Subdiacono, genu dextrum flectit in plano ad Crucem Altaris, acceptum a ministro biretum tradit Celebranti, caput cooperit bireto, et tenens sinistra fimbriam pluvialis Celebrantis, ad hujus dexteram discedit ad sacristiam.

CAPUT XXI

DE OFFICIO DIACONI IN MISSA SOLEMNI PRÆSENTE EPISCOPO ORDINARIO

(101) — 1. Diaconus in sacristia paratur sacris vestibus convenientibus pro Missa solemni; diebus Dominicis, quando fit aspersio aquæ benedictæ ante Missam, non assumit manipulum.

2. Quando Canonici e Choro discedunt Episcopum excepturi, Celebrans cum Ministris accedit ad Altare; Diaconus procedit vel manibus junctis post Subdiaconum et ante Celebrantem, si Celebrans indutus est casula, vel ad dexteram Celebrantis induti pluviali, cujus fimbriam sinistra tenebit.

3. In accessu ad Altare, qui supponitur fieri per portam lateralem a parte Epistolæ, reverentia præstatur ad Crucem, a latere Epistolæ, ideoque Diaconus, ingrediens Chorum, procedit versus scamnum, sed antequam accedat, ad dexteram Celebrantis subsistit, biretum deponit, et genu dextrum flectit ad Crucem Altaris; quo facto, cum Celebrante accedit ad scam-

num, sedet ad dexteram Celebrantis, bireto caput cooperit, et manus extensas super genua tenet.

4. Cum accedit ad presbyterium Episcopus, Diaconus biretum deponit, et assurgit; cum Episcopus benedicit Celebrantem et Ministros, Diaconus ad Episcopum conversus genu dextrum flectit, sed non se signat Cruce a fronte ad pectus ; et mox assurgit, stans interea dum Episcopus aliquantulum orat.

5. Diebus Dominicis fit aspersio aquæ benedictæ : cum Episcopus accessit ad thronum, Diaconus simul cum Celebrante a scamno procedit ad planum ante gradus Altaris, a dextris Celebrantis, sinistra sustinens pluvialis fimbriam ; antequam ad Altare accedit, genu dextrum flectit cum transit ante Episcopum, et ante Altaris gradus genu dextrum flectit statim ad Crucem in infimo gradu, assurgit, et mox genuflexus utroque genu in infimo gradu ad dexteram Celebrantis, accipit a Cæremoniario aspersorium, illud osculatur et tradit Celebranti, osculans ejus manum ; accipit dein librum, illumque sinistra cum Subdiacono tenet ante Celebrantem. Intonata Antiphona et aspersо Altari, Diaconus reddit librum ministro, et simul cum Celebrante assurgit ; sed cum discedit Celebrans ad thronum, Diaconus cum Subdiacono remanet ad Altare ; cum deinde a throno revertitur Celebrans ad Altare, Diaconus simul cum Subdiacono genu utrumque flectit in infimo gradu, et paulum conversus ad Celebrantem, cum aspergitur, Cruce a fronte ad pectus se signat, et assurgit, remanens ad Altare interea dum Celebrans aspergit clerum. Ubi reversus fuerit Celebrans, Diaconus stans, accipit a ministro librum, et sinistra eum sustinet simul cum Subdiacono ante Celebrantem, dum hic cantat Versiculos et Orationem ; quo facto, reddit librum ministro, genu dextrum flectit in infimo gradu ad Crucem Altaris, et absque reverentia ad Episcopum, cum Celebrante directe recedit ad scamnum, ibique conversus ad Altare assumit manipulum.

6. Postquam assumpsit manipulum, Diaconus cum Celebrante a scamno discedit, et sequens Celebrantem, per planum absque reverentia ad Episcopum accedit usque ante medium Altaris ad aliquam distantiam a gradibus ; ibi conversus ad Altare, a dextris Celebrantis genu dextrum flectit ad Crucem Altaris, et mox assurgens, ulterius progreditur cum Celebrante paululum versus partem Evangelii, sed ad talem distantiam ab Altari et a throno Episcopi, ut Episcopus, de throno descendens, possit transire inter Celebrantem cum Ministris, et Altare ; ibi conversus ad Altare, Diaconus a dextris Celebrantis subsistit ; cum tunc Episcopus de throno descendens ante Celebrantem et Ministros sacros transit. Diaconus genu dextrum flectit, et mox assurgit ; cum dein Celebrans accessit ad Epi-

scopum ante gradus Altaris, Diaconus in loco quem occupat se adjungit Subdiacono, stans ad ejus dexteram.

7. Quando ante Missam non fit aspersio aquæ benedictæ, sequentia observabit Diaconus post dicta ad n. 4. Episcopus tunc (cappa indutus tantum supponitur) de faldistorio in quo oravit assurgens, accedit ante gradus Altaris; Diaconus sequens Celebrantem, accedit de latere Epistolæ ad planum ante medium Altaris, retro post Episcopum; ibi Diaconus, ad dexteram Celebrantis conversus ad Altare subsistit, genu dextrum flectit, et dum Celebrans accedit ad Episcopum, ipse cum Subdiacono ulterius progreditur versus partem Evangelii, remanens ad eamdem distantiam a gradibus Altaris; subsistit, et a dextris Subdiaconi stans exspectat initium Missæ.

Quod si Episcopus Missæ assistat paratus pluviali, sacra paramenta accipit ad thronum; Celebrans et Ministri stant ante scamnum, interea dum Episcopus paramentis induitur; et quando imponitur Episcopo mitra, tunc Celebrans et Ministri discedunt de scamno, et omnia peragunt sicuti supra n. 6 præscribuntur.

8. Cum Episcopus, antequam incipit preces, simul cum Celebrante inclinatur ad Crucem Altaris, Diaconus simul cum Subdiacono dextrum genu flectit, et assurgit; deinde, facto signo Crucis, dicit preces quas alias dicit Celebrans, quibus respondet Subdiaconus; attendat Diaconus ut simul cum Episcopo et Celebrante faciat inclinationes, signa Crucis, etc., et eodem itaque tempore dicat respectivas preces.

9. Cum post Versum *Indulgentiam,* Celebrans, discedens ab Episcopo, accedit ad Ministros, Diaconus aliquantulum recedit a latere Subdiaconi, ut possit Celebrans inter Ministros stare; Diaconus corpore mediocriter inclinatus simul cum Subdiacono respondet Versibus: *Deus tu conversus, etc.*

10. Cum Episcopus, accedens ad thronum, transit ante Celebrantem et Ministros, Diaconus genu dextrum flectit, et assurgit; deinde remanens ad dexteram Celebrantis, directe accedit ad Altare, genu dextrum flectit in infimo gradu, et ascendit cum Celebrante.

11. Quæ in hac Missa concordant cum Missa solemni Capite II, (79) descripta, hic omittuntur.

12. Incensum in thuribulo ponitur ab Episcopo; Thurifer-arius incensum benedictum defert ad Altare; ab eo thuribulum accipit Diaconus, et illud statim cum consuetis osculis tradit Celebranti; ad incensationem assistit ut consueto; sed in fine incensat Celebrantem, non triplici, sed duplici tantum ductu, cum inclinatione ante et post incensationem.

13. Post sessionem in scamno, Diaconus, a scamno disce-

dens, procedit ad dexteram Celebrantis, et antequam veniat ad medium ante Altare, simul cum Celebrante subsistit, et genu dextrum flectit ad Episcopum, dein ulterius procedit versus Altare, et a dextris Celebrantis genu dextrum flectit in infimo gradu ad Crucem Altaris, ut consueto. — Reverentiæ in Choro clero præstandæ, de quibus agitur Capite XI, (90), omittuntur præsente Episcopo.

14. Cum Celebrans incipit legere Evangelium, Diaconus absque ulla reverentia descendit ad planum a parte Epistolæ, accipit a Cæremoniario librum Evangeliorum, et mox accedit ad planum ante Altaris medium; prius tamen quam ad medium accedat, genu dextrum flectit ad Episcopum, deinde accedens ad medium, genu dextrum flectit in infimo gradu ad Crucem Altaris, et ascendens deponit librum super medium Altaris; ibi stat, donec Celebrans finierit Evangelii lectionem; tunc conversus per sinistram, absque ulla reverentia descendit simul cum Subdiacono ad planum ante gradus Altaris, et ad Altare conversus, paulum extra medium versus partem Epistolæ stans, exspectat donec Episcopus Evangelii lectionem finierit.

15. Lecto ab Episcopo Evangelio, Diaconus genu dextrum flectit in infimo gradu ad Crucem Altaris, deinde accedit ad thronum, ante throni gradus genu dextrum flectit, ascendit, et flexis genibus in penultimo gradu throni, osculatur manum Episcopi; assurgit, et per dexteram conversus descendit de throno, iterum genu dextrum flectit ante thronum, redit ad Altare, et in infimo gradu utrumque genu flectit, ac profunde inclinatus, recitat: *Munda cor meum, etc.*

16. Dicta hac prece, assurgit, ascendit ad Altare, accipit librum Evangeliorum, absque ulla reverentia convertit se per sinistram suam, descendit ante infimum gradum, simul cum Subdiacono genu dextrum flectit in infimo gradu, et procedens ad Subdiaconi dexteram, cum eo accedit ad thronum, et genuflectit utroque genu ante gradus throni. Intelligibili voce dicit: *Jube, Domne, benedicere*; et accepta benedictione (absque osculo manus Episcopi, quia eam jam osculatus est), assurgit cum Subdiacono, mox iterum genu dextrum flectit ad Episcopum, et ad dexteram Subdiaconi procedit ad locum in quo canitur Evangelium ritu consueto. Locus ille sit in aliqua distantia a throno versus navem Ecclesiæ, ne Subdiaconus infra cantum Evangelii tergum vertat Episcopo.

17. Post cantum Evangelii, interea dum Subdiaconus defert librum pro osculo ad Episcopum, Diaconus accedit ad Altaris gradus anteriores versus partem Evangelii, genu dextrum flectens ad Episcopum cum transit ante thronum, et accepto ibi ante gradus thuribulo, incensat Celebrantem duplici ductu,

facta capitis inclinatione ante et post incensationem ; reddit thuribulum, accedit ad Altaris gradum medium, seu secundum, et genu dextrum flectit ante medium.

Notandum hic est, quod si Episcopus assisteret Missæ indutus pluviali, post Evangelium non incensatur Celebrans, sed Episcopus, a suo Presbytero assistente ; in quo casu, Diaconus statim post Evangelii cantum accedit ad locum suum, id est, ad gradum medium, seu secundum Altaris, genu dextrum flectens ad Episcopum cum transit ante thronum, et iterum cum pervenit ad locum suum.

18. Cum in Symbolo cantatur Versus *Crucifixus, etc.*, Diaconus, accepta ad credentiam modo consueto bursa, eam defert, sed priusquam accedat ad planum ante Altaris medium, genu dextrum flectit ad Episcopum, deinde accedens ad medium, genu dextrum flectit in infimo gradu ad Crucem Altaris. Explicato corporali, consueto modo a latere de Altari directe descendit ad scamnum.

19. Tradita ad Offertorium Subdiacono patena, Diaconus stans ad dexteram Celebrantis, per sinistram conversus accipit a Thuriferario thuribulum cum incenso ab Episcopo jam benedicto, illudque statim tradit cum consuetis osculis Celebranti ; incensatio oblatorum et Altaris fit consueto modo. Diaconus incensat Celebrantem duplici ductu, deinde accedit ad thronum, genu dextrum flectens ad Crucem cum transit ante Altaris medium ; ad thronum accedens genu dextrum flectit ante throni gradus, assurgit, et mox ad dexteram Presbyteri assistentis ante throni gradus stantis accedens, ipsi tradit thuribulum sine osculis ; postquam Presbyter assistens incensavit Episcopum, Diaconus statim recipit ab eodem thuribulum, et mox ipse incensat Presbyterum assistentem ad locum suum ad thronum reversum, dein primum Diaconum assistentem qui stat a dextris Episcopi, et secundum Diaconum assistentem qui stat a sinistris Episcopi ; singulos incensat duplici ductu, stans ante illos ; ideoque quoties transit ad hoc ante Episcopum, toties genu dextrum flectit ad eum. Quo facto, Diaconus accedit ad incensationem Chori, quæ fit consueto ordine ; accedens ad Altare, in transitu ante thronum genu dextrum flectit ad Episcopum, dein incensat Subdiaconum ; quo facto, ipse incensatur a Thuriferario.

Si aliquis Celebrans gauderet privilegio Presbyteri assistentis, juxta auctores hunc Diaconus incensat post incensationem Chori, ante Subdiaconum ; quibusdam in ecclesiis tamen incensatur Presbyter assistens Celebrantis immediate post assistentes ad thronum Episcopi, ante clerum in Choro præsentem. (Cfr. Caput III, (80), n. 30, Nota.)

20. Dicto *Agnus Dei* cum Celebrante, Diaconus dextrum genu flectit, et statim descendit ante gradus Altaris, ubi subsistit paulum e medio a parte Epistolæ ; cum Presbyter assistens Episcopi, accepta a Celebrante pace, ab Altari discessit, Diaconus genu dextrum flectit in infimo gradu, et ascendens ad Altare accedit ad Celebrantis sinistram ; ibi genu dextrum flectit cum Celebrante, et omnia peragit ut consueto ; attamen, si post sumptionem S. Hostiæ nondum reversus est Subdiaconus, Diaconus dextrum genu flectit, de sinistra Celebrantis transit ad dexteram, ibi genu dextrum flectit, et ad signum Celebrantis aufert pallam a Calice, et cum Celebrante iterum genu dextrum flectit ; ad dexteram Celebrantis remanet, donec reversus ad Altare fuerit Subdiaconus, ad quem convertit se per dexteram suam, et ab eo statim accipit pacem ; mox ad Altare conversus genu dextrum flectit, et transit de dextera Celebrantis ad sinistram, ubi iterum genu dextrum flectit, si nondum sacrum Sanguinem Celebrans sumpserit.

Quod si Celebrans jam ante Subdiaconi accessum sacrum Sanguinem sumpserit, Diaconus ipsi loco Subdiaconi ministrat purificationem, et etiam digitorum ablutionem ; reddita ampulla, aut redditis ampullis Acolytho, accipit tunc Diaconus pacem a Subdiacono ; deinde transit ad Celebrantis sinistram, sed cum in casu non amplius maneat Sacramentum in Altari, genu dextrum flectit Diaconus tantum cum transit ante medium Altaris retro post Celebrantem.

21. Si sacrum perageret Celebrans qui ex jure aut privilegio habet Presbyterum assistentem. Diaconus remaneret ad sinistram Celebrantis ; ibi pacem accipit a Presbytero assistente cum hic de Choro est reversus ; accepta pace, genuflectit uno genu si Celebrans nondum sumpsit S. Sanguinem, et relinquens locum suum Presbytero assistenti, transeundo retro post ipsum et Celebrantem, accedit ad dexteram Celebrantis, ibique prius genu dextrum flectit, et mox convertitur ad Subdiaconum et ei dat pacem ; deinde descendit ad locum suum retro post Celebrantem in secundo, seu medio gradu.

Ordinarie hoc momento Celebrans jam sumpsit S. Sanguinem ; ideoque Diaconus accepta pace a Presbytero assistente, non genuflectit priusquam a Celebrantis sinistra discedat, sed genu dextrum flectit retro post Celebrantem, cum transit ante medium, et tunc accedit ad Subdiaconum.

22. Cum Celebrans recitavit Orationem *Placeat,* et recedit de medio ad cornu Epistolæ, Diaconus absque ulla reverentia accedit ad partem Epistolæ, ubi subsistit in secundo, seu medio gradu, ante cornu Altaris, et se convertit ad Episcopum, ita ut stet ad sinistram Celebrantis qui subsistit in suppedaneo, et ad

dexteram Subdiaconi qui stat in plano. Cum Episcopus cantat : *Benedicat vos,* Diaconus genu utrumque flectit in loco quem occupat, inclinatus accipit benedictionem, et se signat Cruce a fronte ad pectus.

23. Data benedictione, Diaconus assurgit, et remanet ad Episcopum conversus, interea dum Celebrans publicat Indulgentiam ; quo facto, cum Celebrans procedit ad cornu Evangelii, Diaconus etiam accedit versus medium Altaris, procedens in secundum, seu medium gradum, sed subsistit antequam ad medium veniat, in eo nempe loco ubi, absente Episcopo, stat dum dicitur ultimum Evangelium, parum versus partem Epistolæ.

24. Lecto ultimo Evangelio, Diaconus ascendens suppedaneum accedit eodem tempore quo Celebrans ad medium Altaris, genu dextrum flectit ad Crucem Altaris, et directe cum Celebrante et Subdiacono per gradus laterales Epistolæ discedit ad scamnum.

25. Si preces quædam essent dicendæ ad pedem Altaris, remanente interea Episcopo ad thronum, ex. gr., quando diebus Dominicis post Missam dicuntur preces imperatæ pro Rege, tunc post accessum ad Altaris medium in suppedaneo, Diaconus caput inclinat Cruci, et cum Celebrante descendit ad planum ab anteriori parte, et stans ante Altaris gradus, ad dexteram Celebrantis, accipit a ministro librum, quem sinistra tenet ante Celebrantem una cum Subdiacono ; dictis precibus, Diaconus reddit librum ministro, genu dextrum flectit in infimo gradu, et una cum Celebrante directe accedit ad scamnum, sine reverentia ad Episcopum.

Si vero preces sunt dicendæ pro quibus Episcopus de throno accedit ad genuflexorium dispositum ante Altaris medium, tunc, lecto ultimo Evangelio, Diaconus cum Celebrante accedit ad Altaris medium, genu dextrum flectit, et per gradus laterales descendit ad planum a parte Epistolæ ; ibi conversus ad Altare stat ante gradus ad sinistram Celebrantis, et si preces imperatæ dicendæ sunt flexis genibus, mox utrumque genu flectit in infimo gradu. Dictis precibus, assurgit, convertit se per sinistram suam, et accedit ad scamnum cum Celebrante.

26. Si post ultimum Evangelium danda esset Benedictio cum SS. Sacramento, quia tunc Episcopus de throno accedit ad faldistorium ante medium Altaris, Diaconus, lecto ultimo Evangelio, accedit ad Altaris medium, genu dextrum flectit, et descendit per gradus laterales ad scamnum ; ibi conversus ad Altare deponit manipulum, et accedens cum Celebrante ante ultimum gradum in plano a parte Epistolæ, una cum Celebrante genu utrumque flectit in infimo gradu ; Episcopus ipse incensum imponit et incensat SS. Sacramentum, ministrantibus suis

assistentibus ; sed cum Celebrans dicit Orationem SS. Sacramenti, Diaconus acceptum a ministro librum sinistra tenet ante Celebrantem simul cum Subdiacono ; dicta Oratione, reddit librum ministro, et statim assurgit et sine reverentia ad Episcopum ascendit ad suppedaneum ; deinde ritu consueto omnia peragit, quemadmodum pro Benedictione et repositione SS. Sacramenti præscribuntur Capite X, (88), nulla habita ratione præsentiæ Episcopi. Et ideo, si SS Sacramentum defertur ad aliud Altare, discessus fit per gradus anteriores Altaris, uti consueto ; si SS. Sacramentum reconditur in Tabernaculo in ipso Altari in quo Benedictio data fuit. Diaconus omnia peragit, uti absente Episcopo ; sed clauso Tabernaculo, descendit de Altari per gradus laterales ad scamnum, ubi stat ad Celebrantis sinistram.

27. Diaconus stat cum Celebrante ad scamnum, interea dum Episcopus de throno descendit, et genuflexus aliquantum orat in faldistorio ; genu dextrum flectit cum Episcopus discessurus benedicit Celebrantem et Ministros ; deinde assurgit ; cum Episcopus discessit, Diaconus acceptum a ministro biretum tradit Celebranti, accipit suum biretum, cum Celebrante aliquantulum a scamno procedit versus Chorum, et conversus versus Crucem Altaris, genu dextrum flectit in plano, quo tempore Celebrans inclinat caput ; assurgit, biretum capiti imponit, et manibus junctis, post Subdiaconum et ante Celebrantem procedit ad sacristiam. — Si autem Celebrans pluviali indutus est, ad ejus dexteram sinistra tenet pluvialis fimbriam.

28. Juxta plures auctores discessus post Missam fit alio ordine quam qui proponitur in numeris præcedentibus 24 ad 27, et qui ex consuetudine servatur in Ecclesia Metropolitana. Dicunt enim, Celebrantem et Ministros ejus omnes discedere ad sacristiam, antequam Episcopus de throno descendat pro discessu ; talis ordo certo congruere videtur, quando Episcopus in Missa paratus post Missam paramenta sacra deponit : nulla enim dari potest ratio, cur Celebrans in casu Episcopi discessum exspectare deberet. — Si hic ordo servatur, Diaconus, lecto ultimo Evangelio, ascendens suppedaneum accedit eodem tempore quo Celebrans ad medium Altaris, caput inclinat Cruci cum Celebrante, et descendit ad planum ab anteriori parte ; ibi conversus ad Altare, ad dexteram Celebrantis genu dextrum flectit versus Crucem Altaris, assurgit, convertit se ad thronum Episcopi, et retro post Celebrantem (aut si potest juxta dispositionem loci ad dexteram Celebrantis), qui itidem se convertit ad thronum, dum Celebrans caput inclinat Episcopo, Diaconus genu dextrum flectit ad Episcopum ; quo facto, assurgit, et per sinistram conversus revertitur ad sacristiam, se-

quens Subdiaconum et præcedens Celebrantem ; cum pervenit ad exitum Presbyterii, accipit biretum et caput cooperit.

Alter ordo in Ecclesia Metropolitana observatur absque difficultate, quia Celebrans ibi discedit a parte Epistolæ, Episcopus vero a parte Evangelii ; quod si in aliqua Ecclesia per eamdem partem discedere deberent Celebrans et Episcopus, præferendus est ordo hoc numero descriptus, juxta quem Celebrans discedit ante Episcopum.

Si Episcopus, finita Missa, ipse aliquam functionem perageret, cui non interesse debet Celebrans, ex. gr., Absolutionem pro Defunctis, tunc post Missam statim recedit Celebrans cum Ministris sacris, uti hoc numero describitur.

Nota. Fieri potest quod Episcopus assistat in throno Missæ quæ celebratur coram SS. Sacramento exposito ; sequentes in casu genuflexiones ad Episcopum observabit Diaconus :

Ante Evangelium, Diaconus ad thronum accedens ut manum Episcopi osculetur (n. 15), genuflectet ut consueto.

Ante Evangelii cantum, quando cum Subdiacono ad thronum accedit, benedictionem accepturus (n. 16), genuflectet Diaconus sicut alias.

Quando accedit ad thronum pro incensatione Episcopi et assistentium, servabit genuflexiones n. 19 præscriptas.

Ad Benedictionem ab Episcopo datam (n. 22) genua flectit.

Prædictæ genuflexiones tales videntur quæ fiunt ratione ritus potius quam honoris.

Item, si accedit Episcopus, exposito jam in Altari SS. Sacramento, uti fieri potest, ex. gr., in Adoratione perpetua, Diaconus, stans ad scamnum, genu dextrum flectet ad Episcopum ingredientem (n. 4), et similiter quando finita Missa Episcopus discedit (n. 27), aut quando ipse cum Celebrante ad sacristiam recedit (n. 28) ; has genuflexiones in accessu et recessu legitime fieri, erui posse videtur ex Decreto S. Rituum Congregationis (13 Martii 1700, n. 2049, antiq. 3551, ad 1).

Omittet Diaconus genuflexiones in accessu de scamno ad Altare, — quando defert librum Evangelii ad Altare, — post Evangelii cantum, — quando defert bursam ad Altare, — post incensationem Chori, — aliasque hujusmodi quas alias facit quando ipse transit ante Episcopum, aut quando Episcopus transit ante ipsum ; quæ censentur actus mere reverentiales nemini debiti quando expositum est SS. Sacramentum.

CAPUT XXII

DE OFFICIO DIACONI IN MISSA PONTIFICALI QUÆ CELEBRATUR AD FALDISTORIUM

Cfr. prænotata ad Caput XXII, (68), præcedentis seriei Instructionum.

§ 1. Ritus servandus, si Episcopus paramenta sacra induit in sacrario

(102) — 1. Diaconus hora præstituta aderit in sacrario, ubi, interea dum Episcopus recitat preces pro præparatione ad Missam, accipit sacra paramenta omnia, excepto manipulo. Cum Episcopus acceperit caligas et sandalia a suo familiari, et compleverit preces pro præparatione, Diaconus paratus accedit cum Subdiacono ad Episcopum, salutat eum et accedit ad ejus dexteram. Diaconus accipit ab Episcopo biretum illudque tradit ministro ; tollit e collo Episcopi Crucem pectoralem, eam ipsi osculandam præbet, traditque ministro ; et postquam Episcopus exuit mantelettum, extrahit Diaconus e digito Episcopi annulum, osculans primo manum, dein annulum, et hunc quoque tradit ministro ; reddit tunc Episcopo biretum.

2. Postquam Episcopus, ministrantibus familiaribus et Presbytero assistente, lavit manus, Diaconus accipit Episcopi biretum illudque tradit ministro ; deinde Diaconus simul cum Subdiacono adjuvat Episcopum in induendis sacris paramentis quæ afferuntur a ministris ordine sequenti : amictus, alba, cingulum, Crux pectoralis, stola, tunicella, dalmatica, chirothecæ, planeta. Diaconus singula paramenta accipit a ministris, eaque tradit Episcopo, aut Episcopo ea induit ; ipse in his principaliter operatur, Subdiaconus vero solummodo coadjuvat, ubi opus est ; advertat ut Episcopo ad osculum præsentet, priusquam ei tradat, amictum, Crucem pectoralem, et stolam ; chirothecam dexteræ manui Episcopi imponit Diaconus, sinistræ vero alteram Subdiaconus.

3. Postquam Episcopus indutus erit planeta, et sederit in faldistorio, Diaconus se sistit ante ipsum et imponit ei mitram ; dein simul cum Subdiacono salutat Episcopum, accedit ad mensam, ubi accipit manipulum ; revertitur ad Episcopum, ipsum salutat, et accedit ad ipsius sinistram. Presbyter assistens sistit nunc ad dexteram Episcopi, Subdiaconus ad sinistram

Diaconi. Si dum exspectatur signum exeundi Diaconus stat, biretum ante pectus tenet ; si sedet, imponit tunc capiti biretum.

4. Dato signo exeundi e sacrario, Diaconus procedit ad sinistram Episcopi ; ad dexteram Episcopi procedit Presbyter assistens ; solus ante Episcopum procedit Subdiaconus ; aperto capite inclinatione salutat simul cum Episcopo Crucem vel imaginem sacristiæ ; mox iterum capiti imponit biretum, et procedit manibus ante pectus junctis.

5. Cum processio per portam lateralem a parte Epistolæ pervenerit ad Chorum, si in eo clerus præsens est, Diaconus, detecto capite, salutat, simul cum Episcopo, clerum, primum a parte Epistolæ, dein duos tresve passus progressus a parte Evangelii (cfr. Caput XI. § 2, (90), n. 2) ; cooperto iterum capite tunc accedit ad Altare ante gradus ; mox ad sinistram semper Episcopi deponit biretum, et aufert mitram Episcopo ; deinde genu dextrum flectit in plano ad Crucem Altaris. In his reverentiis præstandis, curabit ut eas faciat eodem tempore quo Episcopus inclinationes facit.

6. Episcopus statim incipit Missam, et Diaconus ad ejus sinistram stans respondet. Post ℣. *Indulgentiam, etc.*, Diaconus recedit unum duosve passus retrorsum, ut locum det Subdiacono pro impositione manipuli ; quo facto, Diaconus iterum accedit ad sinistram Episcopi.

7. Cum Episcopus dixit : *Oremus,* et ascendit ad Altare, Diaconus, postquam Presbyter assistens de dextera Episcopi accesserit ad sinistram, et ascenderit ad suppedaneum, ipse mox accedit ad Episcopi dexteram, et cum ipso ascendit ad Altare.

8. Thurificatio Altaris fit consueto modo ; excepto quod Diaconus ministrans incensum, dicit : *Benedicite Pater Reverendissime* ; et quod non thurificabit Episcopum nisi quum ipsi a Cæremoniario fuerit imposita mitra. Restituto thuribulo Thuriferario, Diaconus de plano ad partem Epistolæ ubi stat, ad Subdiaconi dexteram directe procedit ad faldistorium. Episcopus solus descendit de suppedaneo ad faldistorium.

9. Cum ante faldistorium pervenerint, et cum Episcopus sederit, Diaconus ante ipsum stans, ei aufert mitram, quam tradit ministro ; cum Episcopus, ad Altare mox conversus, legit Introitum, Diaconus accedit ad ipsius dexteram, sed aliquantulum retro ; ad initium Introitus Cruce a fronte ad pectus se signat ; deinde alternatim cum Episcopo recitat *Kyrie eleison.*

10. Si cantus protrahitur, sedet Episcopus ; Diaconus simul cum Subdiacono de latere Episcopi discedit conversus per sinistram suam, et stat ad dexteram Subdiaconi ante Episcopum sedentem ; Diaconus mox ipsi imponit mitram, et postquam

Subdiaconus super genua Episcopi deposuerit gremiale, Diaconus simul cum Subdiacono salutat Episcopum, et accedit ad scamnum ad sinistram Presbyteri assistentis ; sedens caput cooperit.

11. Ad finem cantus, Diaconus caput detegit, assurgit, deponit biretum, accedit ante Episcopum, stans ad dexteram Subdiaconi, Episcopum salutat ; et postquam Subdiaconus abstulerit gremiale, Diaconus aufert mitram, quam tradit ministro.

12. Cum Episcopus, conversus ad Altare, intonat : *Gloria in excelsis Deo,* Diaconus se sistit post Episcopum ; ad verbum *Deo* caput inclinat, et statim accedit ad Episcopi dexteram, et prosequitur cum ipso Hymnum. Completa recitatione, Diaconus se sistit ante Episcopum sedentem, et imponit capiti ipsius mitram ; postquam Subdiaconus posuerit super genua ipsius gremiale, Diaconus cum Subdiacono salutat ipsum, et accedit ad sedem suam, ut supra n. 10. Ad finem cantus Hymni, Diaconus agit ut supra indicatur n. 11.

13. Cum Episcopus cantat : *Pax vobis,* Diaconus stat ante ipsum, ibi remanet dum Episcopus ad Altare conversus cantat Orationem, aut Orationes.

14. Post Orationem, cum sedet Episcopus, Diaconus accedit ante ipsum, eum salutat, imponit ipsius capiti mitram, expandit super ejus genua gremiale, iterum salutat ipsum, et accedit ad sedem suam, ac sedens caput bireto cooperit.

15. Quando Episcopus incipit legere Evangelium, Diaconus caput detegit, assurgit, deponit biretum, et manibus junctis accedit ad credentiam, accipit a Cæremoniario librum Evangeliorum quem ambabus manibus sustinet ante pectus, et procedit ad Altare, salutat primo clerum qui est a parte Epistolæ, deinde Episcopum cum transit ante ipsum, denique clerum qui est a parte Evangelii ; genu dextrum flectit dein in infimo gradu Altaris, ascendit, et consueto modo deponit librum super Altaris medium ; manibus junctis, in ipso suppedaneo genu dextrum flectit ad Crucem Altaris, et per sinistram conversus, a latere Epistolæ descendit directe ad faldistorium, ubi stat ad dexteram Episcopi sedentis, humeris ad Altare conversis.

16. Lecto Evangelio, Diaconus mox ministrat incensum, quo imposito et benedicto, reddit naviculam Thuriferario, et statim ascendit a latere Epistolæ ad medium Altaris, genu utrumque flectit in extremitate suppedanei, inclinatus recitat : *Munda cor, etc.*; assurgit, accipit librum Evangeliorum de mensa Altaris, genu dextrum flectit ad Crucem Altaris, et per sinistram conversus, descendit de medio Altaris directe ad faldistorium, genua flectit ante Episcopum, dicit : *Jube, Domne, benedicere*, et accepta benedictione, osculatur Episcopi manum

positam super librum quem ipsi ad hoc præsentat, assurgit, et accedit ad dexteram Subdiaconi.

17. Diaconus cum Subdiacono tunc salutat Episcopum, procedit ante ultimum gradum Altaris, genu dextrum in infimo gradu flectit ad Crucem, et per sinistram conversus salutat clerum, primum a parte Epistolæ, dein a parte Evangelii, et accedit ordine et modo consueto ad locum ubi cantari solet Evangelium.

18. Post Evangelii cantum, Diaconus, eo loco quo cantavit Evangelium subsistit, et se convertit ad Episcopum ; accipit thuribulum, et cum Episcopus osculatus est principium textus Evangelii, ipsum thurificat, facta ante et post salutatione ; reddit thuribulum Thuriferario, et accedit tunc ad Episcopum, genu dextrum flectens in plano cum transit ante Crucem Altaris.

19. Subsistit Diaconus retro post Episcopum, cum hic intonat Symbolum ; facta inclinatione ad verbum *Deum*, accedit ad Episcopi dexteram, et prosequitur cum ipso Symbolum. Completa recitatione, agit ut supra n. 12 ad Hymnum *Gloria* describitur.

20. Cum cantatur ℣. *Crucifixus, etc.*, Diaconus caput detegit, assurgit, biretum deponit, et accedit ad credentiam ; accipit bursam quam consueto modo tenet, et procedit ad Altare ; salutat, primo clerum qui est a parte Epistolæ, deinde Episcopum cum transit ante ipsum, denique clerum qui est a parte Evangelii ; accedit ad Altare, genu dextrum flectit in infimo gradu, ascendit, et explicat corporale consueto modo ; quo facto, manibus junctis, genu dextrum flectit in suppedaneo ad Crucem, et per sinistram conversus, directe descendit a latere Epistolæ, retro post Episcopum ad locum suum, et sedet.

21. Post cantum Symboli, Diaconus agit ut supra n. 11 indicatur, et cum Episcopus assurgit, Diaconus stat ante Episcopum interea dum hic ad populum conversus cantat : *Dominus vobiscum* ; remanebit ibi dum Episcopus ad Altare mox conversus cantat : *Oremus,* et ad hoc verbum Diaconus simul cum Episcopo caput profunde inclinat Cruci Altaris ; deinde accedit ad Episcopi dexteram, dum hic legit Offertorii Antiphonam.

22. Cum Episcopus, lecta Antiphona, sedet, Diaconus per sinistram conversus, cum Subdiacono denuo redit ante Episcopum sedentem, et mox ipsi imponit mitram, salutat ipsum, et accedit ad ejus dexteram, stans ad populum conversus ; mox cum osculis tollit de manu Episcopi annulum, quem deponit in lance quam tenet minister, et de manu dextra chirothecam, quam etiam osculatur et deponit in lance. Post manuum lotionem annulum imponit Presbyter assistens.

23. Cum assurgit Episcopus, Diaconus remanet ad ejus dexteram, et progreditur de faldistorio simul cum Episcopo ad Altare, salutans clerum, eodem quo Episcopus tempore, primum a parte Epistolæ, dein a parte Evangelii; ante gradus Altaris, Diaconus ad dexteram semper Episcopi, exuit mitram Episcopo, illam tradit ministro, genu dextrum flectit in infimo gradu ad Crucem Altaris, et cum Episcopo ascendit ad suppedaneum.

24. Diaconus tunc omnia observat, quemadmodum pro aliis Missis solemnibus præscribuntur. Advertet tamen ea quæ notantur supra, n. 8, pro ministerio incensi et thurificatione Episcopi; advertet etiam, præsente jam Presbytero assistente, ea quæ notantur Capite III, (80), nn. 30 ad 33.

25. Dicto *Agnus Dei, etc.,* Diaconus genu dextrum flectit, et locum permutat cum Presbytero assistente, accedens ad Episcopi sinistram; descendit de suppedaneo in quantum necesse fuerit ut Presbyter assistens transeat retro post Episcopum; ad sinistram Episcopi cum pervenerit genu dextrum flectit, et supplet ad librum loco Presbyteri assistentis; mox, dum iste, accepta ab Episcopo pace, genuflectit, Diaconus iterum genu dextrum flectit ad sinistram Episcopi, et statim transit ad ejus dexteram, ubi, flexo iterum genu dextro, et mox erectus, quin Altare osculetur, ad Episcopum conversus ab ipso accipit pacem.

26. Accepta pace, Diaconus statim genu dextrum flectit, et redit ad Episcopi sinistram, ubi iterum genu dextrum flectit; ibi assistit ad librum loco Presbyteri assistentis, interea dum iste pacem ad Chorum defert. Cum e Choro reversus est Presbyter assistens et ad Episcopi sinistram accedit, Diaconus genu dextrum flectit ad sinistram Episcopi, et transit ad Episcopi dexteram, ubi iterum genu dextrum flectit. Munus Diaconi est Episcopo ministrare ad Communionem, et Subdiaconus ad hoc supplet tantum quamdiu Diaconus ad sinistram Episcopi supplet ad librum loco Presbyteri assistentis: ideo Diaconus, postquam reversus fuerit ad Episcopi dexteram, nisi jam factum fuerit a Subdiacono, discooperit Calicem, infundit vinum pro purificatione, et postea vinum et aquam pro digitorum purificatione.

27. Redditis ampullis, remanet Diaconus ad Episcopi dexteram, et postquam Episcopus sumpsit ablutionem, Diaconus ipsi imponit mitram, et parum secedens ab Altaris mensa, ad dexteram Episcopi cum eo accedit ad cornu Epistolæ; ibi Episcopus lavat manus, adjuvante Presbytero assistente; quo facto, Diaconus mitram exuit Episcopo, eamque tradit ministro; accedit tunc ad locum suum in secundo seu penultimo gradu, retro post Episcopum.

28. Postquam cantavit : *Ite missa est,* vel : *Benedicamus Domino*, Diaconus absque ulla reverentia accedit ad Episcopi dexteram ; et cum Episcopus dixit Orationem *Placeat*, et osculatus est Altare, Diaconus accipit mitram, et illam imponit capiti Episcopi; descendit tunc ad locum quem consueto occupat pro benedictione ; ibi stat, sed cum Episcopus dicit : *Benedicat vos etc.*, genu utrumque flectit in ora suppedanei.

29. Statim post benedictionem datam, Diaconus assurgit, accedit ad Episcopum adhuc stantem versus populum, exuit illi mitram, eamque tradit ministro ; convertit se mox per sinistram suam, et tempore ultimi Evangelii occupat locum suum consuetum ut in Missa solemni.

30. Completa recitatione Evangelii, postquam Episcopus reversus fuerit ad medium Altaris, Diaconus redit ad dexteram Episcopi, accipit mitram, illamque imponit capiti Episcopi ; mox locum mutat cum Presbytero assistente, qui accedit ad dexteram Episcopi, et ipse nulla facta reverentia de dextera accedit ad sinistram Episcopi adhuc ad Altare conversi ; simul cum Episcopo caput inclinat Cruci Altaris, et per dexteram conversus, ad dexteram Episcopi una cum Episcopo tunc descendit de Altari ; ante Altaris gradus conversus ad Altare, genu dextrum flectit in plano ; accipit biretum quod tenet ante pectus, et per dexteram conversus simul cum Episcopo, ad ejus dexteram salutat clerum, primum a parte Evangelii, deinde a parte Epistolæ ; mox cooperto capite locum mutat cum Presbytero assistente, retro post hunc et Episcopum transiens de dextera ad sinistram Episcopi, recedit ad sacristiam, manibus junctis, ad sinistram Episcopi.

31. In sacristia, Diaconus, deposito bireto, salutat Crucem vel imaginem, et ad mensam mox deponit manipulum ; ad sedentem in faldistorio Episcopum una cum Subdiacono accedit, ipsum salutat, et exuit mitram ipsi ; accedens tunc ad dexteram Episcopi, Diaconus adjuvat ipsum in exuendis cæteris paramentis, quæ successive tradit ministris.

32. Cum Episcopus, depositis paramentis sacris, indutus fuerit manteletto, Diaconus accipit Crucem pectoralem e lance quam præsentat minister, Crucem præbet osculandam Episcopo, deinde catenam vel chordulam collo ejus imponit; denique tradit ipsi biretum ; mox simul cum Subdiacono stans ante Episcopum, ipsum salutat, et accedit ad mensam ubi ipse deponit sacra paramenta.

§ 2. Ritus servandus, si Episcopus paramenta sacra induit ad Altare

(103) — Tunc sequentia sunt animadvertenda et varianda in Ordine superius descripto § 1, (102).

1. Episcopus in sacrario recitat preces pro præparatione, et accipit caligas et sandalia ; interea Diaconus simul cum Subdiacono induit sacra paramenta, excepto manipulo.

2. Postquam Episcopus compleverit recitationem precum, Diaconus, ad nutum Cæremoniarii, accipit biretum illudque tenet ante pectus, profunde inclinat caput Cruci sacristiæ ; si in eodem sacrario Episcopus adest, tunc Diaconus, ad dexteram Subdiaconi, simul cum Subdiacono convertitur ad Episcopum, ipsumque capitis inclinatione salutat ; mox cooperto capite, ad dexteram Subdiaconi procedit ad Ecclesiam et ad Altare.

3. In ingressu Presbyterii, si præsens est clerus in Choro, Diaconus simul cum Subdiacono caput detegit, et salutat clerum a parte Epistolæ et a parte Evangelii ; deinde procedit usque ante gradus Altaris, ubi ad dexteram Subdiaconi, ante medium in plano genu dextrum flectit ; assurgens deinde, capite cooperto, per dexteram conversus accedit ad faldistorium, scilicet ad dexteram partem, et ibi stat capite detecto, facie conversa ad populum, ita ut faldistorium ad sinistram habeat, et tradit biretum ministro.

4. Quando postea Episcopus ad Altare accesserit et in infimo gradu aliquantulum oraverit, advenientem ad faldistorium Diaconus salutat capitis inclinatione.

5. Fiunt tunc omnia quæ supra describuntur § 1, (102), nn. 1, 2 et 3. Accepto manipulo ad credentiam , Diaconus redit cum Subdiacono ante Episcopum, salutat ipsum, et accedit ad ejus sinistram, facie ad populum versa.

6. Cum signum incipiendæ Missæ datur, assurgit Episcopus ; et Diaconus, remanens ad sinistram Episcopi, simul cum Episcopo duos tresve passus progreditur et salutat clerum a parte Epistolæ ; procedens dein usque ad medium presbyterii, salutat clerum a parte Evangelii ; et ulterius progrediens usque ante gradus Altaris, cum steterit Episcopus ante infimum gradum, Diaconus ad ejus sinistram exuit mitram Episcopo eamque tradit ministro, et genu dextrum flectit in infimo gradu Altaris, eodem tempore quo Episcopus Crucem salutat. Curabit Diaconus, ut, progrediens de loco faldistorii ad Altare, servet cum Episcopo unam eamdemque lineam.

7. Episcopus statim incipit Missam, et omnia servantur ut in § 1, (102) describuntur.

8. Post ultimum Evangelium, Diaconus, imposita Episcopo mitra, simul cum Episcopo descendit de Altari (cfr. (102), n. 30); genu dextrum flectit in infimo gradu; salutat clerum, primum a parte Evangelii, dein a parte Epistolæ, et accedit ad faldistorium, ubi stans ad dexteram Subdiaconi ante Episcopum, ipsum salutat.

9. Mox Diaconus deponit manipulum suum quem tradit ministro; exuit Episcopo mitram quam reddit ministro, et accedens tunc ad Episcopi dexteram, adjuvat ipsum in exuendis sacris paramentis, quæ successive tradit ministris.

10. Cum Episcopus, deposito amictu, indutus fuerit manteletto, Diaconus accipit a ministro e lance Crucem pectoralem, præsentat Episcopo Crucem osculandam, et mox catenam aut chordulam imponit collo Episcopi; deinde tradit ipsi biretum.

11. Accipit tunc Diaconus a ministro biretum suum, quod tenet ante pectus, et cum Episcopus a faldistorio assurgit, Diaconus ipsum salutat; remanet in loco quem occupat ad dexteram faldistorii, stans interea dum Episcopus aliquantulum orat in infimo gradu Altaris, et usque dum Episcopus e Presbyterio discesserit ad sacristiam seu sacrarium.

12. Tunc Diaconus simul cum Subdiacono, et ad ejus dexteram, de faldistorio pergit usque ante gradus Altaris, ubi ante medium in plano genu dextrum flectit; mox, si clerus in Choro præsens est, per sinistram conversus, salutat clerum, primo a parte Evangelii, dein a parte Epistolæ, et caput bireto cooperit; si clerus in Choro præsens non est, facta genuflexione, caput cooperit; et ad dexteram Subdiaconi, simul cum Subdiacono ad sacristiam redit.

13. In sacrario, Diaconus, detecto capite, salutat imaginem sacristiæ, et si ibi præsens est Episcopus, ad ipsum conversus, simul cum Subdiacono stans ante Episcopum, salutat ipsum, et recedit ad mensam ubi sacras vestes deponit.

§ 3. Ritus servandus, si Missæ celebratæ ab Episcopo ad faldistorium præsens assistit Episcopus proprius diœcesis

(104) — Plura jam proponi possunt supposita circa modum quo assistit Episcopus diœcesanus; describitur hic ritus servandus, si Episcopus diœcesanus assistit indutus sacris paramentis cum pluviali et mitra. Supra, in Capite XXI, (101), jam notata habentur ea quæ observanda sunt ratione assistentiæ Episcopi, quæ omnia hic non repetuntur, sed tantum indicantur variationes occurrentes ex compositione ritus assistentiæ

(101) cum ritu celebrationis Missæ ad faldistorium in § 1 hujus Capitis (102) descripto ; uterque ritus supponitur notus.

1. Episcopus celebrans sacra paramenta induit in sacrario, et servantur præscripta in § 1, (102).

2. Interea dum clerus e Choro discedit ad associandum Episcopum diœcesanum, Episcopus celebrans de sacrario accedit ad Altare ; omittit salutationes ad clerum, et salutata Cruce Altaris ante Altaris medium, accedit ad faldistorium, ubi sedet cum Ministris ; Diaconus sedet ad sinistram Presbyteri assistentis, qui ipse sedet ad sinistram Episcopi, et caput bireto cooperit.

3. Accedente ad Chorum Episcopo diœcesano, cum assurgit Episcopus celebrans, assurgit quoque, deposito bireto, Diaconus ; cum Episcopus diœcesanus salutat Episcopum celebrantem, Diaconus genu dextrum flectit versus ipsum et statim assurgit, manens erectus interea dum Episcopus diœcesanus orat ; quando iste assurgit et salutat Episcopum celebrantem, iterum genu dextrum flectit versus Episcopum diœcesanum Diaconus, et mox erectus a genuflexione sedet, interea dum Episcopus diœcesanus assumit sacra paramenta.

4. Cum pluviali indutus erit Episcopus diœcesanus, assurgit Diaconus et exuit mitram Episcopo celebranti ; deinde accedit ad ejus dexteram ; pro accessu ad Altare servatur a Diacono eadem methodus quæ describitur in Capite præcedenti XXI, (101) ; Diaconus in initio Missæ stat cum Subdiacono in aliqua distantia ab Altari et throno versus partem Evangelii.

5. Episcopus diœcesanus benedicit incensum. Altaris incensatio fit ut consueto ; Diaconus incensabit Episcopum celebrantem duplici tantum ductu ; quæ sequuntur usque ad Epistolam inclusive fiunt quemadmodum præscribuntur in præsenti Capite, § 1, (102), nn. 8 ad 14.

6. Quando Episcopus celebrans incipit legere Evangelium, Diaconus caput detegit, assurgit, deponit biretum, et manibus junctis accedit ad credentiam, accipit a Cæremoniario librum Evangeliorum quem ambabus manibus sustinet ante pectus, et procedit ad Altare ; salutat Episcopum celebrantem cum transit ante ipsum, deinde paululum progressus, genu dextrum flectit in plano versus Episcopum diœcesanum, et accedit ad Altare, servans quæ præscribuntur Capite XXI, (101), nn. 14 et 15.

7. Quum dixit Orationem *Munda cor, etc.*, accepto libro Evangeliorum de mensa Altaris, et genu dextro flexo ad Crucem, Diaconus descendit de medio Altaris directe ad faldistorium, accedit ad dexteram Subdiaconi ante Episcopum celebrantem, ipsum salutat, procedit ante Altare ubi genu dextrum flectit in infimo gradu, et accedit ad thronum, ut benedictio-

nem petat et accipiat ab Episcopo diœcesano, sicut præscribitur Capite XXI, (101), n. 16.

8. Post cantum Evangelii, Diaconus procedit cum Acolythis versus Episcopum celebrantem; genu dextrum flectit prius versus Episcopum diœcesanum, dein ante medium Altaris versus Crucem; accedens ad Episcopum celebrantem ipsum salutat et stat ante ipsum. Cum hic intonat Symbolum, Diaconus agit ut præscribitur in § 1, (102), n. 19.

9. Cum post ℣. *Crucifixus, etc.*, Diaconus defert bursam ad Altare, salutat Episcopum celebrantem cum transit ante ipsum, genu dextrum flectit in plano versus Episcopum diœcesanum cum transit ante thronum, et accedens ad Altare, observat omnia quæ præscribuntur § 1, (102), n. 20.

10. Post cantum Symboli, Diaconus observat præscripta in § 1, (102), nn. 21 et 22. Cum assurgit Episcopus celebrans, Diaconus remanet ad ejus dexteram, progreditur simul cum Episcopo ad Altare: sed priusquam perveniat ad medium ante Altare, cum Episcopus celebrans salutat Episcopum diœcesanum, ipse genu dextrum flectit in plano; ante gradus Altaris exuit mitram Episcopo, ut dicitur § 1, (102), n. 23.

11. Diaconus tunc observat omnia quæ præscribuntur Capite XXI, (101), nn. 19 et seqq. Pro pace advertat quæ dicuntur Capite III, (80); in præsenti enim casu accipit pacem, non ab Episcopo celebrante, sed a Presbytero assistente Episcopi celebrantis post pacem clero in Choro datam.

12. Cum Episcopus celebrans sumpsit ablutionem, Diaconus agit ut dicitur § 1, (102), n. 25.

13. Benedictionem in fine Missæ dat Episcopus diœcesanus, ideoque observabit Diaconus quæ dicuntur Capite XXI, (101), nn. 22 et 23.

14. Post ultimum Evangelium, Diaconus accipit mitram, illamque ante medium Altaris imponit capiti Episcopi celebrantis; una cum Episcopo tunc descendit de Altari, genu dextrum flectit in plano, deinde conversus ad Episcopum diœcesanum, iterum dextrum genu flectit in plano versus ipsum; accipit biretum a ministro et caput cooperit; et ad sinistram Episcopi celebrantis procedit ad sacrarium, manibus ante pectus junctis.

15. In sacristia observat quæ præscribuntur § 1 hujus Capitis, (102), nn. 29 et 30.

SERIES V INSTRUCTIONUM

DE OFFICIO CELEBRANTIS

IN SACRIS FUNCTIONIBUS

PRÆNOTANDA

(105) — **Notanda circa functiones.** — 1. Tractatus de Celebratione Sanctissimi Missæ Sacrificii totus ad id descriptus est, ut Sacerdotem instruat, modo omni et ratione, qualis esse debeat Missæ tum lectæ, tum cantatæ, tum solemnis celebratio, et qualiter diversæ Missarum cæremoniæ sint perficiendæ.

Item in Tractatu de administratione Sacramentorum nonnullæ functiones, præsertim pro debito cultu SS. Eucharistiæ Sacramenti, descriptæ reperiuntur.

Proinde quædam Capita in hac Serie V omittuntur, utpote alibi jam descripta.

2. Sacerdos cum salutari fructu devotionis in diversis functionibus peragendis sæpius perleget quæ in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii proposita habentur de religiosa observantia rubricarum et cæremoniarum (Q. 384); necnon quæ in præsenti Tractatu notata fuerunt pro debitis dispositionibus in ministerio, observanda a Subdiacono (39) et Diacono (72); eo fine, ut zelus et amor pro sacris functionibus digne et devote peragendis excitetur.

3. Missa solemnis celebranda est juxta rubricas Missalis; prohibetur Missa lecta cum Ministris sacris Diacono et Subdiacono; etenim ad dubium: « An loco Missæ solemnis cum cantu, ad evitandam diuturniorem moram, celebrari possit Missa lecta eidem inservientibus Diacono et Subdiacono, dalmatica et tunica indutis? » S. Rituum Congregatio respondendum censuit: « Negative. » (Decret. 21 Julii 1855, n. 3031, antiq. 5211, ad 1.)

4. Missam solemnem celebrare cum solo Diacono, absque Subdiacono, non permittitur. (Cfr. Nouvelle Revue théologique, X, 1878, pag. 329; et Decret. S. Rituum Congregationis, 7 Decembris 1888, n. 3697, ad 10.) De admissione pro functione Subdiaconi talis qui Subdiaconatus ordinem nondum recepit, vide quæ dicuntur in Serie III Instructionum, (38), n. 2.

5. Loco Ministrorum sacrorum, ubi desunt Diaconus et Subdiaconus, pro cæremoniis Missarum solemnium inservire nequeunt duo laici, induti vestibus sacris, quin tamen aliquam functionem ad sacros ordines pertinentem obeant; hujusmodi consuetudo, ubi existeret, tamquam abusus omnino est eliminanda. (Decret. S. Rituum Congregationis, 11 Septembris 1847, n. 2952, antiq. 5103.)

6. Non licet ultra Diaconum et Subdiaconum adjungere aliquos Presbyteros pluvialibus indutos, pro facienda Confessione, et præintonatione Hymni Angelici et Symboli. (Decret. S. Rituum Congregationis, 24 Julii 1683, n. 1711, antiq. 3025, ad 4; cfr. etiam Decret. ejusdem Congregationis, 31 Julii 1665, n. 1322, ad 10, antiq. 2345, ad 11, citatum in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 288, 1, Nota 1.)

7. Non potest Missa solemnis celebrari cum solo Diacono et Subdiacono, sine aliis Ministris. Etenim ad dubium : « Num ferri valeat usus Missam solemnem celebrandi cum solo Diacono et Subdiacono, quum præsto non est aliquis Ministrorum? » S. Rituum rescripsit, et servari mandavit : « Negative. » (Decret. 14 Martii 1861, n. 3104, antiq. 5310, ad 2.)

8. Non tolerari potest quod Missa solemnis cum Diacono et Subdiacono, etiam Missa de *Requiem*, celebretur nulla adhibita incensatione. (Decret. S. Rituum Congregationis, 29 Novembris 1856, n. 3039, antiq. 5228, ad 6.)

9. Aliquando, ut appareat differentia inter dies solemniores et minus solemnes, Missæ solemnes celebrantur omissis quibusdam ritibus ac cæremoniis quæ in Missali præscribuntur; ex. gr., omittuntur incensationes, Subdiaconus non assumit velum humerale, nec tenet patenam, etc.; hujusmodi omissiones non approbantur (cfr. Gavantus, *Thesaurus sacrorum Rituum*, Pars II, Tit. II, Rub. 5). Non est quærenda distinctio inter Festa ex omissione rituum qui æqualiter pro quacumque solemni Missa præscribuntur; sed sola approbari potest distinctio quæ consistit in majori vel minori apparatu Altaris ejusque ornatu.

10. Ministris sacris summopere commendata fuit maxima cura servandi in genuflexionibus, inclinationibus, et quibuscumque actionibus quæ communiter cum Celebrante faciendæ sunt, decentem conformitatem, una cum Celebrante, scilicet eodem modo et uno eodemque tempore reverentias, aut actiones peragendo. (Cfr. 44 et 77.) Celebranti animadvertendum est ejus actiones esse plerumque regulas quibus Diaconus et Subdiaconus se conformare debent; et ideo ab ipso quascumque actiones eo debito modo esse exacte peragendas, omnemque in ipsis negligentiam esse vitandam, ut valeant se conformare

Ministri ; ita faciendo fidelium ædificatio erit salutaris fructus cæremoniarum quibus Dei cultus ornatur.

(106) — Regulæ circa genuflexiones a Celebrante in variis functionibus faciendas.

I. De genuflexionibus a Celebrante in Missa peragendis dicit Rubrica : « In Missa privata Sacerdos genuflectit, quando legit Evangelium S. Joannis *In principio*, ad illa verba : *Et Verbum caro factum est* ; et in Evangelio Epiphaniæ *Cum natus esset Jesus*, ad illa verba : *Et procidentes adoraverunt eum.* Item in Evangelio Feriæ quartæ post Dominicam quartam Quadragesimæ, ad illa verba in fine : *Et procidens adoravit eum.* Item genuflectit in Dominica Palmarum, et in Missis de Cruce ad illa verba in Epistola : *In nomine Jesu omne genu flectatur etc.* ; et quando legitur Passio ad illa verba : *Expiravit*, vel *emisit spiritum,* ut suis locis notatur. Item genuflectit, cum dicit : *Flectamus genua.* Item quando in Quadragesima dicit in Tractu ℣. *Adjuva nos Deus etc.*, et in omnibus Missis de Spiritu sancto, cum dicit ℣. *Veni sancte Spiritus, reple tuorum etc.* Item quando Sacramentum in Altari discoopertum apparet, genuflectit quoties ante illud transit in medio Altaris, et quandocumque in Ordine Missæ, et in ritu servando in celebratione Missæ notatur, quod debeat genuflectere. »

« In Missa solemni Celebrans genuflectit ad omnia supradicta, præterquam ad *Flectamus genua*, et tunc ipse solus stat. Diaconus vero et Subdiaconus, et omnes alii genuflectunt. Ad Versum vero *Adjuva nos Deus etc.*, et ad Versum *Veni sancte Spiritus etc.*, genuflectit usque ad finem. Item genuflectit in die Annuntiationis beatæ Mariæ et in tribus Missis Nativitatis Domini, quando cantatur in Choro : ℣. *Et incarnatus est etc.* Aliis diebus, si sedeat cum cantantur ea verba, non genuflectit, sed caput tantum profunde inclinat apertum : si non sedet, genuflectit. » (Rubricæ generales Missalis, Tit. XVII, nn. 1 et 3.)

Pleræque genuflexiones in his Missalis Rubricis præscriptæ tales sunt quæ in particularibus Missis et casibus observandæ veniunt.

Quæ dein Rubrica adjungit de genuflexionibus præscriptis in Ordine Missæ, et in Ritu servando in celebratione Missæ, spectant principaliter illas genuflexiones quæ fieri debent exstante Sacramento super Altari, id est, inde a Consecratione S. Hostiæ usque ad sumptionem S. Sanguinis ; et hac de causa Celebrans genu dextrum flectere debet in Missa solemni æque ac in privata :

1. Ante et post elevationem S. Hostiæ et S. Sanguinis.

2. Quoties, post elevationem Sacerdos movet Hostiam et Ca-

licem, genuflexio fit ante et post motum ; scilicet : *a*) postquam discooperuit, et postquam cooperuit Calicem ad verba : *Per ipsum, etc.* ; *b*) item ad fractionem S. Hostiæ ; *c*) antequam dicit : *Panem cœlestem accipiam etc.* ; *d*) aperto Calice, antequam colligit particulas.

Restat ut dicatur de genuflexionibus in Missa solemni a Celebrante faciendis ante Consecrationem et post Communionem.

II. Supponitur Altare in quo non habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, sed simpliciter Crux requisita cum candelabris. — In hujusmodi Altari Celebrans ad nullam tenetur genuflexionem, sed tantum ad debitam inclinationem, tum in accessu quocumque, tum in recessu quocumque, tum in transitu de uno latere Altaris ad aliud. — Hinc apparet dignitas Celebrantis supra Ministris Diacono et Subdiacono, qui in casibus supra enuntiatis semper tenentur dextrum genu flectere ad Altaris Crucem. (Cfr. (42), II et III, et (75), II et III.)

Ergo Celebrans accedens ad Altare, sive de sacristia pro principio Missæ, sive in Missa de scamno ; aut in Missa transiens ante medium Altaris de uno latere ad aliud, uti ad incensationem ; aut recedens de Altari, sive ad scamnum, sive post Missam ad sacristiam ; — numquam genuflectit ad Crucem Altaris sicut Ministri facere tenentur, sed tantum inclinat corpus aut caput, prout dicitur in expositione cæremoniarum Missæ.

III. Supponitur Altare in quo dispositum habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso.

1. In tali casu Rubrica Missalis sequentes præscribit Celebranti genuflexiones :

a) In accessu, « cum pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit, biretum ministro porrigit, et ..... genuflectens debitam facit reverentiam. » (Ritus, Tit. II, n. 2.) Item in regressu ad sacristiam, « descendit ante infimum gradum Altaris, et ibi in medio vertens se ad illud..... genuflectit, et.... redit ad sacristiam. » (Ritus, Tit. XII, n. 6.)

Nota. Istæ duæ genuflexiones eæ sunt et solæ quæ debent fieri in plano ante gradum infimum Altaris ; etenim ad dubium : « Quando Celebrans genuflectit ante Altare Sanctissimi Sacramenti, tam expositi, quam in Tabernaculo reconditi, debetne genuflectere in plano Presbyterii, an in infimo gradu Altaris ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Serventur Rubricæ : sed in accessu et recessu, in plano est genuflectendum ; in infimo gradu Altaris, quoties insuper genuflectere occurret. » (Decret. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 47, antiq. 4669, ad 51.)

b) Ad incensationem Altaris, Celebrans, « accepto thuribulo,

antequam incipiat incensationem, genuflectit, quod item facit quotiescumque transit ante medium Altaris. » (Ritus, Tit. IV, n. 6.)

Nota. I. Singularis est hæc genuflexio ante incensationem Crucis præscripta, quæ fit ratione SS. Sacramenti quod latet, dum tamen incensatur, sed absque ulla reverentia pro ipsa, Altaris Crux.

Nota. II. Rubrica præscribit genuflexionem Celebranti antequam incipiat incensationem, nihilque dicit de repetenda genuflexione post Crucis incensationem ; eam tamen genuflexionem sicut ante ita et post Crucis incensationem esse faciendam auctores præscribunt. (Cfr. Gavantus et Merati, *Thesaurus sacrorum Rituum.* Romæ, 1736, Tom, I, pag. 414.)

2. Antequam sequens regula proponatur, juvat animadvertere, hic per Altare intelligi ipsam Altaris proprie dicti structuram stipitis et mensæ, et etiam ea quæ cum hac structura unum efficiunt, nempe suppedaneum, et gradus tum anteriores, tum laterales per quos ad suppedaneum pervenitur : excluso loco omni qui extra, id est, prope vel circum indicatos terminos datur, ex. gr., scamnum, credentia ; — et in Altari ita determinato medium intelligi, non solum locum qui medius est in suppedaneo prope mensam, sed etiam locum qui medius est in infimo gradu, aut ante infimum gradum.

Hoc prænotato, proponitur regula, quod Celebrans infra Missam discedens de Altaris **medio**, sive stet in suppedaneo, sive ante gradum infimum, ad locum qui extra Altare proprie dictum est; aut accedens ad Altaris **medium**, sive ante gradum infimum, sive ad suppedaneum, de loco qui extra Altare proprie dictum est, debet genu dextrum flectere antequam de medio discedat, et cum ad medium accedit. Et hæc genuflexio, ubi facienda venit ad infimum Altaris gradum, infra Missam fit in infimo Altaris gradu, juxta Decretum S. Rituum Congregationis supra in Nota citatum. Ergo genu dextrum flectit, ex. gr., antequam de medio suppedanei discedat ad scamnum pro sessione infra cantum Hymni *Gloria in excelsis*, et Symboli, et quando de scamno in iisdem casibus accedit ad medium infimi gradus Altaris.

Non autem genuflectit, quando discedens de medio remanet in ipso Altari ut accedat ad unum alterumve cornu, ex. gr., ad dicendam Orationem, Evangelium legendum, etc. In Altari enim remanens Celebrans genuflectit tantum quando de uno cornu ad alterum pergens transit in medio Altaris ante Tabernaculum, ut in thurificatione Altaris.

Nequidem genuflectit Celebrans, quando de Altari discedit ad scamnum, sed in discessu non stat in medio Altaris ; ex. gr.,

quando discederet ad scamnum, quo tempore cantatur Sequentia, de cornu Epistolæ ubi Sequentiam legit ; non enim discedit de Altaris medio ; regrediens tamen in casu de scamno ad Altare per latus Epistolæ pro lectione Evangelii, tunc accedens ad Altaris medium, antequam dicat : *Munda cor etc.*, genuflectet, quia accedit ad Altaris medium de loco qui non est Altare proprie dictum.

IV. Si in Altari, in quo Missa solemnis celebratur, exposita fuerit palam, et in loco principali Altaris, Reliquia S. Crucis, aut Dominicæ Passionis, observandum venit sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « An cæremoniæ in Missa coram Sacræ Crucis ligno palam exposito, differant ab iis quæ in Missa coram Sanctissimo Sacramento adhibentur ? » S. Congregatio rescripsit : « Affirmative ; et solum est genuflectendum in accessu et recessu, et quoties opus sit transire ante medium Altaris, seu a latere ad latus, ut in incensatione. » (Decret. 23 Maji 1835, n. 2722, antiq. 4743, ad 1.)

Itaque in casu Celebrans observabit genuflexiones supra ad III præscriptas pro casu quo in Altari habetur Tabernaculum SS. Sacramenti, tum in accessu et recessu ante, infra et post Missam, et in transitu ante Altaris medium. Ex Decreto citato non patet tamen genuflexionem esse faciendam ante et post Crucis incensationem, qualis fit in casu quo in Altari habetur Tabernaculum SS. Sacramenti.

Nota. I. Quando S. Crucis Reliquia super Altari est exposita, præter Altaris Crucem debet Celebrans etiam Reliquiam incensare, non separatim tamen, sed simul, trino thuribuli ductu semel versus utramque simul facto. (Decret. S. Rituum Congregationis, 9 Junii 1899, n. 4026, ad 1.) Reliquiam S. Crucis incensat Celebrans semper stans, non genuflexus. (Decret. 15 Septembris 1736, n. 2324, antiq. 4051, ad 2.)

Nota. II. Idem cultus qui præscribitur pro Reliquiis S. Crucis, exhibendus est Spinis Coronæ D. N. J. C., aliisque Instrumentis Passionis Dominicæ. (Decret. 17 Septembris 1897, n. 3966.)

V. Si in Altari expositum fuerit in throno SS. Sacramentum, præscribit Rubrica Missalis supra ad I citata, quod Celebrans debet genuflectere « quoties ante illud transit in medio Altaris. » Plures et diversæ genuflexiones quæ a Celebrante in hujusmodi Missa debent observari, indicantur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii, QQ. 307-318.

CAPUT I

DE OFFICIO CELEBRANTIS AD ASPERSIONEM AQUÆ BENEDICTÆ, IN DOMINICIS

(107) — **Prænotatur** 1° : Aspersio aquæ benedictæ in Dominicis ante Missam solemnem facienda est ab illo qui Missam solemnem celebraturus est; quod constat ex pluribus S. Rituum Congregationis Decretis.

Prænotatur 2° : Quando Episcopus Missam solemniter celebrat, omittitur aspersio aquæ benedictæ (Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. XXXI, n. 4); omittitur etiam quando Episcopus, etiamsi Missam non celebret, in Dominica Palmarum ipse peragit ante Missam solemnem Palmarum benedictionem. (Decret. S. Rituum Congregationis, 11 Februarii 1702, n. 2089, antiq. 3614, ad 3.) Idem porro dicendum est, si dies 2 Februarii sit Dominica, et Episcopus ipse peragat solemnem Candelarum benedictionem.

Prænotatur 3° : Quando in Altari expositum est SS. Sacramentum, facienda est quidem aspersio aquæ benedictæ, sed omittitur tantum aspersio Altaris. (Decret. 18 Julii 1885, n. 3639, antiq. 5944, ad 2.)

Cfr. etiam Tractatus de administratione Sacramentorum, ubi Q. 337 quædam notantur de benedictione et aspersione.

1. Celebrans in sacristia induit sacra paramenta, scilicet : amictum, albam et cingulum, ac stolam coloris Missæ congruentis, quam sibi aptat ante pectus in modum crucis. Deinde benedicit aquam, ritu qui in Missali aut Rituali Romano describitur. Quo facto, induit pluviale coloris Missæ congruentis.

2. Cum signum datum fuerit exeundi e sacristia, Celebrans, capite nudato præstat inclinationem Cruci vel imagini principali sacristiæ; cooperit caput, et manibus ante pectus junctis, procedit ad Altare, medius inter Ministros sacros, qui fimbrias pluvialis tenent. Ad sacristiæ fores non accipit aquam benedictam, neque se signat, quia mox sequitur aspersio aquæ benedictæ.

Quæ forsan in via ad Altare observari deberent reverentiæ, exponuntur postea, Capite IX, (119).

3. Accedens ad Chorum, salutat clerum, si mos existit, modo qui describitur infra, Capite IX, (120); ante infimum gradum Altaris, caput detegit, et biretum tradit Diacono; profunda corporis inclinatione Crucem Altaris salutat, aut si in Altari fue-

rit Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, dextrum genu flectit in plano, et statim assurgit. (Cfr. (106), III, 1, a, Nota.)

4. Mox Celebrans genua flectit in medio infimi gradus Altaris, dextera accipit a Diacono aspersorium aqua benedicta perfusum, et e libro quem tenent Diaconus et Subdiaconus, intonat Antiphonam : *Asperges me*, vel, tempore paschali : *Vidi aquam* ; deinde, vel melius interea aspergit Altare, versus frontem seu antipendium, primo in medio, secundo versus cornu Evangelii, tertio versus cornu Epistolæ (cfr. supra prænotatum sub 3°) ; tum aspergit seipsum, signando aspersorio frontem ; et assurgens aspergit Diaconum et Subdiaconum. Interim prosequitur Antiphonam dicere, et alternatim cum Ministris recitat Psalmum, cum ℣. *Gloria Patri* in fine, et repetit Antiphonam.

Nota. Ministri debent aspergi a Celebrante, et non potest ipsis offerre aspersorium, ut ex eo manu accipiant aquam benedictam ; etenim ad dubium : « An Sacerdos Missam Dominicalem celebraturus in Ecclesiis Collegiatis possit offerre aquam benedictam Diacono et Subdiacono manu eorum aspersorio capiendam, vel potius ipsos aspergere debeat, non obstante contrario usu ? » S. Rituum Congregatio censuit respondendum : « Negative, ad primam partem ; Affirmative, ad secundam. » (Decret. 27 Septembris 1698, n. 2013, antiq. 3493, ad 2.) Idem profecto observare debet pro reliquis aspersionibus singillatim factis (ibid. ad 3). — Quomodo actus aspersionis fiat, describitur infra n. 9.

5. Quo facto, Celebrans caput profunde inclinat Cruci Altaris, vel si in Altari habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, genu dextrum flectit in infimo gradu, et mox procedit ad Chorum a parte Evangelii, supposito quod ibi adsit dignior e clero præsente ; Canonicos singulos aspergit, facta inclinatione capitis ante et post aspersionem ; pergit ad Chorum a parte Epistolæ, caput profunde inclinans cum in medio Chori transit ante Crucem Altaris, aut genu dextrum flectens si transit ante Tabernaculum, et singulos ex Canonicis iterum eodem modo aspergit. Si non adsint Canonici, sed Sacerdotes, eosdem singulos aspergit. Remanens in parte Epistolæ, aspergit Clericos in Choro præsentes, non singulos, sed in communi, quasi unico ictu ; deinde pergit iterum ad partem Evangelii, caput profunde inclinans cum in medio Chori transit ante Crucem Altaris, aut genu dextrum flectens si transit ante Tabernaculum, et Clericos eodem modo in communi aspergit. — Omnes de Choro debent durante aspersione stare detecto capite, et dum ante ipsos Celebrans cum aspersorio accedit, debent illi caput inclinare, et aspersionem aquæ benedictæ reverenter accipere. (Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. XXXI, n. 4.) — Accedit tunc

ad ingressum Chori, et aspergit populum, primo in medio, secundo versus sinistram suam, tertio versus dexteram suam. — Dum cantatur ℣. *Gloria Patri,* interrumpitur aspersio (Decret. 24 Januarii 1890, n. 3722, ad 3); Celebrans cum aliis convertit se ad Altare, stans parum inclinatus; deinde continuatur aspersio. — Post aspersionem populi, Celebrans reddit aspersorium Diacono, et conversus per sinistram suam, redit ad Altare; antequam accedat ad Altare, accipit aspersorium, aspergit semel Acolythos qui stant ad credentiam, et reddit aspersorium. Accedens ad Altare, caput profunde inclinat Cruci Altaris, aut si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, genu dextrum flectit in infimo gradu, et statim assurgit.

6. Cum Chorus absolvit cantum Antiphonæ post Psalmum repetitæ, Celebrans, manibus junctis, e libro, quem tenent Diaconus et Subdiaconus, cantat Versiculos et Orationem, tono feriali. Tempore Paschali addit: *Alleluja* in fine versiculi: *Ostende nobis, etc.*

7. Post Orationem, caput profunde inclinat Cruci Altaris, aut si in Altari fuerit Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, genu dextrum flectit in infimo gradu, et accedit ad scamnum; deposito pluviali, accipit manipulum, osculatur et imponit brachio sinistro, dein induit casulam.

8. Revertitur tunc ad Altare, salutans clerum in Choro a parte Epistolæ, deinde a parte Evangelii; caput profunde inclinat Cruci Altaris, aut si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, in infimo gradu genu dextrum flectit, et incipit Missam.

Nota. Celebrans potest etiam deponere pluviale, et induere manipulum et casulam in medio Altaris ante gradus, nisi expositum habeatur in Altari SS. Sacramentum, et nisi adsit Episcopus. (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Martii 1862, n. 3110, antiq. 5318, ad 4.)

9. Circa modum aspergendi notatur, quod in actu aspersionis aspersorium tenetur manu dextra erectum ante summum pectus, inde dirigitur versus rem aut personam quæ aspergenda est, et mox ante pectus retrahitur; minus decens est modus agendi quorumdam, qui aspersorium primo deprimunt prope femur dextrum, tunc dextera ducunt versus rem aut personam, et iterum referunt juxta dextrum femur.

10. Consuetudo existens in nonnullis ecclesiis parochialibus, aspergendi populum, non triplici aspersione facta ad ingressum presbyterii, sed pluribus aspersionibus factis a Celebrante a parte Epistolæ, dum pergit per ecclesiam usque ad portam principalem, et a parte Evangelii, dum redit ad Altare, servari potest. (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Martii 1862, n. 3114, antiq. 5322, ad 2.)

CAPUT II

DE OFFICIO CELEBRANTIS IN MISSA SOLEMNI

(108) — Conferatur Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Liber II, Sectio II, Appendix III, QQ. 280-304.

CAPUT III

DE OFFICIO CELEBRANTIS IN MISSA SOLEMNI CUM PRESBYTERO ASSISTENTE

(109) — Præsentia Presbyteri assistentis in Missa solemni nihil speciale importat observandum a Celebrante ; perinde est pro ipso, quis ministret ad librum Missalem. In præcedentibus Instructionibus notatum fuit, quid a Diacono (80), quid a Subdiacono (47) sit observandum ratione præsentiæ Presbyteri assistentis. Pro Celebrante unum notare juvat, quod ipse pacem dat non Diacono, sed Presbytero assistenti.

(110) — **De Ministro assistente Missæ cum cantu.**

I. In Missa cantata sine Ministris sacris Diacono et Subdiacono potest admitti præter acolythos aliquis Minister superpelliceo indutus, qui nonnullas functiones peragit proprias tum Diacono, tum Subdiacono, tum Cæremoniario in Missa solemni.

Ex sequenti Decreto S. Rituum Congregationis patet quæ sint hujus Ministri functiones : Ad dubium : « An Celebrans Missam cum cantu sine Ministris adhibere possit plures quam duas candelas, et Ministrum qui folia vertat et calicem discooperiat ipsumque mundet, vinum et aquam infundat, eumdemque calicem infra actionem palla cooperiat et discooperiat juxta opportunitatem, necnon ipsum tergat post Communionem, suisque ornamentis instruat ; vel celebrare debeat ut in Missis sine cantu, omnia supraenunciata a semetipso peragendo et non ope Ministri ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative, ad primam partem ; Negative, ad secundam. » (Decret. 25 Septembris 1875, n. 3377, antiq. 5637, ad 1.) Postea, ad dubium : « Utrum iste Minister debeat esse in Sacris constitutus ? » S. Congregatio rescripsit : « Affirmative, si debeat

etiam calicem abstergere. » (Decret. 6 Decembris 1901, *Vocen.*; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 700.)

II. Ritus Missæ cantatæ describitur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii, QQ. 274-279. – Hic notantur breviter ea quæ a Celebrante sunt observanda, quando adhibet Ministrum assistentem.

1. Ille Minister poterit, antequam accedat Celebrans ad Altare pro Missa celebranda, aptare calicem in medio Altari, et præparare Missale, reperire Missam, et signacula suis locis accommodare. — Celebrans accedens ad Altare, facta corporis profunda inclinatione, aut si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti genu dextro flexo in plano, statim incipit Missam ; Minister, dum Celebrans dicit preces ante gradus Altaris, genuflexus est in plano ad sinistram Celebrantis.

2. Cum Celebrante ascendit Minister ad suppedaneum, et remanet regulariter ad dexteram Celebrantis. Celebrans omnia peragit ut consueto usque ad Epistolam, excepto quod ipse folia Missalis non vertit.

3. Observari poterit in hujusmodi Missa Rubrica Missalis de cantu Epistolæ, quæ dicit : « Si quandoque Celebrans cantat Missam sine Diacono et Subdiacono, Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector superpelliceo indutus, qui in fine non osculatur manum Celebrantis ; Evangelium autem cantat ipse Celebrans ad cornu Evangelii. » (Ritus celebrandi Missam, Tit. VI, n. 8.) — Celebrans igitur legit Epistolam et quæ sequuntur ; dein exspectat donec Minister, cantata Epistola, accedit ad transferendum Missale ; tunc accedit ad medium Altaris, ut dicat : *Munda cor, etc.* Non præbet manum ad osculum, nec benedicit Ministrum. — Minister in casu discedit a Celebrante post Orationem, accipit ab acolytho librum Epistolarum, et cantat Epistolam servato ritu quem servat Subdiaconus in Missa solemni ; post cantum Epistolæ, facta genuflexione in medio infimi gradus, mox deponit librum ad credentiam, vel illum reddit acolytho, et transfert, nisi id faciat acolythus, Missale ad cornu Evangelii ; ibi remanet ad Celebrantis sinistram usque ad Offertorium ; tunc accedit ad ejus dexteram.

4. Ad Offertorium Celebrans pro oblatione hostiæ et calicis omnia facit quemadmodum in Missa solemni, omissa tamen incensatione ; ipse tamen deponit patenam super Altare partim subtus corporale. Minister, accepto calice e medio Altaris, omnia peragit quæ pro oblatione hostiæ et calicis faciunt Diaconus et Subdiaconus in Missa solemni. Post manuum lotionem accedit ad Missale, ad sinistram Celebrantis.

5. Inde a Consecratione usque ad Communionem, ipse Celebrans non discooperit nec cooperit calicem ; id enim facit Mi-

nister, qui ad hoc ministerium præstandum accedit de sinistra Celebrantis ad ejus dexteram ; Minister quoque patenam extergit ante fractionem S. Hostiæ. Pax non datur sicut in Missa solemni. — Minister ante Consecrationem assumit stolam coloris quem Missa requirit, eamque deponit post sumptionem S. Sanguinis. Minister observabit omnes genuflexiones quæ faciendæ sunt juxta regulas pro Diacono et Subdiacono traditas.

6. Post sumptionem ablutionis Celebrans relinquit calicem in Altari ; Minister accedens ad cornu Evangelii, ibi calicem tergit, suisque ornamentis instruit, et deponit in medio Altari, vel defert ad credentiam.

7. Completa Missa, Celebrans redit manibus junctis ad sacristiam.

APPENDIX

DE PRESBYTERO ASSISTENTE

§ 1. De consuetudine admittendi Presbyterum assistentem

(III) — 1. Presbyter assistens in Missa solemni datur tantum Episcopis, et quibusdam Prælatis dum actu pontificalia exercent.

2. Canonicis, etiam Capituli Dignitatibus, sæpius prohibuit S. Rituum Congregatio habere Presbyterum assistentem, non obstante contraria consuetudine. Ex aliis Decretis tamen patet, ipsis solemniter celebrantibus aliquando concedi Presbyterum assistentem ex speciali gratia aut privilegio ; necnon in quibusdam casibus tolerari consuetudinem Presbyterum assistentem adhibendi, modo sit immemorabilis et legitime præscripta. (Cfr. inter alia, Decreta 1 Decembris 1882, n. 3564, antiq. 5860, ad 1 ; et 15 Aprilis 1899, n. 4018.)

Rescripsit S. Congregatio, Dignitati Capituli, quando celebrat loco et vice Episcopi absentis vel impediti, non competere jus habendi Presbyterum assistentem cum pluviali (Decret. 21 Novembris 1902, *Cremen.* ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 12) ; nec etiam simplici Canonico celebranti loco Episcopi, aut Dignitatis impeditæ vel absentis (Decret. 19 Septembris 1883, n. 3588, antiq. 5887, ad 2).

3. Cæteris Sacerdotibus quibuscumque non conceditur Presbyter assistens. Sufficiat ex pluribus S. Rituum Congregationis Decretis unum describere : Ad dubium : « An tolerari queat ut passim a quocumque fere Sacerdote solemniter celebrante,

Presbyter assistens cum pluviali adhibeatur? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Negative, et abusum esse eliminandum. » (Decret. 28 Julii 1876, n. 3408, antiq. 5673, ad 2.) Et cum paulo post ad S. Rituum Congregationem recursus adhiberetur, pro supradicti Decreti revocatione, allatis rationibus pro tuenda consuetudine, S. Congregatio respondit : « In decisis. » (Decret. 30 Januarii 1878, n. 3442, antiq. 5720, ad 2.)

4. Exceptio una habetur pro prima Missa novi Sacerdotis solemniter celebrantis. Etenim ad dubium : « An in prima Missa novi Sacerdotis eamdem solemniter celebrantis assistere possit præter Sacros Ministros, unus Presbyter cum pluviali, non obstantibus Decretis S. Rituum Congregationis, quibus hujusmodi abusus in Missa solemni cujuscumque simplicis Sacerdotis omnino interdictus est? » S. Congregatio declarare rata est : « Posse tolerari. » (Decret. 1 Decembris 1882, n. 3564, antiq. 5860, ad 2.)

5. S. Rituum Congregatio hac severa disciplina videtur velle eliminare omnem rationem juris personalis, vel privilegii prærogativæ Presbyterum assistentem adhibendi.

Consuetudo Presbyterum assistentem in Missa solemni adhibendi in solemnioribus festivitatibus exstitit a pluribus sæculis, seu ab immemoriali in plerisque nostris Ecclesiis Parochialibus, et in multis retinetur, unice ratione solemnitatis festivitatum, nemine jam cogitante de jure personali Celebrantis, nam perinde est an Decanus, vel Parochus, vel Vicarius hanc Missam celebret. Superiorum est prudens ferre judicium, utrum hujusmodi consuetudo ab immemoriali existens sit eliminanda, vel toleranda.

§ 2. De Officio Presbyteri assistentis in Missa solemni

(112) — Prænotatur : I. Presbyter assistens induere potest pro Missa solemni pluviale supra superpelliceum, vel supra rochettum si hoc uti potest ; in quibusdam Ecclesiis, et optime quidem induit etiam amictum supra superpelliceum vel rochettum, et subtus pluviale. Non potest induere albam. (Decret. S. Rituum Congregationis, 30 Junii 1883, n. 3580, antiq. 5878, ad 1.)

In prima Missa novi Sacerdotis, si solemnis est, induet, juxta dicta, superpelliceum et pluviale. Per Decretum 11 Junii 1880 (n. 3515, ad 7, antiq. 5809, ad 12) declaravit S. Rituum Congregatio servari posse a Presbytero assistente consuetudinem adhibendi stolam, vel a principio Missæ usque ad finem, vel tantum a principio Canonis usque ad Communionem. Ex te-

more Decreti non patet utrum hic supponatur Missæ solemnis aut forsan privata.

Prænotatur : II. Presbyter assistens Sacerdoti Missam solemnem celebranti non potest se gerere more Presbyteri assistentis Episcopo solemniter celebranti ; nec usurpare functiones alii Ministro proprias, ex. gr., incensare Celebrantem loco Diaconi, ministrare patenam ad fidelium communionem, etc. ; sed tantum potest assistere ad librum. (Decret. 1 Decembris 1882, n. 3564, antiq. 5860, ad 1 et 2.)

Prænotatur : III. Presbyter assistens ministerio suo fungitur tantum in Missa solemni, non in aliis functionibus ; si aliqua functio præcedit, ex. gr., aspersio aquæ benedictæ, vel expositio SS. Sacramenti, accedit ad Altare tantum post istam functionem, vel solus, vel potius comitante Cæremoniario aut alio ministro.

Prænotatur : IV. Quantum ad genuflexiones, Presbyter assistens qui est simplex Sacerdos, sequitur regulas existentes pro duobus Ministris sacris Diacono et Subdiacono.

1. Presbyter assistens dum cum Celebrante et Ministris pergit de sacristia ad Altare, incedit ad sinistram Celebrantis. (Decret. S. Rituum Congregationis, 15 Aprilis 1899, n. 4018, ad 2.) – Non convenit ipsum incedere post Celebrantem, quasi esset majoris dignitatis. – Ad ingressum Chori pro salutationibus ad clerum remanet ad sinistram Celebrantis.

2. Ante Altaris gradus de sinistra Celebrantis accedit ad ejus dexteram, Diacono et Subdiacono stantibus ad Celebrantis sinistram ; et dum Celebrans debitam Altari facit reverentiam, Presbyter assistens una cum Diacono et Subdiacono genu dextrum flectit in plano. Quando Celebrans incipit Missam, Presbyter assistens ipsi respondet.

3. Cum Celebrans ascendit ad Altare, Presbyter assistens discedit ad credentiam ; et cum Celebrans incensat Altare, accedit et ipse ad Altare per partem Epistolæ, portans pulpitum cum Missali ; interea dum Celebrans incensat cornu Evangelii, Assistens ascendit ad suppedaneum, deponit Missale ad cornu Epistolæ, et descendit ad planum a parte Epistolæ, ubi se convertit versus Altare, stans ad dexteram Diaconi, dum hic incensat Celebrantem.

4. Ascendit ad Celebrantis dexteram, et indicat principium Introitus ; signat se Cruce a fronte ad pectus cum Celebrans incipit legere Introitum ; respondet Celebranti ad *Kyrie eleison*. Dum Celebrans accedit ad medium, et recitat hymnum *Gloria*, Assistens stat ad Celebrantis dexteram, relicto tamen spatio pro Diacono.

5. Pro sessione, Presbyter assistens genu dextrum flectit, descendit a latere Epistolæ, et sedet ad Celebrantis dexteram.

Nota. Juxta Decretum S. Rituum Congregationis (15 Aprilis 1899, n. 4018, ad 3), videtur Presbyteri assistentis locus in sessione esse prope Celebrantem et Ministros, « sed in scabello separato », vel ad sinistram Subdiaconi, vel ad dexteram Diaconi ; in quo casu Ministri sacri sedent uti consueto, Diaconus ad dexteram, Subdiaconus ad sinistram Celebrantis ; quod certe conformius est Rubricæ Missalis quæ dicit Celebrantem sedere medium inter Diaconum et Subdiaconum. (Rubricæ generales, Tit. XVII, n. 6.)

6. Post sessionem, Presbyter assistens incedit de scamno versus planum ad dexteram Celebrantis, et ante gradus Altaris stat ad Celebrantis dexteram ; genu dextrum flectit in infimo gradu Altaris, et simul cum Celebrante ascendit ad suppedaneum, ubi locum sumit prope Missale.

7. Cum Celebrans cantat Orationes, et legit Epistolam ac ea quæ sequuntur, Assistens ministrat quemadmodum id alias faciunt Cæremoniarius et Diaconus : quo facto, recedit a latere Celebrantis, et stat retro post ipsum, usque dum Subdiaconus benedictionem accepit.

8. Tunc accipit Missale, illudque transfert a cornu Epistolæ ad cornu Evangelii, incedens retro post Celebrantem, et descendens, si necesse fuerit, unum gradum a suppedaneo in medio ; cum transit ante medium Altaris, genu dextrum flectit. Deponit Missale eodem modo quo id alias facit Subdiaconus ; et cum accedit Celebrans ad librum, Assistens stat ad Celebrantis sinistram, ipsique indicat principium Evangelii.

9. Lecto Evangelio, Assistens exspectat prope Missale usque dum impositum fuerit incensum ; deinde accipit Missale, illudque deponit prope medium Altaris, eodem modo quo id alias facit Subdiaconus, et remanet conversus ad Altare.

10. Ubi Diaconus incipit cantare Evangelium, Assistens stans in cornu Evangelii, simul cum Celebrante qui stat in cornu Epistolæ, convertit se ad Diaconum, et omnia observat pro inclinationibus, etc., quæ observat Celebrans.

Nota. Potest etiam Presbyter assistens, ad cantum Evangelii, se transferre una cum Celebrante ad cornu Epistolæ, ibique stare a sinistris ipsius Celebrantis versus Diaconum, dum hic Evangelium cantat. (Decret. 15 Aprilis 1899, n. 4018, ad 4.)

11. Post cantum Evangelii, cum Celebrans accedit ad Altaris medium, Assistens stat ad ejus sinistram, relicto tamen spatio sufficienti pro Subdiacono ad recitationem Symboli.

12. Pro sessione, interea dum cantatur Symbolum, Assistens observat quæ dicuntur n. 5. Non assurgit, cum ad ℣. *Crucifixus*,

surgit Diaconus. (Decret. n. 4018, ad 5.) Post sessionem, postquam genu dextrum flexit in infimo gradu Altaris ad dexteram Celebrantis, ascendit retro post Celebrantem, transiens de dextera ad sinistram, et locum sumit prope Missale, ad Celebrantis sinistram.

13. Remanet ibi usque ad incensationem Altaris, cumque Celebrans incensavit Crucem, Assistens accipit Missale, et discedit, illud portans, ad planum a parte Evangelii; postquam Celebrans, incensato cornu Evangelii, reversus est ad medium, ascendit Assistens, et deponit Missale super Altaris mensam, eodem modo quo positum erat, et remanet ibi prope Missale.

14. Cum Assistens incensatur a Diacono, convertit se ad ipsum, et inclinat caput ante et post incensationem ; convertit se iterum ad Altare, et ministrat Celebranti ad Missale.

Nota. Ex Decreto jam citato (n. 4018, ad 6) certum est Presbyterum assistentem debere incensari ante Subdiaconum. Auctores Romani volunt, Presbyterum assistentem incensari post Chorum, et non ante Chorum.

15. Ad Consecrationem, genuflectit Assistens ad sinistram Celebrantis, et ad Elevationem sustinet dextera partem posteriorem casulæ.

16. Assistens non se signat Cruce, cum id facit Celebrans ad verba : *omni benedictione, etc.* ; neque percutit pectus ad verba : *Nobis quoque peccatoribus* ; sed genu dextrum flectit, quoties id facit Celebrans.

17. Recitat cum Celebrante : *Agnus Dei, etc.,* et percutit pectus ter ad verba : *miserere nobis, dona nobis pacem.* Deinde genu dextrum flectit, et de sinistra Celebrantis accedit ad ejus dexteram ; ubi genu utrumque flectit, et genuflexus remanet usque dum Celebrans recitavit Orationem primam ante Communionem.

18. Cum Celebrans osculatur Altare, assurgit Assistens, et manibus ante pectus junctis, osculatur et ipse Altare ; deinde convertit se ad Celebrantem, et accipit pacem, ac respondet : *Et cum spiritu tuo.* — Pro pace accipienda et danda, cfr. Regulæ generales, (2), V. — Manibus iterum junctis, genu dextrum flectit, assurgit, et descendit ad dandam pacem.

19. Si præsens est in Choro clerus, consuetudo apud nos immemorabilis existit quod ipse Presbyter assistens, et non Subdiaconus pacem clero deferat. In casu Presbyter assistens descendit ad planum ante medium Altaris, genu dextrum flectit in infimo gradu, et, comitante Cæremoniario, accedit ad digniorem e clero in Choro, qui supponitur sedere a parte Evangelii, ipsique dat pacem ; deinde pergit ad clerum a parte Epistolæ, genu dextrum flectens cum transit ante Altaris me-

dium, et primo dat pacem ; revertitur ad Altare, genu dextrum flectit in medio infimi gradus ; accedit ad sinistram Celebrantis, et Diacono ibi adstanti et aliquantulum recedenti dat pacem ; deinde genu dextrum flectit ad sinistram Celebrantis, et remanet prope Missale.

Nota. I. In Ecclesia Metropolitana, Assistens Canonicus dat pacem solis Canonicis in Choro, et Diacono ad Altare ; reliquis Clericis in Choro pacem dat Cæremoniarius, qui ipsam accepit a Subdiacono.

Nota. II. Præsente Episcopo in throno, Presbyter assistens Celebranti recipit pacem a Presbytero assistente Episcopo (cfr. Decret. citatum, n. 4018, ad 6). In casu Presbyter assistens Celebranti peragit ea quæ describuntur facienda a Subdiacono in Missa præsente Ordinario celebrata (cfr. (67), n. 20).

20. Si non est præsens in Choro clerus, Assistens, genu dextro flexo ad dexteram Celebrantis post acceptam pacem, descendit ad gradum in quo stat Diaconus, ibique Diacono dat pacem (cfr. Decret. citatum, n. 4018, ad 6); mox accedit ad sinistram Celebrantis, genu dextrum flectit, assurgit, et ministrat Celebranti ad Missale.

Nota. Auctores qui tradunt regulas servandas in Missa cum Presbytero assistente, præscribunt ut iste det pacem Diacono, Diaconus vero Subdiacono. Modus vero, juxta quem uterque Minister, ante infimum gradum Altaris acciperet pacem a Presbytero assistente, ab ullo auctore traditus non noscitur.

21. Ad verba : *Domine, non sum dignus*. Assistens paulum inclinat caput, sed non tenetur pectus percutere. (Decret. S. Rituum Congregationis, 30 Decembris 1881, n. 3535, ad 3, antiq. 5830, ad 4.)

22. Post digitorum ablutionem a Celebrante factam, Assistens accipit Missale, illudque defert ad cornu Epistolæ, incedens retro post Celebrantem, et descendens unum gradum a suppedaneo, si necesse fuerit ; cum transit ante Altaris medium, genu dextrum flectit.

23. Deposito Missali, exspectat adventum Celebrantis, et stans ad ejus dexteram, ipsi indicat Antiphonam *Communio*. Remanet prope Missale, et indicat Orationes ; quibus dictis, claudit Missale, illudque tradit ministro, qui idem refert ad credentiam.

24. Assistens remanet ad cornu Epistolæ, conversus ad Altare, dum Celebrans cantat : *Dominus vobiscum*, et Diaconus : *Ite missa est* ; deinde pergit retro post Celebrantem ad cornu Evangelii, genu dextrum flectens cum transit ante Altaris medium ; remanet ibi conversus ad Altare, dum Celebrans dicit Orationem : *Placeat, etc.*

25. Si aliud Evangelium est dicendum in fine, quam Initium Evangelii secundum Joannem, Assistens non claudit Missale post Orationes; et cum transit de cornu Epistolæ ad cornu Evangelii, ut numero præcedenti dicitur, transfert Missale, genu dextrum flectens cum transit ante medium, illudque deponit super Altare ad cornu Evangelii.

26. Dum Celebrans dat benedictionem, Assistens, ad verba : *Benedicat vos*, utrumque genu flectit in ora suppedanei a parte Evangelii, conversus ad Celebrantem; inclinat profunde caput cum accipit benedictionem; Cruce a fronte ad pectus se signat, et respondet : *Amen*. - Non decet Sacerdotem assistentem stare aut genuflectere in medio ante Celebrantem, inter Diaconum et Subdiaconum.

27. Accepta benedictione, Assistens assurgit, accedit ad Celebrantem, et stat ad ejus sinistram, interea dum legit ultimum Evangelium. Peragit omnia quæ alias facit Subdiaconus.

28. Lecto Evangelio, Assistens respondet : *Deo gratias* ; si Evangelium e Missali fuit lectum, Missale claudit ; accedit cum Celebrante ad medium Altaris, caput inclinat Cruci, et per suam dexteram conversus, descendit ante infimum gradum simul cum Celebrante; ante gradus statim locum mutat cum Diacono, et ideo retro post Celebrantem accedit ad hujus dexteram, genu dextrum flectit in plano, accepto bireto caput cooperit, et procedit ad sacristiam ad sinistram Celebrantis.

29. Si in Choro reverentiæ sunt præstandæ clero, Assistens observat, ad ingressum, ad sessiones, et ad regressum ea quæ præscribuntur pro Diacono in Serie IV Instructionum, Capite XI, (90).

30. Si preces aliquæ post Missam dicendæ sunt ante gradus Altaris, remanet Assistens ad dexteram Celebrantis, tenetque, si necesse fuerit, librum ante Celebrantem simul cum Diacono, qui est ad sinistram Celebrantis. Sed si sequitur alia functio, ex. gr., Benedictio et repositio SS. Sacramenti, Assistens, statim ac post ultimum Evangelium descendit ante Altare, ad dexteram Celebrantis, genu dextrum flectit in plano, et discedit ad sacristiam, comitante aliquo ministro.

§ 3. De Officio Presbyteri assistentis in Missa Pontificali ad faldistorium

(113) — 1. Supposito quod Episcopus paramenta sacra induit in sacrario, Presbyter assistens hora statuta aderit in sacrario, indutus superpelliceo, et dum Episcopus dicit preces pro præparatione, ipse stat ad ejus sinistram, capite detecto. Cum Episcopus manus lavat, Presbyter assistens ipsi porrigit

mantile ad tergendum; et quando Episcopus accipit dalmaticam, Presbyter assistens recedit et induit se amictu super superpelliceum, et pluviali; postquam Diaconus Episcopo imposuit mitram, Presbyter assistens ante Episcopum accedens salutat eum, et imponit annulum in digitum annularem dextræ manus Episcopi, annulo et manu prius deosculatis. Tunc accedit ad Episcopi dexteram; et dato signo exeundi, simul cum Episcopo salutat Crucem vel imaginem sacristiæ, imponit capiti biretum, et procedit manibus junctis ad dexteram Episcopi. Ad ingressum Chori salutat simul cum Episcopo clerum, prius a parte Epistolæ, dein a parte Evangelii (supposito ingressu per partem Epistolæ); et cum pervenerit ad Altare, stans ad dexteram Episcopi, ac postquam Diaconus abstulit mitram, dum Episcopus salutat Crucem, ipse genu dextrum flectit in plano.

2. Supposito quod Episcopus paramenta sacra induit ad Altare, Presbyter assistens hora præstituta aderit in sacrario, indutus superpelliceo, et dum Episcopus dicit preces pro præparatione et accipit caligas ac sandalia, ipse stat ad ejus sinistram, capite detecto. Quando Episcopus deinde de sacristia discedit ad Altare, Presbyter assistens cum ipso salutat Crucem vel imaginem sacristiæ, et procedit capite detecto, biretum manibus ante pectus tenens, ad sinistram Episcopi; ad sacristiæ januam manu dextra porrigit aquam benedictam Episcopo, et ipse Cruce se signat; ad ingressum Chori salutat cum Episcopo clerum, et cum ad Altare pervenit, ad sinistram Episcopi Crucem salutantis genu dextrum flectit in plano, assurgit, et mox genu utrumque flectit in plano, genuflexus remanens dum Episcopus paululum orat genuflexus in infimo gradu. Assurgente Episcopo, ipse surgit, et mox iterum genu dextrum flectit sed in infimo gradu, et assurgens comitatur Episcopum ad faldistorium; ibi ante Episcopum stans ipsum salutat, et aliquantum se retrahit ad Episcopi sinistram; et cum Episcopus manus lavat, accedit et porrigit ipsi mantile ad tergendum. Recedit tunc Presbyter assistens ad scamnum, ibi stat, et cum postea Episcopus induit dalmaticam, ipse recedens versus credentiam induit amictum et pluviale, et revertitur ad scamnum; postquam Episcopo mitram imposuerit Diaconus, Presbyter assistens accedit ante Episcopum, ipsum salutat, et imponit annulum in digitum annularem dextræ manus Episcopi, annulo et manu prius deosculatis. Tunc accedit ad Episcopi dexteram, conversus ad populum, et factis mox cum Episcopo salutationibus ad clerum in Choro, prius a parte Epistolæ dein a parte Evangelii, accedit ad Altare, stans ad dexteram Episcopi; ablata per Diaconum mitra, dum Episcopus salutat Crucem, Presbyter assistens genu dextrum flectit in infimo gradu.

3. Cum Episcopus incipit Missam, Presbyter assistens stans ad ejus dexteram, respondet. Finita Confessione, dum Episcopus Altaris gradus ascendit, Presbyter assistens ascendit post Episcopum, et accedit ad suppedaneum ad ejus sinistram, ubi dum Subdiaconus porrigit librum Evangeliorum osculandum Episcopo, ipse indicat principium Evangelii. Mox discedit Presbyter assistens de sinistra Episcopi ad planum in cornu Epistolæ, genu dextrum flectens Cruci, retro post Episcopum, dum transit ante Altaris medium, et ibi stat conversus ad Altare. Postquam Diaconus Episcopum thurificavit, Presbyter assistens, qui salutavit Episcopum ante et post thurificationem, accedit ad faldistorium, sequentibus Diacono et Subdiacono; ad faldistorium stat conversus ad Episcopum accedentem, et dum Episcopus sedet pro depositione mitræ, Presbyter assistens stat ad ejus sinistram conversus ad populum.

4. Cum Episcopus ad Altare se convertit ad legendum Introitum, Presbyter assistens per dexteram suam etiam se convertit, et stans ad Episcopi dexteram prope librum quem tenet minister, Episcopo indicat Introitum; cum Episcopo signat se Cruce a fronte ad pectus, et inclinat caput; deinde respondet ad *Kyrie eleison.*

5. Si prolixitas cantus id postulet, sedente Episcopo, accedit Presbyter assistens ad scamnum, et sedet ad sinistram Episcopi, et caput operit bireto.

6. Circa finem cantus *Kyrie eleison,* Presbyter assistens deponit biretum, assurgit, salutat Episcopum, et accedit retro post faldistorium, ita ut converso ad Altare Episcopo stet ante ipsum. Accipit a ministro librum, illumque sustinet manibus supra caput, dum ex eo Episcopus cantat: *Gloria in excelsis Deo.* — Hoc regulariter facere debet Presbyter assistens, quoties Episcopus aliquid alta voce cantat; secus quando Episcopus aliquid legit tantum. — Relinquit mox librum ministro, et dum Episcopus prosequens Hymnum legit, Presbyter assistens stat ad ejus dexteram uti ad Introitum; cum Episcopo caput inclinat, et in fine Cruce a fronte ad pectus se signat; accedit postea ad scamnum ad sinistram Episcopi sedentis, et postquam Diaconus Episcopo imposuit mitram, Presbyter assistens simul cum Diacono et Subdiacono Episcopum salutat, sedet, et caput bireto cooperit.

7. Ad finem cantus Hymni, Presbyter assistens simul cum Diacono et Subdiacono deponit biretum, assurgit, et Episcopum salutat. Cum Episcopus cantavit: *Pax vobis,* vel: *Dominus vobiscum,* Presbyter assistens se sistit ante Episcopum ad Altare conversum, et ante ipsum sustinet librum supra caput, dum cantat Orationem vel Orationes; quibus dictis, accedit ad

scamnum, et postquam mitram Episcopo imposuit Diaconus, Presbyter assistens simul cum Diacono et Subdiacono salutat Episcopum, sedet, et caput bireto operit.

8. Accedente Subdiacono ad Episcopum post Epistolam, Presbyter assistens detegit caput, assurgit, et stat manibus junctis ad Episcopi sinistram, dum hic legit Epistolam et reliqua usque ad Evangelium inclusive; caput inclinat quoties illud facit Episcopus, et ad initium Evangelii signat frontem, os et pectus; respondet Episcopo quoties opus est. Remanet ita stans ad sinistram Episcopi sedentis usque ad cantum Evangelii.

9. Quando Diaconus incipit cantare Evangelium, Presbyter assistens simul cum Episcopo vertit se ad Diaconum: thurificato per Diaconum Episcopo, Presbyter assistens sustinet librum, ut supra n. 6, dum Episcopus cantat: *Credo in unum Deum*; quibus verbis prolatis, relinquit librum ministro, et stat ad Episcopi dexteram, cum ipso prosequens Symbolum, et genu dextrum flectens ad ℣. *Et incarnatus.... homo factus est*: reliqua pro recitatione et sessione observat ut supra n. 6. — Non assurgit Presbyter assistens quando Diaconus bursam defert ad Altare. — Ad finem cantus Symboli omnia peragit ut supra n. 7.

10. Presbyter assistens sustinet librum dum Episcopus cantat: *Oremus,* ante Antiphonam Offertorii: sed statim relinquit librum ministro pro lectione ipsius Antiphonæ, stans interea ad dexteram Episcopi, ut ad Introitum; lecto Offertorio, convertit se per sinistram suam, et stat ad sinistram Episcopi sedentis: quando Episcopus lavat manus, Presbyter assistens accedit ante ipsum, salutat eum, porrigit mantile, eoque recepto, imponit annulum digito annulari dextræ manus Episcopi, annulo et manu prius deosculatis.

11. Imposito annulo, Presbyter assistens salutat Episcopum, et mox accedit ad credentiam, accipit Missale super legile positum, illudque ad Altare defert per viam longiorem, id est, per gradus anteriores Altaris; salutat Episcopum cum ante ipsum transit, dein genu dextrum flectit in medio infimi gradus Altaris, ascendit, deponit legile cum Missali prope corporale in cornu Evangelii, Missale aperit ad locum Secretæ, et Canonem, quem minister simul attulit, apertum ad Offertorii Orationes deponit in medio Altaris contra Crucem, aut gradum in quo Crux stat. Ibi Presbyter assistens exspectat Episcopum, stans versus cornu Evangelii, et cum accesserit, remanet ad ejus sinistram, opportune demonstrans Episcopo omnia et singula quæ ex libro erunt legenda.

12. Postquam Episcopus incensavit Crucem, Presbyter assistens sumpto Missali cum legili, retrahit se ad planum a parte

Evangelii, et finita thurificatione in cornu Evangelii, librum et legile refert et deponit prope corporale. Accedit tunc ad cornu Epistolæ, genu dextrum flectens in suppedaneo cum transit ante Crucem Altaris, et porrigit Episcopo mappulam ad tergendum manus ; mox redit ad Missale, genu dextrum flectens cum transit ante Crucem. Convertit se ad Diaconum, junctis manibus, quando ab isto incensatur, et caput inclinat ante et post incensationem.

13. Quando Episcopus conclusionem ultimæ Secretæ dicit, Presbyter assistens claudit Missale illudque tradit ministro ; et sumit de medio Altaris Canonem, quem ponit super legile, indicans mox Episcopo Præfationem.

14. Ad Consecrationem Presbyter assistens indicat in Canone Episcopo omnia quæ legenda sunt ; genu utrumque flectit tantum quando Episcopus, prolatis verbis Consecrationis, genuflectit pro adoratione S. Hostiæ ; genuflexus remanet usque dum Episcopus ab altera genuflexione post Elevationem surgit, tunc et ipse assurgit ; idem observat ad Consecrationem et Elevationem S. Sanguinis.

15. Presbyter assistens observat omnia quæ præscribuntur in § præcedenti (112), nn. 15 ad 18, excepto quod post datam pacem in Choro, revertens ad sinistram Episcopi, non dat pacem Diacono, ut dicitur n. 18 : iste enim pacem ab Episcopo jam accepit. — Quod si clerus in Choro non adsit, Presbyter assistens, accepta pace ab Episcopo, genu dextrum flectit, et redit immediate ad sinistram Episcopi, ubi iterum genu dextrum flectit.

16. Dum Episcopus pollices et indices abluit super calicem, Presbyter assistens reponit Canonem de legili super Altare in medio apertum, et Missale accipit a ministro illudque reponit super legile apertum ad Antiphonam *Communio* ; transfert mox legile cum Missali de cornu Evangelii ad cornu Epistolæ, genu dextrum flectens cum transit in medio ante Crucem Altaris. Deposito legili, quando Episcopus lavat manus, Presbyter assistens accedit ad ejus dexteram, et porrigit ipsi mantile ; recepto mantili, et ablata per Diaconum mitra, ad dexteram Episcopi indicat ipsi Antiphonam *Communio* ; remanet ipse ad Missale et indicat postea Postcommunionem, vel Postcommuniones.

17. Dicta ab Episcopo ultima Postcommunione, Presbyter assistens claudit librum, et relinquit ministro ; remanet in cornu Epistolæ usque dum Diaconus cantaverit : *Ite missa est* ; tunc transit ad cornu Epistolæ, genu dextrum flectens retro post Episcopum cum transit ante medium Altaris.

18. Si in fine aliud Evangelium legendum est quam Initium

Evangelii secundum Joannem, Presbyter assistens non claudit Missale post Orationes, sed præparat Evangelium legendum ; et postquam Diaconus cantavit : *Ite missa est*, ipse transfert Missale ad cornu Evangelii, genu dextrum flectens cum transit retro post Episcopum ante Crucem Altaris.

19. Ad benedictionem Episcopi, Presbyter assistens non stat ante Episcopum medius inter Diaconum et Subdiaconum, sed retrahit se ad cornu Evangelii extra suppedaneum, et conversus ad Episcopum genu utrumque flectit in ora suppedanei. Deinde assurgit, et ad lectionem Evangelii stat ad sinistram Episcopi ; respondet Episcopo, se signat, genu dextrum flectit simul cum Episcopo, et in fine respondet : *Deo gratias*. Si Evangelium fuit dictum e Missali, eo dicto claudit librum quem relinquit ministro.

20. Lecto Evangelio. Presbyter assistens sequitur Episcopum ad medium Altaris, et imposita ibi per Diaconum mitra Episcopo, Presbyter assistens locum mutat cum Diacono, et ideo, nulla tamen facta reverentia, de sinistra Episcopi transit ad ejus dexteram ; ibi simul cum Episcopo caput profunde inclinat Cruci, et per sinistram conversus, cum ipso descendit de Altari, et ante infimum gradum convertit se ad Altare.

21. Supposito quod Episcopus paramenta sacra exuit in sacrario, Presbyter assistens, ante gradus Altaris conversus ad Altare, ad dexteram Episcopi genu dextrum flectit in plano, assurgit, convertit se per sinistram : et clerum in Choro congregatum salutat, simul cum Episcopo, prius a parte Evangelii, dein a parte Epistolæ, et caput bireto cooperit : tunc iterum locum mutat cum Diacono, de sinistra Episcopi retro post ipsum transiens ad ejus dexteram, et manibus junctis revertitur ad sacristiam, procedens ad Episcopi dexteram. In sacristia salutat cum Episcopo Crucem vel imaginem sacristiæ, et sedente Episcopo pro depositione paramentorum, ipsum salutat una cum Diacono et Subdiacono. Deinde Presbyter assistens recedit et deponit pluviale et amictum ; postea dum Episcopus dicit preces gratiarum actionis et deponit caligas et sandalia, ipse stat detecto capite ad Episcopi sinistram.

22. Supposito quod Episcopus paramenta sacra exuit ad Altare, Presbyter assistens, ante gradus Altaris conversus ad Altare, ad dexteram Episcopi genu dextrum flectit in infimo gradu, et salutato dein Choro ut supra n. 21 dicitur, accedit cum Episcopo ad faldistorium. Sedente Episcopo, Presbyter assistens stans ante ipsum ad dexteram Diaconi salutat eum ; deinde recedit ad credentiam et exuit pluviale et amictum ; quo facto accedit ad scamnum, ubi detecto capite stat versus sinistram Episcopi, interim dum Diaconus et Subdiaconus Epi-

scopum sacris paramentis exuunt. Quando Episcopus manteletto indutus assurgit, Presbyter assistens ad ejus sinistram accedens, biretumque manibus ante pectus tenens, cum Episcopo de faldistorio procedit ad Altare; ante gradus Altaris ad sinistram Episcopi manens genu utrumque flectit in plano, interea dum Episcopus in infimo gradu genuflexus aliquantum orat; surgente Episcopo assurgit ipse, mox genu dextrum flectit in plano, dum Episcopus Crucem Altaris salutat: et per sinistram conversus ad Chorum, salutat una cum Episcopo clerum, prius a parte Evangelii, dein a parte Epistolæ; mox accedit ad Episcopi sinistram, et biretum manibus ante pectus tenens, reducit Episcopum ad sacristiam. Ibi cum ipso salutat Crucem vel imaginem sacristiæ, et dum Episcopus sedens dicit preces gratiarum actionis et deponit caligas et sandalia, ipse stat detecto capite ad Episcopi sinistram.

CAPUT IV

DE OFFICIO CELEBRANTIS IN MISSA SOLEMNI ANTE SS. SACRAMENTUM EXPOSITUM

(114) — Conferatur Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Liber II, Sectio II, Appendix V, QQ. 307-318.

Sequentia ulterius notanda veniunt pro fine Missæ.

1. Lecto ultimo Evangelio, Celebrans accedit ad medium Altaris, genu dextrum flectit, et per dexteram suam conversus, descendit ante infimum Altaris gradum: faciem convertit ad Altare.

2. Si SS. Sacramentum remanet expositum, Celebrans cum Ministris sacris genuflectit in plano, utroque genu, cum profunda capitis inclinatione; quo facto, ad sacristiam revertitur; cum extra conspectum SS. Sacramenti pervenit, accipit a ministro biretum, et caput cooperit.

3. Si vero repositio, aut Processio fiat statim finita Missa, tunc post lectum Evangelium, Celebrans accedit ad Altaris medium, genu dextrum flectit in suppedaneo, et cum Ministris sacris directe tendit per gradus laterales a parte Epistolæ ad scamnum; ibi deponit planetam et manipulum, et accipit pluviale. Revertitur tunc cum Ministris sacris per planum ante medium Altaris; genuflectit utroque genu in plano, et caput profunde inclinat; assurgit, et mox, sine capitis inclinatione utroque genu in infimo gradu genuflectit. Pro ritu Benedictionis servat deinde ea quæ præscribuntur in Tractatu de admi-

nistratione Sacramentorum, QQ. 184 et 185, ut infra notatur. Capite VIII, (118). Si sequitur Processio observat ea quæ describuntur postea Capite XVII, (128), hujus Tractatus.

Nota. I Supra descriptum modum agendi in casu repositionis, aut Processionis post Missam, proponunt « *Commentaria ad Instructionem Clementis XI pro expositione SS. Sacramenti in forma XL Horarum* », quæ laudantur N. (49) hujus Tractatus, in Prænotato IV. Nuper vero hac super re prodiit sequens Decretum S. Rituum Congregationis : Ad dubium : « An post Missam solemnem, qua finita, benedictio cum SSmo Sacramento datur, dum Celebrans et Ministri recedunt ab Altari ad scamnum in cornu Epistolæ, ut ibi Celebrans exuat casulam et manipulum induatque pluviale, ac Ministri manipulos deponant, debeant coram SSmo Sacramento discooperto in ipso Altari, ubi Missa celebrata est, in plano utroque genu flectere, aut unico genu in gradu infimo Altaris ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Juxta praxim Ecclesiarum Urbis in plano utroque genu flectitur. » (Decret. 24 Novembris 1899, n. 4048, ad 5.)

Nota. II. Non licet Celebranti, benedictionem in fine Missæ daturo cum SS. Sacramento exposito, retinere casulam cum manipulo ; sed debet assumere pluviale. (Decret. S. Rituum Congregationis, 6 Februarii 1892, n. 3764, ad 8.)

CAPUT V

DE OFFICIO CELEBRANTIS IN MISSA SOLEMNI PRO DEFUNCTIS, ET IN ABSOLUTIONE

(115) — Pro Missa solemni de *Requiem*, conferatur Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Liber II, Sectio II, Appendix IV, QQ. 305, 306.

Pro Absolutione, conferatur Tractatus de administratione Sacramentorum, Titulus VI, Caput I, Articulus IV, pro Absolutione ad feretrum, præsente corpore (QQ. 264-270) ; et Caput II, pro Absolutione facienda, absente corpore, vel ad tumulum in ecclesia erectum, vel super pannum nigrum ante gradus Altaris extensum (QQ. 277-288).

CAPUT VI

DE OFFICIO CELEBRANTIS AD CONCIONEM POST EVANGELIUM

(116) — 1. Celebrans, si ipse concionem habet, postquam incensatus fuit a Diacono post Evangelium, in cornu Epistolæ convertit se versus medium Altaris, caput inclinat, et per dexteram suam descendit de suppedaneo ad scamnum ; ibi deponit manipulum et casulam ; de scamno procedit ad planum ante medium Altaris, caput inclinat Cruci, vel genu dextrum flectit in infimo gradu, si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, accipit biretum, caput cooperit, et manibus junctis procedit ad cathedram.

2. Post concionem, accedit ad Altare, ante infimum gradum detegit caput, biretumque tradit ministro ; caput inclinat Cruci, vel genu dextrum flectit in infimo gradu, si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, et mox accedit ad scamnum, ubi resumit casulam et manipulum ; cum Diacono et Subdiacono accedit ad Altare per planum, ante medium Altaris caput inclinat Cruci, vel in infimo gradu genu dextrum flectit, si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, et mox ascendit ut Missam pergat.

3. Si ipse concionem non habet, Celebrans post incensationem accedit ad scamnum ut supra n. 1, et sedet ibi cooperto capite. Si in alio loco concionem auditurus est, postquam fuerit incensatus a Diacono post Evangelium, accedit ad medium Altaris, caput inclinat Cruci, descendit ad planum ante medium, caput inclinat Cruci, vel genu dextrum flectit in infimo gradu, si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, acceptoque bireto et cooperto capite, accedit ad locum præparatum, incedens post Diaconum ; sedet ibi cooperto capite inter Diaconum et Subdiaconum.

4. Caput detegit Celebrans, cum fit signum Crucis, et enuntiatur sacer textus concionis, ac quoties proferuntur sacra nomina *Jesu* et *Mariæ*.

5. Post concionem, Celebrans cum Diacono et Subdiacono de scamno accedit ad planum ante Altare, sicut alias post sessionem, et facit ut supra n. 2. Si in alio loco concionem audivit, hac terminata, cooperto capite accedit ad Altare eodem modo quo discessit ; ante gradus Altaris deponit biretum, caput inclinat Cruci, vel genu dextrum flectit in infimo gradu, si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, et mox ascendit ad Altare.

CAPUT VII

DE OFFICIO CELEBRANTIS IN MISSA SOLEMNI, AD CLERI POPULIQUE COMMUNIONEM

(117) — 1. Post sumptionem S. Sanguinis, Celebrans deponit Calicem super corporale, non in medio, sed aliquantum a parte Evangelii, et statim jungit manus. Cum Diaconus Tabernaculum aperit, Celebrans genu dextrum flectit, et statim assurgit : cum Diaconus extraxit Pyxidem e Tabernaculo eamque aperuit, Celebrans genu dextrum flectit, assurgit, et statim convertit se ad populum extra medium Altaris a parte Evangelii : cum Diaconus recitavit vel cantavit : *Confiteor, etc.,* Celebrans dicit: *Misereatur, etc.,* et omnia peragit quæ pro distributione S. Communionis describuntur in Tractatu de administratione Sacramentorum (Titulus IV, Sectio III, Caput III, QQ. 195-203), et in Tractatu de Celebratione Missæ (Liber II, Sectio III, Appendix I, § 4, Q. 331).

2. Si Diaconus et Subdiaconus sumpturi sunt S. Eucharistiam, Celebrans ipsos communicat ad Altare, ubi in extremo suppedaneo ante ipsum genuflexi sunt : si alii de clero præsenti etiam sumpturi sunt S. Eucharistiam, Celebrans eos itidem ad Altare, post Ministros sacros, communicat : etenim Diaconus et Subdiaconus, ratione ministerii sui, semper communicant primi, etiamsi communicarent alii Sacerdotes dignitate superiores ; si dein laicis distribuenda est sacra Communio, id consueto modo fiet ad cancellos Presbyterii.

Nota. Cum Celebrans Sacerdos sacram Communionem distribuit, non licet Diacono tenere Pyxidem, nec Subdiacono tenere patenam, quemadmodum fit Episcopo celebrante. (Decret. S. Rituum Congregationis, 13 Junii 1676, n. 1572, antiq. 2791, ad 2.) Attamen in Communione generali potest Diaconus, si mos erit, patenam mento communicantium supponere, incedendo ad dexteram Celebrantis. (Cfr. (87), n. 4, Nota.)

3. Finita distributione, Celebrans revertitur ad Altare, deponit sacram Pyxidem, et genu dextrum flectit ac assurgit, si Hostiæ remanent ; Diaconus claudit Pyxidem eamque reponit in Tabernaculum ; antequam hoc claudatur, Celebrans iterum genuflectit. Si alius Sacerdos Pyxidem delaturus est ad aliud Altare, antequam auferatur, etiam genu dextrum flectit Celebrans.

4. Pro aliis casibus, conferatur Tractatus de Celebratione Missæ, loco supra citato.

CAPUT VIII

DE OFFICIO CELEBRANTIS IN EXPOSITIONE ET BENEDICTIONE SS. SACRAMENTI

(118) — Conferatur Tractatus de administratione Sacramentorum, Titulus IV, Sectio II, Caput III, Q. 181, pro ritu expositionis ; et QQ. 184 et 185, pro ritu Benedictionis et repositionis SS. Sacramenti.

CAPUT IX

OBSERVANDA A CELEBRANTE PRO REVERENTIIS PRÆSTANDIS, TUM INTER EUNDUM AD ALTARE, TUM CLERO IN CHORO

§ 1. Reverentiæ præstandæ inter eundum ad Altare

(119) — Celebrans observabit diversas reverentias, capitis inclinationes nempe vel genuflexiones, quæ præscribuntur pro casuum diversitate in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii, QQ. 186-189 ; sed memor erit animadversionis quæ notatur ibidem, QQ. 190 et 191, pro casu quo ipse calicem non deferat, qui casus habetur in celebratione Missæ solemnis ; ideoque pro quacumque reverentia præstanda, sive sit capitis inclinatio sive genuflexio, semper caput deteget.

(Cfr. insuper *Commentaria ad Instructionem Clementis XI,* in Volumine IV Collectionis Decretorum S. Rituum Congregationis, § VII, nn. 4 ad 15.)

§ 2. Reverentiæ clero in Choro præstandæ

(120) — 1. Prænotatur quod reverentiæ clero in Choro congregato non præstantur : 1° exposito SS. Sacramento ; 2° præsente Episcopo proprio ; 3° in Officio Feriæ VI in Parasceven, inde ab adoratione Crucis, usque ad Nonam Sabbati Sancti. — Non omitti debent in Missis de *Requiem.* (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 12 Septembris 1857, n. 3059, ad 27, antiq. 5251, ad 31.)

Celebrans sequentia observabit in Missa solemni.

2. Accedens e sacristia ad Chorum, supposito accessu per portam lateralem a parte Epistolæ, Celebrans Chorum tres quatuorve passus ingressus, subsistit, et cum Ministri omnes a dextris et a sinistris ipsius in linea recta stant, caput detegit, et conversus ad clerum qui remanet in Choro a parte Epistolæ, parva capitis inclinatione ipsum salutat ; paulum dein progreditur cum Ministris, non tamen usque ad medium presbyterii, et iterum subsistens, salutat eodem modo clerum a parte Evangelii remanentem ; biretum mox capiti imponit, et junctis manibus, progreditur cum Ministris versus Altare.

3. Post sessiones, quando de scamno revertitur ad Altare, priusquam ad illud accedat, manibus junctis, progreditur, cum Diacono a dextris et Subdiacono a sinistris, tres quatuorve passus quasi versus clerum qui est a parte Epistolæ, et subsistens, parva capitis inclinatione ipsum salutat ; paulum dein progressus, non tamen usque ad medium presbyterii, iterum subsistens, salutat eodem modo clerum a parte Evangelii : dein progreditur cum Ministris versus Altare.

4. Finita Missa, Celebrans ante gradus Altaris caput inclinat Cruci, vel genu dextrum flectit versus Tabernaculum ante infimum gradum Altaris ; accipit biretum, illudque manibus tenet ante pectus ; per dexteram suam convertit se ad clerum qui est a parte Evangelii, eumque parva capitis inclinatione salutat ; procedit dein cum Ministris tres quatuorve passus, et subsistens salutat eodem modo clerum qui est a parte Epistolæ : caput bireto cooperit, et manibus junctis, progreditur post Diaconum versus sacristiam.

Nota. I. Ordo salutationum ad clerum supra descriptus, in quo præscribuntur faciendæ in quibusdam casibus prius a parte Epistolæ dein a parte Evangelii, in alio casu vero prius a parte Evangelii dein a parte Epistolæ, pro casuum diversitate, observatur semper idem, etiamsi dignior in Choro præsens non adstet in parte prius assignata.

Nota. II. Super quæstione, an in accessu primo ad Altare ante Missam, et in recessu ultimo post Missam, reverentiæ faciendæ sint prius Altari, dein Choro, vel an potius Choro prius, deinde Altari, videri possunt Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 369.

CAPUT X

DE OFFICIO CELEBRANTIS IN FESTO PURIFICATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS

(121) — Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, QQ. 327, Nota ; 330, II, B ; 332, 333 ; 352, I ; et in præsenti Tractatu, Series II Instructionum, Caput IX, § 1, (30).

1. Celebrans pro benedictione Candelarum paratus erit amictu, alba, cingulo, ac stola et pluviali violacei coloris.

2. Accedit de sacristia ad Altare, medius inter Ministros sacros qui tenent fimbrias pluvialis, et præmissis salutationibus ad clerum in Choro præsentem, uti in præcedenti Capite IX, (120) notatur, ante Altaris gradus in medio caput profunde inclinat Cruci, aut si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, genu dextrum flectit in plano coram Tabernaculo. — Si est dies Dominica, statim fit aspersio aquæ benedictæ, quemadmodum describitur supra, Capite I, (107). — Celebrans ascendit ad Altare, et osculatur illud in medio, extensis super mensam manibus ; mox manibus junctis, absque ulla reverentia accedit ad cornu Epistolæ, et stat versus ad Missale.

3. Manibus junctis, cantat in tono Orationis Missæ ferialis, et ad Missale conversus remanens : *Dominus vobiscum*, et quinque Orationes ; facit inclinationes consuetas ad *Oremus*, et ad nomina *Jesu* et *Mariæ*, sed manus numquam extendit, nequidem ad verbum *Oremus* ; ad signa Crucis indicata in Missali imponit sinistram super Altaris mensam, et dexteram extendit versus Candelas positas in mensa in plano a parte Epistolæ, signumque Crucis super eas efficit.

4. Finitis Orationibus, Celebrans remanens in cornu Epistolæ, convertit se versus Thuriferarium stantem ad cornu Epistolæ, accipit cochlear a Diacono qui osculatur manum, et imponit incensum, dicens formulam solitam : *Ab illo benedicaris, etc.* ; reddito cochleari, sinistram ponit super Altaris mensam, et dextera benedicit incensum.

5. Convertit se ad Candelas, accipit a Diacono aspersorium, et statim aspergit Candelas, primum in medio, dein ad sinistram suam, et tertio ad dexteram suam, dicens interea clara voce Antiphonam : *Asperges me..... nivem dealbabor*, sine Psalmo. Reddito aspersorio, accipit a Diacono thuribulum, et trino ductu eodem modo quo aspersit, adolet Candelas incenso ; reddit Diacono thuribulum. Diaconus tradens aut acci-

piens aspersorium et thuribulum, semper osculatur Celebrantis manum, modo consueto.

6. Quo facto, Celebrans, manibus junctis, convertit se ad Altare, et statim accedit ad medium ; ibi mox sine reverentia per dexteram suam convertit se ad populum, et stat in medio suppedanei renes Altari vertens. Dignior ex clero Presbyter ascendit ad Altare, et stans ante Celebrantem accipit a Ministro Candelam, eam deosculatur, et mox tradit Celebranti sine osculo manus Celebrantis ; Celebrans, sinistra pectori apposita, dextera accipit Candelam, eam reverenter osculatur, et tradit statim Diacono.

7. Celebrans deinde, sinistra ad pectus apposita, accipit dextera a Diacono aliam Candelam, et mox illam tradit eidem digniori Presbytero a quo ipse primam acceperat ; a ministro dein accipit successive duas Candelas, quas tradit Diacono et Subdiacono paratis ; deinde a Diacono accipit successive et alias Candelas, quas distribuit Clericis singulatim per ordinem. Omnes accedunt ad Altare, genuflectunt in ora suppedanei, et genuflexi osculantur Candelam primum, dein manum Celebrantis, interea dum dextera Candelam accipiunt. Celebrans dextera ita porrigit singulis Candelam, ut possint facile Candelam et manum deosculari. — Si populo distribueret Candelas Celebrans, id facit non ad Altare, sed ad balaustrium in ingressu presbyterii ; ideoque post distributionem factam Clericis, descendit de Altari, ante gradus convertit se ad Altare, caput profunde inclinat Cruci, vel si habetur in Altari Tabernaculum SS. Sacramenti, genu dextrum flectit in infimo gradu, et accedit cum Ministris sacris ad balaustrium.

Nota. Regula generalis est quod cum a Celebrante aliquid recipitur, primo a recipiente osculanda est manus Celebrantis, deinde res quæ recipitur (cfr. Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. XVIII, n. 16). Hic tamen præscribitur prius osculandam esse Candelam quæ recipitur, dein manum Celebrantis ; ratio est quia Candela est benedicta.

8. Finita distributione, Celebrans, si stat ad Altare, convertit se ad Altare, et sine ulla reverentia accedit ad cornu Epistolæ, ubi in suppedaneo remanens, lavat manus quemadmodum alias in Missa, nihil dicens ; dein stat eodem loco conversus ad Missale. - Si de Altari descendit pro distributione populo facienda, hac facta, accedit cum Ministris ante gradus Altaris, caput profunde inclinat Cruci, aut si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, genu dextrum flectit in infimo gradu, et mox accedit ad planum a parte Epistolæ, ubi lavat manus ; quo facto, ascendit a latere ad cornu Epistolæ, et ibi stat conversus ad Missale.

9. Junctis manibus, Celebrans cantat : *Oremus,* et Orationem, tono feriali. Si fuerit post Septuagesimam, et non dies Dominica, dicto *Oremus,* Celebrans exspectat, donec Diaconus cantaverit : *Flectamus genua,* et Subdiaconus : *Levate,* deinde cantat Orationem. Celebrans solus non genuflectit, sed manet erectus ad hæc Diaconi verba.

10. Post Orationem, Celebrans imponit incensum, et benedicit, eodem modo qui describitur supra n. 4 ; quo facto, convertit se ad Altare, et mox accipit dextera Candelam a Diacono qui manum osculatur ; sinistram pectori applicat.

11. Postquam Diaconus cantaverit : *Procedamus in pace,* et Chorus responderit : *In nomine Christi. Amen,* innuente Cæremoniario, Celebrans accedit ad Altaris medium, et absque ulla reverentia convertit se per dexteram suam, et descendit ante gradus Altaris ; ibi se convertit ad Altare, et caput profunde inclinat Cruci, aut si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, genu dextrum flectit in infimo gradu ; mox Candelam e dextra transmittit in sinistram, et dextera accipit a Diacono biretum ac cooperit caput ; dein Candelam iterum tenet dextera, et convertens se per dexteram suam, sequitur ultimo loco clerum ad Processionem. Diaconus procedit ad sinistram Celebrantis.

12. In Processione cum cantantur nomina sacra *Jesu* et *Mariæ* , Celebrans, accepta Candela in manu sinistra, dextera caput nudat. Finita Processione, Celebrans procedit usque ante Altaris gradum infimum, caput nudat et biretum tradit Diacono, et tenens dextera Candelam, caput profunde inclinat Cruci, aut si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, genu dextrum flectit in infimo gradu, ac mox accedit ad scamnum in parte Epistolæ.

13. Tradit Candelam Diacono, deponit pluviale et stolam violacei coloris, et accipit paramenta albi coloris, manipulum scilicet, stolam et planetam. Osculatur stolam et manipulum. Accedit mox ad Altare, modo consueto, ut incipiat Missam.

Si Missa celebraretur de Dominica privilegiata, Celebrans, deposito pluviali et retenta stola, accipit manipulum quem osculatur, et planetam violacei coloris.

14. Si Missa cantatur de Festo Purificationis B. Mariæ Virginis, Celebrans, ad cantum Evangelii conversus ad Diaconum, accipit a ministro Candelam eamque tempore cantus Evangelii tenet dextera, sinistra interea pectori apposita. Post Evangelii cantum, reddit Candelam ministro, antequam ipse osculatur Evangelii textum.

Si Missa celebratur de Dominica privilegiata, Celebrans ad cantum Evangelii non tenet Candelam.

15. Notare juvat, quod idem Celebrans qui Candelas benedixit cantare debet Missam post Processionem. Ab hac lege excipitur tantum Episcopus Ordinarius. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 327, Nota.)

CAPUT XI

DE OFFICIO CELEBRANTIS IN FERIA IV CINERUM

(122) — Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, QQ. 327, Nota ; 330, II, B ; 333 ; et in præsenti Tractatu Series II Instructionum, Caput IX, § 2, (31).

1. Celebrans pro benedictione cinerum paratus erit amictu, alba, cingulo, ac stola et pluviali violacei coloris.

2. Accedit de sacristia ad Altare, medius inter Ministros sacros qui tenent fimbrias pluvialis, et præmissis salutationibus ad clerum in Choro præsentem, uti notatur Capite IX, (120), ante Altaris gradus in medio caput profunde inclinat Cruci, aut si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, genu dextrum flectit in plano ; ascendit ad Altare, et osculatur illud in medio, extensis super mensam manibus ; mox manibus junctis, absque ulla reverentia accedit ad cornu Epistolæ, et stat versus ad Missale.

3. Manibus junctis, legit Antiphonam *Exaudi nos, etc.*, interea dum hæc a Choro cantatur. Deinde, manibus junctis, cantat in tono Orationis Missæ ferialis, et ad Missale conversus remanens : *Dominus vobiscum*, et quatuor Orationes ; facit inclinationes consuetas ad *Oremus*, et ad nomen *Jesu* in conclusione ultimæ Orationis, sed manus numquam extendit, nequidem ad verbum *Oremus* ; ad signa Crucis indicata in Missali, imponit sinistram super Altaris mensam, et dexteram extendit versus cineres positos in vase super Altaris mensam in cornu Epistolæ prope Missale, signumque Crucis super eos efficit.

4. Finitis Orationibus, Celebrans remanens in cornu Epistolæ, convertit se versus Thuriferarium stantem ad cornu Epistolæ, accipit cochlear a Diacono qui osculatur manum, et imponit incensum, dicens formulam solitam : *Ab illo benedicaris, etc.* ; reddito cochleari, sinistram ponit super Altaris mensam, et dextera benedicit incensum.

5. Convertit se ad cineres, accipit a Diacono aspersorium, et statim aspergit cineres, primum in medio, dein ad sinistram suam, et tertio ad dexteram suam, dicens interea clara voce

Antiphonam : *Asperges me.... nivem dealbabor*, sine Psalmo. Reddito aspersorio, accipit a Diacono thuribulum, et trino ductu eodem modo quo aspersit, adolet cineres incenso ; reddit Diacono thuribulum. Diaconus tradens aut accipiens aspersorium et thuribulum, semper osculatur Celebrantis manum, modo consueto.

6. Quo facto, Celebrans, manibus junctis, accedit ad medium Altaris ; ibi mox sine reverentia per dexteram suam convertit se ad populum, et stat in medio suppedanei renes Altari vertens. Dignior ex clero Presbyter ascendit ad Altare, et stans ante Celebrantem accipit e vasculo cum cineribus quod præsentat Diaconus cineres ; Celebrans statim profunde inclinatur coram Presbytero, et cineres ab eo super caput recipit.

7. Celebrans mox se erigit, et sinistra pectori apposita, dextera accipit e vasculo quod tenet Diaconus cineres, ac eos imponit capiti Presbyteri, a quo ipse accepit ; deinde, dum vasculum tenet aliquis minister, imponit cineres Diacono et Subdiacono ; mox, Diacono iterum tenente vasculum, imponit eos Clericis singulatim per ordinem. — Si populo distribueret cineres Celebrans, id faceret non ad Altare, sed ad balaustrium in ingressu presbyterii ; ideoque post distributionem factam Clericis descendit de Altari, sinistram pectori applicans, dexteram vero tenens ante pectus ; ante gradus convertit se ad Altare, caput profunde inclinat Cruci, aut si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, genu dextrum flectit in infimo gradu, et accedit cum Ministris sacris ad balaustrium.

8. Pro impositione cinerum Celebrans sequentia observat : accipit e vasculo aliquantulum cinerum extremis digitis pollice, indice et medio dextræ manus ; spargit eos in modum Crucis super caput, dicens interea : *Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris*. Pars capitis in qua sunt spargendi cineres, est, pro Clericis, tonsura, ex usu in his locis vigente, pro laicis, frons prope capillos. Omnes, Celebrante et in Ecclesia Cathedrali Canonicis exceptis, accipiunt cineres genuflexi.

9. Finita distributione, Celebrans, si stat ad Altare, convertit se ad Altare, et sine ulla reverentia accedit ad cornu Epistolæ, ubi in suppedaneo remanens, lavat manus quemadmodum alias in Missa, nihil dicens ; dein stat eodem loco conversus ad Missale. — Si de Altari descenderit pro distributione populo facienda, hac facta, accedit cum Ministris ante gradus Altaris, caput profunde inclinat Cruci, aut si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, genu dextrum flectit in infimo gradu, et mox accedit ad planum a parte Epistolæ, ubi lavat manus ; quo facto, ascendit a latere ad cornu Epistolæ, et ibi stat conversus ad Missale.

10. Junctis manibus, Celebrans ad Missale conversus remanens cantat : *Dominus vobiscum. Oremus,* et Orationem, tono feriali.

11. Post Orationem, Celebrans caput profunde inclinat versus Crucem Altaris, et cum Ministris descendit ad scamnum ; deponit pluviale, et accipit manipulum et planetam violacei coloris. Osculatur manipulum. Accedit mox ad Altare, modo consueto, et incipit Missam.

12. In Tractu, cum legit ℣. *Adjuva nos, Deus, etc.*, Celebrans non genuflectit ; sed postquam legerit Evangelium statim accedit ad Altaris medium, et quando tunc a Choro cantatur hic Versus, Celebrans per dexteram suam conversus cum Ministris sacris descendit ad gradum suppedaneo proximum, et ante Altaris medium in extremo suppedaneo genua flectit. Cantato hoc Versu, assurgit, ascendit ad Altare, et imponit incensum pro cantu Evangelii.

Nota. Cantores aliquantum protrahant cantum præcedentium versiculorum Gradualis et Tractus, ut Celebrans possit legere Evangelium, antequam genua flectat ad ℣. *Adjuva nos, Deus, etc.* ; aut non incipiant cantum hujus Versus antequam Celebrans sit genuflexus.

13. Postquam cantaverit omnes Postcommuniones, Celebrans cantat consueto modo : *Oremus*, deinde exspectat aliquantulum, donec Diaconus cantaverit : *Humiliate capita vestra Deo*, et ad hæc verba caput profunde inclinat versus Crucem Altaris ; quo facto, Celebrans cantat Orationem quæ inscribitur : *Super populum.*

14. Notare juvat, quod idem Celebrans qui cineres benedixit et distribuit cantare debet Missam post distributionem. Ab hac lege excipitur tantum Episcopus Ordinarius. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 327, Nota.)

CAPUT XII

DE OFFICIO CELEBRANTIS IN DOMINICA PALMARUM

(123) Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, QQ. 327, Nota ; 330, II, B ; 332 ; 333 ; 352, II ; et in præsenti Tractatu Series II Instructionum, Caput IX, § 3, (32).

1. Celebrans paratus erit amictu, alba, cingulo, ac stola et pluviali violacei coloris.

2. Accedit de sacristia ad Altare, medius inter Ministros sacros qui tenent fimbrias pluvialis ; et, præmissis salutationibus

ad clerum in Choro præsentem, uti in præcedenti Capite IX, (120), notatur, ante Altaris gradus in medio caput profunde inclinat Cruci, aut si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, genu dextrum flectit in plano; mox fit Aspersio aquæ benedictæ, more solito, ut describitur Capite I, (107), excepto quod non cantatur ℣. *Gloria Patri.*

3. Post Orationem Aspersionis, cum Ministri sacri acceperint manipulum, Celebrans ascendit ad Altare, et osculatur illud in medio, extensis super mensam manibus; mox manibus junctis, absque ulla reverentia accedit ad cornu Epistolæ, et stat versus ad Missale.

4. Dum cantatur a Choro Antiphona : *Hosanna, etc.*, Celebrans eamdem submissa voce legit, manibus junctis. Post Antiphonæ cantum, Celebrans, remanens ante Missale, manibus junctis, et non vertens se ad populum cantat : *Dominus vobiscum, Oremus,* et Orationem in tono feriali. Caput inclinat versus Crucem, cum dicit : *Oremus*, sed non extendit manus.

5. Finita Oratione, Celebrans legit Lectionem, et unum ex duobus Responsoriis; remanens in eodem loco, profunde inclinat corpus ante Altaris cornu, et dicit : *Munda cor, etc.,* et erectus legit ibi Evangelium; quo facto, convertit se ad Subdiaconum genuflexum in ora suppedanei ad dexteram, manum imponit libro, dat benedictionem Subdiacono.

6. Celebrans exspectat paulisper donec accesserit Diaconus ad dexteram pro impositione incensi; conversus ad Thuriferarium imponit incensum modo consueto, dicens : *Ab illo benedicaris, etc.*, illudque benedicit. Convertit se iterum ad Missale. Paulo post, cum Diaconus genuflectit ad sinistram Celebrantis, Celebrans ad ipsum conversus dat benedictionem, uti consueto fit in Missa solemni; quo facto, iterum se convertit ad Missale.

7. Cum Diaconus incipit cantare Evangelium, Celebrans se convertit ad ipsum; post cantum Evangelii, Celebrans osculatur librum quem affert Subdiaconus, dicens : *Per evangelica dicta, etc.,* deinde incensatur a Diacono.

8. Convertit se ad Missale, et manibus semper junctis, cantat in tono Orationis Missæ ferialis : *Dominus vobiscum*, *Oremus*, et Orationem; caput inclinat versus Crucem ad verbum : *Oremus,* et ad signum Crucis indicatum in Missali, imponit sinistram super Altaris mensam, et dextera signum Crucis efficit versus Ramos positos super mensam in plano a parte Epistolæ.

9. Post Orationem, Celebrans, manibus semper junctis, cantat tono feriali Præfationem; in fine, corpore mediocriter inclinato versus Crucem Altaris, voce mediocri dicit Trisagion : *Sanctus,* et cum dicit : *Benedictus, etc.,* erectus Cruce a fronte ad pectus se signat.

10. Finito cantu, Celebrans, manibus junctis, cantat quinque Orationes, observans quæ supra n. 8 dicuntur, et caput profunde inclinans versus Crucem cum dicit nomen *Jesu*.

11. Finitis Orationibus, Celebrans remanens in cornu Epistolæ, convertit se versus Thuriferarium stantem ad cornu Epistolæ, accipit cochlear a Diacono qui osculatur manum, et imponit incensum, dicens formulam solitam : *Ab illo benedicaris, etc.* ; reddito cochleari, sinistram ponit super Altaris mensam, et dextera benedicit incensum.

12. Convertit se ad Ramos, accipit a Diacono aspersorium, et statim aspergit Ramos, primum in medio, dein ad sinistram suam, et tertio ad dexteram suam, dicens interea clara voce Antiphonam : *Asperges me.... dealbabor,* sine Psalmo. Reddito aspersorio, accipit a Diacono thuribulum, et trino ductu eodem modo quo aspersit, adolet Ramos incenso ; reddit Diacono thuribulum. Diaconus tradens aut accipiens aspersorium et thuribulum, semper osculatur Celebrantis manum, modo consueto.

13. Quo facto, Celebrans convertit se iterum ad Missale, et manibus junctis, cantat : *Dominus vobiscum*, *Oremus,* et Orationem, observans quæ supra dicuntur n. 8.

14. Post Orationem, Celebrans manibus junctis accedit ad Altaris medium ; ibi mox sine reverentia per dexteram suam convertit se ad populum, et stat in medio suppedanei renes Altari vertens. Dignior ex clero Presbyter ascendit ad Altare, et stans coram Celebrante, accipit a Ministro Ramum, ipsum deosculatur, et mox tradit Celebranti sine osculo manus Celebrantis ; Celebrans, sinistra pectori apposita, dextera accipit Ramum, quem reverenter osculatur, et tradit statim Diacono.

15. Celebrans deinde, sinistram tenens ad pectus, accipit dextera a Diacono alium Ramum, et mox illum tradit eidem digniori Presbytero a quo ipse primum acceperat ; a ministro dein accipit successive duos Ramos, quos tradit Diacono et Subdiacono paratis ; deinde a Diacono accipit successive et alios Ramos, quos distribuit Clericis singulatim per ordinem. Omnes accedunt ad Altare, genuflectunt in ora suppedanei, et genuflexi osculantur prius Ramum, dein manum Celebrantis, interea dum dextera Ramum accipiunt. Celebrans dextera ita porrigit singulis Ramum, ut possint facile Ramum et manum deosculari. — Si populo Ramos distribueret Celebrans, id facit non ad Altare, sed ad balaustrium in ingressu presbyterii ; ideoque post distributionem factam Clericis, descendit de Altari ante gradus, convertit se ad Altare, caput profunde inclinat Cruci, aut si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, ge-

nu dextrum flectit in infimo gradu, et accedit cum Ministris sacris ad balaustrium.

Nota. Ramum prius osculantur qui ipsum accipiunt, dein manum Celebrantis, quia Ramus est benedictus.

16. Finita distributione, Celebrans, si stat ad Altare, convertit se ad Altare, et sine ulla reverentia accedit ad cornu Epistolæ, ubi in suppedaneo remanens, lavat manus quemadmodum alias in Missa, nihil dicens ; deinde stat eodem loco conversus ad Missale. — Si de Altari descenderit pro distributione populo facienda, hac facta, accedit cum Ministris ante gradus Altaris, caput profunde inclinat Cruci, aut si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, genu dextrum flectit in infimo gradu, et mox accedit ad planum a parte Epistolæ, ubi lavat manus ; quo facto, ascendit a latere ad cornu Epistolæ, et ibi stat conversus ad Missale.

17. Junctis manibus, et ad Missale conversus remanens, Celebrans cantat : *Dominus vobiscum, Oremus,* et Orationem, tono feriali. Post Orationem, imponit incensum et benedicit, eodem modo qui describitur supra n. 11 ; quo facto, convertit se ad Altare, et mox accipit dextera Ramum a Diacono qui manum osculatur ; sinistram pectori applicat.

18. Postquam Diaconus cantaverit : *Procedamus in pace*, et Chorus responderit : *In nomine Christi. Amen*, innuente Cæremoniario, Celebrans accedit ad Altaris medium, et absque ulla reverentia convertit se per dexteram et descendit ante gradus Altaris ; ibi se convertit ad Altare, et, caput profunde inclinat Cruci, aut si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, genu dextrum flectit in infimo gradu ; mox Ramum e dextera transmittit in sinistram, et dextera accipit a Diacono biretum ac cooperit caput ; dein Ramum iterum tenet dextera, et convertens se per dexteram suam, sequitur ultimo loco clerum ad Processionem. Diaconus procedit ad sinistram Celebrantis.

In Processione, cum cantatur nomen *Jesu*, Celebrans, accepto Ramo in manu sinistra, dextera caput nudat.

19. In reversione Processionis, dum duo pluresve Cantores intrant in ecclesiam, clerus remanet extra, et Celebrans cum Diacono stat ultimo loco, in medio ante portam. Post cantum aliquot versuum hymni *Gloria, laus etc.,* præcedentibus Subdiacono et clero, Celebrans intrat, et procedit usque ante Altaris gradum infimum ; caput nudat et biretum tradit Diacono, et tenens Ramum dextera, caput profunde inclinat Cruci, aut si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, genu dextrum flectit in infimo gradu, ac mox accedit ad scamnum in parte Epistolæ.

20. Celebrans tradit Ramum Diacono, deponit pluviale,

accipit manipulum quem osculatur et imponit brachio sinistro, et planetam violacei coloris. Accedit mox cum Ministris sacris ad Altare, modo consueto, ut incipiat Missam. Notare juvat, quod idem Celebrans qui Ramos benedixit cantare debet Missam post Processionem. Ab hac lege excipitur solus Episcopus Ordinarius. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 327, Nota.)

21. In Missa omittitur ante Confessionem Psalmus *Judica* : ad Introitum non dicitur *Gloria Patri, etc.* ; unica tantum dicitur Oratio ; cum Celebrans in Epistola legit verba : *ut in nomine Jesu, etc.*, non genuflectit ; sed postquam legerit Epistolam exspectat, et cum Subdiaconus eadem verba cantat, tunc positis manibus super Altaris mensam, genu dextrum flectit ante Missale ; deinde continuat lectionem Gradualis et Tractus ; remanet ibi ad Missale.

22. Finito Tractu, cum Cantores Passionis incipiunt cantare Passionem, Celebrans accipit Ramum a Diacono qui osculatur ejus manum ; et sinistram ponens super Altaris mensam, ac dextera tenens Ramum ante pectus, incipit et ipse legere Passionem ; non signat librum, neque seipsum ; post verba : *emisit spiritum*, non genuflectit, sed aliquantulum pausat, deinde pergit legere usque ad partem quæ tono Evangelii cantatur ; quum Passionem usque ad illam partem legit, sinistram ponit contra pectus, et tenens Ramum dextera, convertit se ad Cantores, quemadmodum alias ad Evangelii cantum : post verba : *emisit spiritum,* eodem loco versus Cantores genuflectit utroque genu ; post pausam brevem, Celebrans assurgit, et stans remanet conversus ad Cantores.

23. Post cantum prioris partis Passionis, Celebrans tradit Ramum Diacono qui osculatur ejus manum, et mox procedit ad medium Altaris, ubi consueto modo dicit : *Munda cor, etc.* ; cum Subdiaconus transtulit Missale ad cornu Evangelii, Celebrans accedit ad Missale, ut legat ultimam partem Passionis ; non dicit : *Dominus vobiscum,* nec *Sequentia, etc.* ; non signat librum, neque seipsum, sed statim incipit legere : *Altera autem die, etc.* ; post lectionem hujus partis, imponit incensum, et benedictionem dat Diacono ut consueto ; dum Diaconus cantat hanc partem, Celebrans, ad ipsum conversus, accipit a ministro Ramum, quem dextera tenet usque ad finem ; deinde reddito Ramo osculatur librum, et incensatur a Diacono.

24. Posito quod Celebrans et Ministri sacri Diaconus et Subdiaconus Missæ cantant Passionem, Celebrans pro parte sua cantat ea quæ in Missali cruce ✠ signata sunt ; reliqua vero submissa voce legit. Pro ritu servando cfr. Series IV Instructionum, de Officio Diaconi, Caput XIV, Appendix, (94), II.

Posito tandem quod Passio solum legitur a Celebrante, et ultima pars cantatur a Diacono, cfr. ibidem, (94), III.

25. Ad Psalmum *Lavabo*, Celebrans non dicit : *Gloria Patri.*

26. In fine, Celebrans legit Initium Sancti Evangelii secundum Joannem.

27. Reliquæ functiones in hac Missa fiunt ritu consueto.

CAPUT XIII

DE OFFICIO CELEBRANTIS IN FERIA V, IN CŒNA DOMINI

(124) — **Prænotatur** : In Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii exponitur disciplina servanda circa obligationem, liceitatem et modum peragendi functiones Tridui Sacri ; ibi etiam referuntur quædam ex præcipuis S. Rituum Congregationis Decretis super Missis et functionibus Tridui Sacri. (Cfr. ibi QQ. 157-160.) Cfr. etiam in præsenti Tractatu Series II Instructionum, Caput IX, § 5, (34).

1. Pro Missa hujus diei, omnia observat Celebrans quæ pro Missa solemni præscribuntur, sequentibus animadversionibus exceptis.

2. In principio Missæ, ante Confessionem non dicitur Psalmus *Judica.* Dicitur *Gloria in excelsis.*

3. Ad Offertorium, Celebrans offert super patenam duas Hostias majores, et, facto signo Crucis cum patena post oblationem, dextera accipit primo Hostiam Sacrificii, eamque deponit circa medium anterioris partis corporalis ; dein Hostiam reservandam, eamque deponit juxta primam a parte Evangelii. — Si insuper consecrandæ erunt Hostiæ minores pro communione cleri, observat quæ præscribuntur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 327.

4. In Canone Oratio infra actionem : *Communicantes,* et insuper Orationes : *Hanc igitur,* et *Qui pridie*, sunt propriæ. — Pro Hostiarum consecratione, observat Celebrans quæ præscribuntur in Tractatu supra citato, Q. 328. — *Agnus Dei* dicitur de more, sed Pax non datur ; dicuntur tamen tres consuetæ Orationes ante Communionem.

5. Celebrans sumit S. Hostiam Sacrificii, aliamque reservat. Non colligit particulas super corporale ante sumptionem S. Sanguinis. Hoc sumpto, deponit Calicem super corporale versus partem Evangelii, genu dextrum flectit, et in alio Calice quem super corporale sustinet Diaconus, deponit dextera

S. Hostiam reservatam. Diaconus Calicem hunc cooperit palla, patena et velo albo serico quod adstringit vitta.

6. Deposito per Diaconum Calice super corporale et aperta per eumdem Pyxide (cfr. (95), n. 3), Celebrans distribuit S. Communionem ; observat omnia quæ præscribuntur Capite VII, (117). Etiamsi Calix cum S. Hostia remaneat super Altare, Celebrans tamen tempore distributionis S. Communionis clero stat in medio suppedanei, humeris ad Altaris medium versis.

7. Post distributionem S. Communionis, Celebrans colligit particulas super corporale consueto modo, sumit purificationem et ablutionem, et complet Missam. Observat omnia quæ præscribuntur Capite IV, (113), pro Missa celebrata coram SS. Sacramento exposito. Ad initium Evangelii S. Joannis, Celebrans non signat Altare, sed signat tantum seipsum ut consueto.

8. Dicto ultimo Evangelio, Celebrans cum Ministris sacris accedit ad medium Altaris, et genu dextrum flectit (cfr. (82), n. 49) ; de Altari recedit ad scamnum a latere Epistolæ ; stans ad scamnum facie ad Altare conversa, deponit planetam ac manipulum, et induit pluviale ; manibus junctis, accedit cum Ministris sacris ad planum ante Altare ; genuflectit in plano utroque genu cum capitis inclinatione, assurgit, et genu utrumque flectit mox in infimo gradu ; post brevem orationem assurgit, et convertit se ad duos Thuriferarios ; imponit incensum ter in uno thuribulo, et ter in altero, nihil dicens, et absque benedictione ; genu utrumque flectit iterum in infimo gradu, accipit a Diacono thuribulum, caput profunde inclinat, thurificat ter SS. Sacramentum, iterum caput profunde inclinat, et reddit thuribulum Diacono.

9. Celebrans assumit tunc velum humerale, remanet genuflexus in infimo gradu, et ibi a Diacono accipit Calicem ; sinistra velo cooperta tenet Calicem ad nodum, dexteramque velo etiam coopertam ponit super Calicem ; mox assurgit, et per dexteram conversus ad populum, procedit sub baldachino cum Ministris sacris qui tenent fimbrias pluvialis. Tempore Processionis recitat Hymnos et Psalmos, sed sine *Gloria Patri*.

10. Ubi pervenerint ad locum repositionis, Celebrans ante gradus Altaris subsistit, et stans tradit Calicem Diacono genuflexo, qui prius extremitates veli humeralis a Calice retraxit ; mox Celebrans utrumque genu flectit in plano et caput profunde inclinat Sacramento quod Diaconus erectus tenet ; assurgit, deponit velum humerale, et genu utrumque flectit in infimo gradu ; cum Diaconus, deposito Calice in custodia, descendit, Celebrans assurgit, convertit se ad Thuriferarium, imponit incensum in uno thuribulo, nihil dicens, et absque benedictione ; iterum genu utrumque flectit in infimo gradu, et

accepto thuribulo, incensat ter SS. Sacramentum, facta ante et post profunda capitis inclinatione, et thuribulum reddit Diacono.

11. Cum stropha *Genitori* fuerit cantata, Celebrans cum Ministris sacris assurgit, et mox in plano genu utrumque flectit cum capitis inclinatione ; assurgit, et manibus junctis discedit e sacello, medius inter Ministros sacros qui fimbrias pluvialis sustinent ; ubi extra sacellum pervenerit, Celebrans accipit a Diacono biretum, et caput cooperit. Omnes procedunt directe ad sacristiam.

Quoad observationem rubricæ quæ præscribit claudendum esse ostiolum custodiæ in qua deponitur SS. Sacramentum, vide Notam in Serie IV Instructionum, de Officio Diaconi, Caput XV, (95), n. 10.

12. Celebrans in sacristia deponit pluviale et stolam, et assumit stolam violacei coloris, transversando eam ante pectus in modum Crucis ; opportuno tempore, id est, recitatis in Choro Vesperis, vel, si non recitantur publice, statim, e sacrario redit cum Ministris sacris ad Altare majus, pro denudatione ; e sacrario progrediens, cooperto capite, manibus junctis, sequitur Diaconum ; ante Altare deponit biretum, caput profunde inclinat Cruci Altaris, et mox mediocri voce intonat Antiphonam : *Diviserunt sibi, etc.* ; ascendit ad Altare, et adjuvantibus Ministris sacris, tollit tabellas, et successive tres tobaleas, quas statim auferunt ministri ; quo facto, de Altari descendit, caput profunde inclinat Cruci, accipit biretum et caput cooperit ; procedit tum, eodem quo venerat modo, ad aliud Altare, et ad reliqua, quotquot erunt denudanda ; pro quibus idem servatur ut supra, excepto quod in accessu non est intonanda Antiphona.

Si plura Altaria erint denudanda, ordo servatur ut prius denudentur ea quæ sunt a parte Evangelii, respectu Altaris majoris, et ultimo quæ sunt a parte Epistolæ.

Si non adsunt clerici qui recitant Antiphonam *Diviserunt,* et Psalmum *Deus, Deus meus,* Celebranti assistunt Ministri sacri, tenentes librum.

13. Denudatis omnibus Altaribus, Celebrans cum Ministris sacris revertitur ad sacristiam, ubi deponit paramenta sacra.

14. Nota. SS. Sacramentum in Pyxide servatum in Tabernaculo Altaris majoris, vel alterius, ibi repositum manere non potest, sed post Missam solemnem et Processionem, deferri debet ad Altare in quo servatur S. Hostia post Missam deposita in custodia, vel in alio loco decente et apto. Defertur autem reverenter ab aliquo Sacerdote induto superpelliceo, stola et velo humerali albi coloris, cum luminibus et sub bal-

dachino ; quod si alius Sacerdos præsto non esset, id facere deberet Celebrans, immediate post Processionem, ante Altarium denudationem ; in quo casu, retinet pluviale pro delatione SS. Sacramenti.

CAPUT XIV

DE OFFICIO CELEBRANTIS IN FERIA VI, IN PARASCEVE

(125) — Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii QQ. 157-160 ; et in præsenti Tractatu Series II Instructionum, Caput IX, § 6, (35).

1. Celebrans paratus erit amictu, alba et cingulo, ac manipulo, stola et planeta nigri coloris.

2. Hodie non sumitur aqua benedicta ad egressum e sacristia, nec fit signum Crucis. — Omittuntur hodie, inde ab adoratione Crucis, salutationes ad clerum in Choro congregatum.

3. Celebrans procedit ad Altare manibus junctis, sequens Diaconum ; ante gradus Altaris nudat caput, tradit biretum Diacono, et profunde inclinat caput : mox procumbit super gradus Altaris, positis genibus in gradu infimo, capite vero et brachiis super cussino illic parato. Orat prostratus per spatium circiter unius *Miserere*.

4. Facta Oratione, assurgit Celebrans, ascendit ad suppedaneum Altaris, manibus expansis super mensam osculatur Altare in medio, et statim, manibus junctis, sine ulla reverentia, accedit ad cornu Epistolæ, et tenens Missale sicuti cum in Missa legitur Epistola, legit submissa voce Lectionem et Tractum.

5. Post lectionem Tractus, Celebrans jungit manus ante pectus, et post cantum Tractus, retinens manus junctas, cantat : *Oremus,* caput profunde inclinans Cruci Altaris ; non genuflectit cum Diaconus cantat : *Flectamus genua* ; sed postquam Subdiaconus cantavit : *Levate*, Celebrans, manibus junctis, cantat tono feriali Orationem, profunde inclinans caput Cruci ad nomen *Jesu*.

6. Celebrans deinde legit submissa voce Lectionem alteram cum Tractu, tenens Missale sicuti cum in Missa legitur Epistola, et post lectionem Tractus manus ante pectus jungit ; exspectat usque dum cantatus fuerit Tractus.

7. Post Tractum cantatur Passio ; Celebrans in cornu Epistolæ eam legit submissa voce, manibus ante pectus junctis ; non genuflectit post verba : *tradidit spiritum,* sed aliquantum

pausat, dein pergit legere usque ad partem quæ tono Evangelii cantatur; remanens in cornu Epistolæ, corpore profunde inclinato versus medium Altaris, dicit: *Munda cor, etc.*, sed non addit: *Jube*, neque *Dominus sit*; deinde legit ultimam partem Passionis. Cum hæc omnia legerit, Celebrans, manibus semper junctis, convertit se ad Cantores Passionis; post verba: *tradidit spiritum,* eodem loco versus Cantores genuflectit utroque genu; post pausam unius circiter *Pater noster*, assurgit, et remanet conversus ad Cantores.

8. Post cantum prioris partis Passionis, Celebrans convertit se ad Missale; non dat benedictionem Diacono; quando Diaconus incipit cantare ultimam partem, Celebrans convertit se ad ipsum, stans sicut tempore cantus prioris partis; in fine Celebrans non osculatur librum, neque incensatur.

Pro casu quo Diaconus et Subdiaconus hujus diei functioni inservientes cantant cum Celebrante Passionem, conferatur Appendix Capitis XIV, in Serie IV Instructionum, de Officio Diaconi, (94), II.

Casu quo Passionis prior pars solum legitur a Celebrante, tunc post cantum Tractus, Celebrans, in cornu Epistolæ, manibus junctis, legit totam hanc partem; post verba: *tradidit spiritum*, genua flectit ante Missale et pausat aliquantulum; lecta tota hac parte, ibidem in cornu Epistolæ dicit: *Munda cor, etc.*, ut supra n. 7 indicatur; legit ultimam partem, et quando Diaconus ipsam cantat, ad ipsum se convertit.

9. Post cantum Passionis, Celebrans convertit se ad Missale, et incipit cantare Invitationes et Orationes.

Invitationes cantat manibus ante pectus junctis; ad *Oremus*, et ad Orationes manus extendit et jungit, sicut alias id observatur pro Orationibus Missæ solemnis; ad *Oremus,* ad nomen *Jesu*, ad nomen Summi Pontificis, facit inclinationes capitis consuetas.

Invitationes cantat modo præscripto in Missali, Orationes autem in tono feriali Orationis Missæ.

In Missali Romano prima Invitatio tantum cum cantu notatur; eodem modo cantari debent sequentes; ad majorem Celebrantis commoditatem, omnes Invitationes cum cantu describuntur in Missalibus post annum 1884 editis, ubi reperiuntur in fine post Appendices Missarum.

Celebrans non genuflectit, cum Diaconus post *Oremus* cantat: *Flectamus genua*; sed dicto *Oremus*, exspectat donec Subdiaconus cantaverit: *Levate.*

Omittitur Invitatio et Oratio pro Imperio Romano; et post Invitationem ad Orationem pro Judæis non dicitur *Oremus*, sed statim post Invitationem dicitur Oratio.

10. Completis Orationibus, Celebrans, sine ulla reverentia, de cornu Epistolæ per dexteram suam statim descendit de Altari ad planum in parte Epistolæ, et accedit ad scamnum, et ibi deponit casulam.

11. Deposita casula, Celebrans, manibus junctis, accedit ad angulum posteriorem Altaris ad cornu Epistolæ, in plano, et ibi stat facie ad populum versa; accipit mox a Diacono Crucem Altaris, reverenter eam tenens ambabus manibus in parte quæ est sub pedibus Crucifixi, et ita ut Crucifixus sit ad populum versus.

12. Mox, adjuvante Diacono, Celebrans, dextera auferens velum violaceum a parte superiori Crucis, ita ut Crucis transversum remaneat velatum, detegit summitatem Crucis usque ad partem transversam; et ambabus manibus ante pectus Crucem tenens, ita ut transversum Crucis sit elevatum ad altitudinem summitatis capitis, cantat, e libro quem ante ipsum Acolythus tenet, solus, voce gravi, secundum notas in Missali appositas: *Ecce lignum Crucis*; deinde continuat cantare, juvantibus Ministris qui circumstant: *in quo salus mundi pependit.* Celebrans tunc remanet solus erectus; omnes genuflectunt, cantantes: *Venite adoremus,* et statim assurgunt.

13. Post primam hanc adorationem, Celebrans, tenens eodem semper modo Crucem, procedit ad anteriorem partem anguli Altaris in eodem cornu Epistolæ in suppedaneo, et adjuvante Diacono, dextera aufert velum a parte dextra Crucis, ita ut brachium dextrum ac caput Crucifixi detecta sint, brachio sinistro et corpore manentibus velatis; et ambabus manibus ante pectus Crucem tenens ut supra, sed eam aliquantum magis elevans, cantat solus, vocem paulisper altius (semitono) elevando, secundum easdem notas: *Ecce lignum Crucis*; et continuat cum Ministris: *in quo salus mundi pependit.* Iterum remanet Celebrans solus erectus, dum omnes genuflectunt, respondentes: *Venite adoremus.*

14. Tandem Celebrans, tenens Crucem eodem semper modo, procedit ad medium suppedanei ante Altare, et adjuvante Diacono, dextera aufert totum velum a Cruce, ita ut Crux tota et Crucifixus appareant; et ambabus manibus ante pectus Crucem tenens ut supra, sed eam altius quam secundo elevans, cantat solus, vocem iterum semitono elevando: *Ecce lignum Crucis*; et continuat cum Ministris: *in quo salus mundi pependit.* Iterum remanet Celebrans solus erectus, dum omnes genuflectunt, respondentes: *Venite adoremus.*

15. Post tertiam illam adorationem, omnes remanent genuflexi, et Celebrans, solus vel comitante solum Cæremoniario, Crucem, quam ambabus manibus ante pectus elatam ut supra

tenet, devote defert ad locum ante Altaris gradus præparatum; ibi ante pulvinum genu utrumque flectit, et genuflexus deponit Crucem super velum album quod pulvinum contegit; deponit illam tali modo, ut pedes Crucifixi sint versus populum; mox assurgit, genu dextrum ante Crucem flectit, et junctis manibus directe procedit ad scamnum.

16. Ad scamnum Celebrans deponit manipulum; (neque Missale, neque Cæremoniale Episcoporum, neque Memoriale Rituum hoc præscribunt, sed servandum declaravit S. Rituum Congregatio, Decreto 15 Septembris 1736, n. 2326, antiq. 4055, ad 4); sedens deponit calceos, et mox junctis manibus, solus ad Crucem adorandam procedit de scamno usque ante locum præparatum; genua flectit primo ad distantiam sex fere passuum a Cruce; post brevem orationem assurgit, et procedens ad distantiam trium fere passuum, iterum genua flectit; post brevem orationem assurgit, et procedens usque ad pedem Crucis, genua flectit, tum prosternit se, manibus super vel juxta pulvinum positis, et pedes Crucifixi reverenter deosculatur; erigit se a prostratione, accipit a ministro eleemosynam quam dextera offert in lancem juxta pulvinum positam.

17. Assurgit a genuflexione, et junctis manibus, mox genu dextrum flectit ante Crucem, et statim redit directe ad scamnum; sedens reassumit calceos; surgit dein et accipit manipulum et casulam; sedet iterum, caput cooperit bireto, et manus extensas super genua tenet.

18. Cum Ministri sacri redierint ab adoratione Crucis ad scamnum, Celebrans biretum deponit et tradit Diacono; surgit, et stans cum ipsis legit clara voce e Missali Improperia; servabitur pro hac lectione divisio versiculorum, quæ proponitur in *Memoriali Rituum* Benedicti XIII (cfr. Appendix I hujus Tractatus, Tit. V, Cap. II, § II); Celebrans legit ea quæ ibi a Celebrante recitanda proponuntur; Ministri respondent.

Cum Celebrans Improperia legere finivit, si nondum completa est Crucis adoratio, sedet et caput bireto cooperit. Si completa est adoratio antequam legere potuit omnia quæ in Missali proponuntur, cessat a lectione, cum ultimi Crucem adorant; tum sedet, et caput bireto cooperit.

19. Completa Crucis adoratione, ubi Diaconus accedit ad Crucem, Celebrans detegit caput, biretum tradit ministro, surgit; cumque Diaconus Crucem e loco refert ad Altare, Celebrans ante scamnum conversus ad Altare genua flectit, et genuflexus remanet, donec Crux a Diacono fuerit deposita super basim; deinde assurgit.

20. Cum dein ordinatur Processio ad locum ubi pridie SS. Sacramentum fuerat repositum, Celebrans accipit a Diacono

biretum, illudque tenens ante pectus, procedit cum Ministris sacris de scamno ante gradum infimum Altaris ; genu dextrum flectit in infimo gradu, caput bireto cooperit, et manibus junctis, convertit se per dexteram et sequitur Diaconum in Processione.

21. Ubi pervenerit ad aditum sacelli, Celebrans caput detegit et biretum tradit Diacono ; ante gradus Altaris genuflectit utroque genu et caput profunde inclinat, assurgit, et genu utrumque flectit in infimo gradu aliquanto tempore oraturus.

22. Post brevem orationem, Celebrans assurgit, convertit se ad duos Thuriferarios, imponit incensum ter in uno thuribulo, et ter in altero, nihil dicens, et absque benedictione ; genu utrumque flectit iterum in infimo gradu, accipit a Diacono thuribulum, caput profunde inclinat, thurificat ter SS. Sacramentum, iterum caput profunde inclinat, et reddit thuribulum Diacono.

23. Celebrans assumit tunc velum humerale albi coloris, remanet genuflexus in infimo gradu, et ibi a Diacono accipit Calicem ; sinistra velo cooperta tenet Calicem ad nodum, dexteramque velo etiam coopertam ponit super Calicem ; mox assurgit, et per dexteram conversus ad populum, procedit sub baldachino cum Ministris sacris. Tempore Processionis recitat Hymnos et Psalmos, sed sine *Gloria Patri.*

24. Ubi pervenerit ad Altare, Celebrans ascendit usque ad penultimum gradum, et stans tradit Calicem Diacono genuflexo, qui prius extremitates veli humeralis a Calice retraxit ; mox Celebrans utrumque genu flectit in ora suppedanei, et caput profunde inclinat Sacramento quod Diaconus erectus tenet ; assurgit, et per dexteram conversus descendit ante gradum infimum ; deponit velum humerale, et genu utrumque flectit in infimo gradu ; cum Diaconus, deposito Calice super Altare, descendit, Celebrans assurgit, convertit se ad Thuriferarium, imponit incensum in uno thuribulo, nihil dicens, et absque benedictione ; iterum genu utrumque flectit in infimo gradu, et accepto thuribulo, incensat SS. Sacramentum triplici ductu, facta ante et post profunda capitis inclinatione, et thuribulum reddit Diacono.

25. Celebrans ascendit ad suppedaneum, et extensis manibus super Altare extra limites corporalis, genu dextrum flectit, et assurgit ; cum Diaconus dextera tenet Patenam intra limites, seu circa medium corporalis, Celebrans dextera accipit Calicem, sinistra super Altare posita, et prudenter inclinato Calice supra Patenam, effluere facit sacram Hostiam super Patenam ; deponit mox Calicem in medio corporalis, et accipit ambabus manibus a Diacono Patenam ; nihil dicens, et nullum efficiens

signum Crucis cum Patena, mox effluere facit sacram Hostiam de Patena super medium anterioris partis corporalis, ita ut pedes imaginis Crucifixi sint ad Sacerdotem conversi, et posita sinistra super Altare, deponit dextera Patenam juxta Calicem super corporale, ubi remanet detecta. Si tetigerit sacram Hostiam, digitos abluit in aliquo vase parato, et extergit purificatorio. Manus tenet ante pectus junctas, interea dum Diaconus et Subdiaconus imponunt vinum et aquam in Calicem ; nihil dicit, et aquam non benedicit.

26. Accipit deinde Celebrans a Diacono Calicem, dextera ad nodum, sinistra ad pedem, eumque, nihil dicens, et sine signo Crucis, statim deponit in medio corporalis.

27. Mox sine genuflexione conversus ad Thuriferarium, Celebrans imponit ter incensum in thuribulo, nihil dicens, et absque benedictione ; incenso imposito, convertit se ad Altare, sed non genuflectit. Mox accipit a Diacono thuribulum, et nulla præmissa genuflexione incensat oblata, more solito, dicens interea : *Incensum istud, etc.* Post incensationem oblatorum, genu dextrum flectit, assurgit, et stans incensat triplici ductu Crucem Altaris. — Non incensatur hic SS. Sacramentum, quia Ecclesia in hac Feria Crucem speciali cultu veneratur ; ideo Cæremoniale Episcoporum (Lib. II, Cap. XXV, n. 33) dicit Crucem incensari, idque fieri debere declaravit S. Rituum Congregatio, Decreto 13 Augusti 1697, n. 2003, antiq. 3436. — Repetita genuflexione post incensationem Crucis, thurificat Altare, more solito ut in Missa solemni, semper genu dextrum flectens cum transit ante medium ; dicit Orationem : *Dirigatur, etc.*

28. Completa Altaris thurificatione, Celebrans, stans in cornu Epistolæ, reddit thuribulum Diacono, dicens : *Accendat in nobis, etc.* ; ipse non incensatur, sed statim descendit manibus junctis ad planum in parte Epistolæ, et advertens ne tergum vertat Altari, convertit se facie versa ad populum ; ibi, ministrantibus Diacono et Subdiacono, manus lavat, nihil dicens, et extergit manutergio.

29. Celebrans, manibus junctis, ascendit ad Altare per partem Epistolæ, et statim accedit ad medium, ubi, manibus super Altare extra limites corporalis extensis, genu dextrum flectit ; mox erectus a genuflexione, manus junctas ponit super Altaris oram, et corpore mediocriter inclinato, dicit submissa voce : *In spiritu humilitatis, etc.* Hac Oratione dicta, Celebrans, extensis manibus super mensam, ut supra, osculatur Altare (id Missale non expresse dicit, sed præscribit Benedictus XIII, in *Memoriale Rituum,* Tit. V, Cap. II, § IV, n. 12), genu dextrum flectit, et mox, manibus junctis, convertit se per dexteram ad

populum, non in medio, sed a parte Evangelii secedens paulum e medio ; conversus extendit manus, dicens voce media : *Orate fratres*, manusque ante pectus jungens, continuat voce submissa : *ut meum ac vestrum, etc.*, interea se convertens ad Altare, non perficiendo circulum, sed per eamdem viam revertens ; et ante medium Altaris conversus, manibus super Altare ut supra extensis, genu dextrum flectit, assurgit, et manus ante pectus jungit. Non respondetur : *Suscipiat, etc.*

30. Celebrans statim cantat, tono feriali : *Oremus*, caput profunde inclinans, deinde continuat, capite erecto : *Præceptis salutaribus etc.* Cum incipit cantare : *Pater noster, etc.*, manus extendit. Cum Chorus respondet : *Sed libera nos a malo,* Celebrans manus jungit ante pectus, et sub silentio dicit : *Amen.*

31. Celebrans iterum manus extendit, et absolute incipit, tono Orationis Missæ ferialis, Orationem : *Libera nos, etc.* Non se signat Patena. Ad conclusionem manus ante pectus jungit. Chorus in fine respondet, eodem tono : *Amen.*

32. Celebrans, manibus super Altare extra limites Corporalis extensis, genu dextrum flectit, adorans SS. Sacramentum ; erectus, dextera accipit Patenam ad oram, et sinistræ manus indice parum premens super corporale sacram Hostiam, in ea parte qua impressum habetur brachium dextrum Crucifixi, supponit Patenam sub Hostiam a parte brachii sinistri Crucifixi, ac sinistræ manus indice Hostiam accommodat super Patenam ; mox Patenam cum Hostia deponit juxta locum in quo Hostia sacra super corporale fuit deposita ; tunc sinistræ indice et pollice accipit Hostiam in parte superiori, dextera supponit Patenam inter indicem et medium sinistræ, cavens ne sinistra Patenam teneat ab ea parte in qua sacra Hostia posita fuit, et dexteræ indice et pollice accipit Hostiam in inferiori parte ad pedes Crucifixi ; statim dextera elevat sacram Hostiam ita ut videri possit a populo, ducens Hostiam in sublime, in linea recta supra Patenam, quam sinistra retinet super corporalis medium ante Calicem ; oculos interea in sacram Hostiam semper intentos tenet.

33. Post unum vel aliud momentum, sacram Hostiam lente demittit, eadem linea recta ; sed cum pervenit ad altitudinem oræ Calicis, a quo hoc momento Diaconus pallam aufert, Celebrans sinistra deponit Patenam super corporale ad pedem Calicis, a parte Epistolæ, juxta locum in quo Hostia super corporale fuit posita, deinde dextera ducit sacram Hostiam supra Calicis medium, eoque adducit sinistram qua accipit sacram Hostiam ad locum impressi brachii dextri, et dextera relinquens Hostiam ad partem inferiorem eam tenet mox ad locum impressi brachii sinistri. Tunc reverenter et paulatim frangit sacram Hostiam in

duas partes in linea recta per medium ; retenta sinistra cum medietate sacræ Hostiæ super Calicem, reponit dextera fractam partem super medium Patenæ ; frangit deinde dextera a medietate quam sinistra retinuit, particulam a parte inferiori hujus medietatis, et hanc particulam super Calicem dextera tenens, deponit sinistra partem majorem super Patenam, juxta alteram medietatem ; mox particulam, quam dextera tenet, relinquit, ita ut decidat in Calicem. Interea nihil dicit, nec ullum Crucis signum cum particula efficit. (Decret. S. Rituum Congregationis, 13 Februarii 1666, n. 1333, ad 11, antiq. 2363, ad 13.) Statim utriusque manus indicem et pollicem supra Calicem leviter extergit ; illorumque digitorum extremitates junctas retinet usque post ablutionem ; sinistram ponit super corporale, dexteramque super pedem Calicis dum Diaconus palla Calicem cooperit ; dein manus extensas ponit super corporale, et genu dextrum flectit, adorans Sacramentum.

34. Erectus a genuflexione, Celebrans manus junctas ponit super Altaris oram, corpus mediocriter inclinat, oculos intendit in sacram Hostiam, et secreto dicit Orationem : *Perceptio corporis tui, etc.*

35. Dicta hac Oratione, Celebrans genu dextrum flectit, accipit Patenam cum Corpore Christi, dicens : *Panem cœlestem, etc.*, percutit pectus suum ter, dicens : *Domine, non sum dignus, etc.*, signat se Sacramento, dicens : *Corpus Domini nostri, etc.*, et sumit reverenter sacram Hostiam. In his exsequendis, observat omnia quæ præscribuntur in Tractatu de Celebratione SS. Missæ Sacrificii, QQ. 250, 251.

36. Peracta parva meditatione, Celebrans sinistram ponit super Corporale, et dexteram super pedem Calicis a quo Subdiaconus aufert pallam ; genu dextrum flectit tunc, nihil dicens, et colligit e Patena et corporali fragmenta, et extergit Patenam, more solito, qui describitur loco citato, Q. 252.

37. Extersam Patenam ponit Celebrans super corporale, et dextera accipit Calicem infra nodum ; et statim, nihil dicens, nec se signans cum Calice, sumit reverenter particulam sacræ Hostiæ cum vino, sinistra Patenam supponens Calici prope mentum.

38. Sumpta sacra particula cum vino, Celebrans sinistra deponit Patenam super corporale versus partem Evangelii, et dextera Calicem in medio corporalis ; omissa purificatione Calicis cum vino, statim accipit ambabus manibus Calicem ad cuppam pro digitorum ablutione, pro qua observat quæ præscribuntur loco citato, Q. 255 ; sed nihil dicit.

39. Sumpta purificatione, et deposito Calice super Altare, Celebrans extremitate purificatorii labia abstergit, et purificato-

rium reponit super Calicem. Subdiaconus mox accipit Calicem ut ipsum extergat. Celebrans tunc, manibus ante pectus junctis, corpus mediocriter inclinat, et dicit secreto Orationem : *Quod ore sumpsimus, etc.*

40. Postquam dixit hanc Orationem, Celebrans ab inclinatione se erigit, et manibus semper ante pectus junctis, paulum exspectat donec reversus fuerit a credentia Subdiaconus ; tunc sine ulla reverentia conversus per dexteram suam, descendit de Altari, ante infimum gradum genu dextrum Cruci flectit in plano, assurgit, acceptum a Diacono biretum capiti imponit, et manibus junctis, post Diaconum procedit ad sacristiam. Nullæ fiunt salutationes ad clerum in Choro congregatum.

CAPUT XV

DE OFFICIO CELEBRANTIS IN SABBATO SANCTO

(126) — Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, QQ. 157-160 ; et in præsenti Tractatu Series II Instructionum, Caput IX, § 7, (36). Cfr. etiam Tractatus de administratione Sacramentorum,pro benedictionibus fontis baptismalis,et aquæ, QQ. 330, II, C ; 337, Nota II.

1. Celebrans paratus erit amictu, alba et cingulo, ac stola et pluviali violacei coloris.

2. Hora statuta, Celebrans, facta in sacristia inclinatione ad Crucem vel imaginem, caput bireto cooperit, et procedit, manibus junctis, comitante ad sinistram Diacono qui tenet fimbriam pluvialis, et præcedentibus ministris et clero, ad portam primariam ecclesiæ ; si per Chorum transeundum est, Celebrans et Diaconus non accedunt ad Altare, sed transeuntes ante Altare debitam faciunt reverentiam : Diaconus genu dextrum flectit ; Celebrans vero detecto capite caput profunde inclinat ; etenim obligatio genuflexionis ad Crucem, quæ incepit heri ab adoratione Crucis, terminatur hodie post Nonam (Decret. S. Rituum Congregationis, 9 Maji 1857, n. 3049, antiq. 5241, ad V) ; quo facto procedit usque ad portam primariam ecclesiæ, ubi præparata est credentia pro benedictione novi ignis. Celebrans cum Diacono subsistit ante credentiam, contra Crucem quam tenet Subdiaconus, versis humeris ad Altare majus, ita ut focus cum igne, et credentia sint inter Crucem et Celebrantem. Ibi subsistens tradit biretum Diacono.

3. Pro benedictione novi ignis, a ministro jam antea e petra focaria, seu silice excussi, Celebrans, stans ut supra, junctis ma-

nibus, legit clara voce : *Dominus vobiscum. Oremus,* et tres Orationes. Ad *Oremus*, et ad sanctum nomen *Jesu*, caput profunde inclinat, sed manus non extendit ; ubi in Missali notatur signum Crucis ✠, posita sinistra ad pectus, dextera facit signum Crucis super ignem.

4. Deinde Celebrans benedicit quinque grana incensi, quæ ante ipsum sustinentur super pelvim a ministro ; incipit absolute legere voce clara Orationem : *Veniat, quæsumus, etc.*, observans pro benedictione ea quæ dicuntur numero præcedenti pro benedictione ignis.

5. Postquam Celebrans benedixit grana incensi, accipit cochlear a Diacono qui osculatur ejus manum, et ter imponit incensum in thuribulum quod præsentat Thuriferarius ; dicit formulam : *Ab illo benedicaris, etc.,* reddit cochlear Diacono qui osculatur ejus manum, et benedicit incensum impositum.

6. Celebrans accipit a Diacono aspersorium, et aspergit novum ignem, in medio primum, dein ad sinistram suam, tandem ad dexteram suam ; item mox aspergit grana incensi ; interea dicit : *Asperges me,.... nivem dealbabor,* sed non addit Psalmum. Reddit aspersorium Diacono, et ab eodem statim accipit thuribulum ; eodem modo quo aspersit, trino ductu adolet incenso, primo ignem, dein grana incensi, nihil interea dicens ; et reddit thuribulum Diacono. Diaconus tradens aut accipiens aspersorium aut thuribulum, semper osculatur manum Celebrantis.

7. His factis, Celebrans exspectat junctis manibus, donec Diaconus deposuerit vestes sacras violacei coloris, et assumpserit alias albi coloris ; cum Diaconus ad ipsum fuerit reversus, Celebrans iterum imponit incensum in thuribulum, illudque benedicit, eodem modo qui supra n. 5 describitur ; deinde accipit a Diacono biretum et caput cooperit ; junctis manibus, convertit se ad Altare majus. Ordinatur Processio.

8. Celebrans solus sequitur in Processione Diaconum ; quando ad ingressum ecclesiæ Diaconus genu dextrum flectit, Celebrans dextera caput nudat, et genu dextrum etiam flectit usque dum clerus responderit : *Deo gratias* ; assurgit tunc, caput cooperit, et sequitur Diaconum ; ad medium ecclesiæ cum pervenerit, subsistit, et idem secundo observat pro genuflexione facienda ; tertio idem servat, cum pervenerit ad Altare ad distantiam aliquot passuum a Subdiacono qui cum Cruce stat ante infimum Altaris gradum.

9. Celebrans, postquam tertio surrexit, accedit ad Altare ante infimum gradum, biretum tradit Diacono stanti ad dexteram suam, caput profunde inclinat Cruci, ascendit ad Altare, et ponens extensas manus super illud, osculatur mensam ; cum Diaconus accedit cum libro Præconii paschalis ad dexteram

Celebrantis, dicens : *Jube domne benedicere*, Celebrans, ad ipsum se convertens, dicit : *Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis : ut digne, et competenter annunties suum paschale præconium : In nomine Patris, et Filii,* ✠ *et Spiritus sancti. Amen.* Ad signum Crucis, Celebrans, posita sinistra super Altaris mensam, dextera benedicit Diaconum, deinde, posita sinistra contra pectus, ponit super librum dexteram, quam Diaconus osculatur, ut fit ad Evangelium. Quo facto Celebrans, manibus junctis, accedit ad cornu Epistolæ, et ibi stat conversus ad Altare.

10. Cum Diaconus incipit cantare Præconium, Celebrans, stans in cornu Epistolæ, ad ipsum se convertit. Ad nomen *Jesu*, aliquantum conversus ad medium Altaris, caput profunde inclinat Cruci. Ad nomen Papæ, caput inclinat inclinatione minima, sed non versus Altare. Post cantum Præconii, Celebrans non osculatur librum, nec incensatur a Diacono.

11. Completo cantu Præconii, Celebrans convertit se ad Altare, sed mox per dexteram suam conversus, sine ulla reverentia, de cornu Epistolæ descendit a latere Epistolæ ad scamnum, ubi deponit pluviale, et assumit manipulum et casulam violacei coloris.

12. Celebrans, paratus casula, junctis manibus, ascendit a latere Epistolæ ad Altare, et sine ulla reverentia stat in cornu Epistolæ, ad Missale conversus ; mox tenet ambabus manibus Missale uti cum in Missa legit Epistolam, et submissa voce legit Prophetiam primam ; qua lecta, junctis ante pectus manibus, exspectat donec terminetur a Lectore Prophetiæ cantus. Deinde, caput profunde inclinans Cruci, et extendens manus easque statim jungens, cantat : *Oremus*. Exspectat donec Diaconus cantavit : *Flectamus genua,* et Subdiaconus : *Levate* ; ipse non genuflectit ; mox, tono Orationis Missæ ferialis, extensis manibus, cantat Orationem ; ad conclusionem manus ante pectus jungit, et ad nomen *Jesu* caput profunde inclinat versus Crucem.

Idem servatur ad omnes sequentes Prophetias. Advertet tamen Celebrans, quod post quartam, octavam et undecimam Prophetiam, legitur Tractus, et prius cantatur Tractus, quam dicatur : *Oremus, etc.*; et quod post Prophetiam duodecimam, dicitur quidem ante Orationem : *Oremus*, sed non : *Flectamus genua*.

13. His expletis, si ecclesia habuerit fontem baptismalem, proceditur ad ejus benedictionem. Celebrans post Orationem ultimam, junctis manibus, absque ulla reverentia conversus per dexteram suam, descendit a latere Epistolæ ad scamnum, ubi deponit casulam et manipulum, et assumit pluviale violacei coloris. Cum Processio ad fontem instituitur, Celebrans accipit

a Diacono biretum et caput cooperit ; procedit junctis manibus cum Ministris sacris de scamno in planum usque ante Altaris medium, ubi deposito bireto, caput profunde inclinat Cruci Altaris ; et cooperto mox capite, junctis manibus, per dexteram suam conversus, sequitur clerum procedentem ad fontem baptismalem.

14. Cum pervenerint ad fontem, antequam intret, Celebrans biretum deponit traditque Diacono, et junctis manibus cantat *Dominus vobiscum*, *Oremus*, et Orationem, tono feriali.

15. Post Orationem, Celebrans ingreditur in sacellum, sive intra septum fontis, et stat prope fontem, ita ut faciem conversam habeat ad Orientem, et ad Crucem quam e regione Celebrantis ab altera fontis parte tenet minister. Junctis manibus, cantat *Dominus vobiscum*, *Oremus*, et Orationem, tono feriali ; item junctis manibus cantat Præfationem.

16. Post verba : *gratiam de Spiritu sancto,* Celebrans, posita sinistra ad pectus, dexteram immergit in aquam et a labio fontis usque ad labium efformat immersa manu signum Crucis, dividens quasi aquam in modum Crucis ; nihil interea dicit ; statim linteo quod offert Diaconus extergit dexteram, et junctis manibus, continuat Præfationem. — Post verba : *non inficiendo corrumpat*, posita sinistra ad pectus, manum dexteram extensam ponit super aquam, ita ut interior pars manus tota summam aquam tangat ; nihil interea dicit ; mox retrahit manum, linteoque extergit, et junctis manibus, pergit cantare. — Posita sinistra ad pectus, dextera extensa facit tria signa Crucis super fontem, ad verba : *per Deum ✠ vivum, — per Deum ✠ verum, — per Deum ✠ sanctum* ; et iterum manus jungit. — Post verba : *super te ferebatur,* posita sinistra ad pectus, vola manus dextræ accipit aliquantulum aquæ e parte fontis quæ ex adverso versus Orientem est, illudque effundit extra labrum fontis super terram, interea cantans : *Qui te de paradisi fonte* ; mox eodem modo accipit aliquantulum aquæ e parte fontis quæ prope ipsum est, et secedens passum, effundit eodem modo versus Occidentem, cantans : *manare fecit* ; idem facit versus Aquilonem, ad sinistrum suum latus, cantans : *et in quatuor fluminibus* ; et versus Austrum, ad dextrum latus, cantans : *totam terram*

1

rigare præcepit. Itaque sequens servatur effusionis ordo : 3 4.

2

Dexteram linteo abstergit, et junctis manibus, pergit cantare Præfationem ; ad verbum : *Benedico,* dextera Crucis signum efformat super fontem, ut supra.

17. Post verba : *et Spiritus sancti*, Celebrans prosequitur in tono Lectionis : *Hæc nobis.... benignus aspira* ; deinde super

aquam aliquantum inclinatus halat ter in modum Crucis, capite efformans hoc signum ; halat vero, scilicet ore aperto, quasi communicans ; non autem exsufflat, ore angusto seu compressis labiis, quasi aërem expellens. Erectus pergit tono Lectionis : *Tu has simplices aquas..... efficaces.*

18. Celebrans deinde e manibus Diaconi accipit ambabus manibus Cereum paschalem versus mediam partem, demittit Cereum in medium fontis in aquam aliquantulum, scilicet in tertiam superiorem partem aquæ, eumque ita tenens, cantat tono Præfationis, secundum notas in Missali appositas : *Descendat.... Spiritus sancti.* Mox Cereum e fonte extrahit, sed statim profundius ipsum immergit, scilicet aliquantulum infra medium aquæ, eumque ita tenens, cantat iterum, sed vocem semitono elevando : *Descendat, etc.* Rursum extrahit e fonte Cereum, et statim immergit usque ad fundum fontis, eumque ita tenens, cantat iterum, vocem semitono altius quam secundo efferens : *Descendat, etc.*

19. Celebrans, tenens adhuc manibus Cereum in medium fontem, super fontem aliquantulum inclinatus, sufflat, ore scilicet angusto et compressis labiis, in aquam, in formam tridentis secundum figuram in Missali appositam, capite efformans primum lineam rectam in medio, dein lineam quæ est versus latus sinistrum, tandem lineam quæ est versus dextrum latus. Sufflat hoc modo super aquam quæ est inter Cereum et labrum fontis anteriorem. Hujusmodi sufflationem ter efficit. Deinde erectus, tenens adhuc Cereum in fontem immersum, prosequitur tono Præfationis quem a principio habuit : *Totamque hujus aquæ.... effectu.* Cereum tunc extrahit e fonte, et reddit Diacono. Cereus a ministro qui ipsum tenet abstergitur panno mundo.

20. Celebrans, junctis manibus, prosequitur Præfationem ; post verba : *infantiam renascatur*, humiliori voce, tono scilicet Orationis ferialis, dicit conclusionem : *Per Dominum, etc* ; clerus adstans respondet : *Amen.*

21. Celebrans aliquantum exspectat, interea dum aliquis ministrorum hauriat e fonte aquam in vasculum ; deinde accipit aspersorium in aqua fontis intinctum e manibus Diaconi qui osculatur Celebrantis manum ; Celebrans, posita sinistra ad pectus, aspergit seipsum, signando aspersorio frontem ; deinde aspergit Diaconum et Subdiaconum genuflexos ; et reddit aspersorium Diacono qui osculatur Celebrantis manum. Nihil interea dicit.

Nota. Ubi adstat clerus, dignior Sacerdos de clero imponit sibi stolam violacei coloris, accipit a ministro aspersorium in aqua fontis intinctum, et accedens ad dexteram Celebrantis ipsi aspersorium præsentat ; Celebrans aspergit seipsum, dein

Sacerdotem qui aspersorium porrexit, postea Diaconum et Subdiaconum ; quo facto, aspersorium restituit Sacerdoti. — Sacerdos dignior aspergit tunc clerum et populum circumstantem, eo ordine qui servatur in aspersione diebus Dominicis, sed nihil interea dicit ; deinde reddit aspersorium ministro, deponit stolam, et revertitur ad locum suum. — In casu Celebrans exspectat donec aspersio fuerit terminata.

22. Post aspersionem, Celebrans dextera accipit a Diacono ampullam sacri Olei Catechumenorum, et in aquam fontis infundit aliquantulum de sacro Oleo, in modum Crucis, interea voce intelligibili dicens : *Sanctificetur, etc.* ; reddit ampullam Diacono, ac statim ab eodem accipit ampullam sancti Chrismatis, et similiter in aquam fontis dextera aliquantulum de sacro Oleo infundit in modum Crucis, interea dicens : *Infusio Chrismatis, etc.* ; tandem retinens dextera ampullam sancti Chrismatis, accipit sinistra a Diacono ampullam sacri Olei Catechumenorum ; vel potius sola dextera utramque ampullam tenens, ex utraque simul trina vice infundit, in modum Crucis, aliquantum de sacris Oleis in aquam fontis, dicens interea : *Commixtio Chrismatis, etc.,* et effundens primo ad verbum *Pa* ✠ *tris*, secundo ad verbum *Fi* ✠ *lii,* tertio ad verba *Spiritus* ✠ *sancti.* Reddit ampullas Diacono, et posita sinistra ad pectus, immittit dextræ manus digitos in aquam fontis, et leviter expandit seu spargit sacra Olea per totam aquæ superficiem. Manum e fonte retrahit, et abstergit cum bombacio et mica panis, quæ Diaconus super pelvim præsentat ; deinde manus lavat cum aqua quam infundit supra pelvim minister, et abstergit manutergio quod præsentat Diaconus.

Nota. Quoad Olea sacra nova adhibenda in fontis benedictione, cfr. quæ dicuntur in Tractatu de administratione Sacramentorum, Q. 65.

23. Completa benedictione fontis, procedunt omnes ad Altare, eodem quo venerunt ordine et modo ; Celebrans accipit a Diacono biretum et caput cooperit ; junctis manibus sequitur medius inter sacros Ministros clerum procedentem de fonte ad Altare majus.

Nota. Pro Litaniis post benedictionem fontis, præscribit Missale Romanum, a Cantoribus et Choro illas cantari, « revertentibus Sacerdote, et Ministris ad Altare » ; Cæremoniale Episcoporum vero dicit Cantores inchoare Litanias cum omnes reversi sunt ad Altare, et jam procumbunt aut genuflectunt ; sed notandum est quod Cæremoniale præsentem supponit Episcopum in sua cathedrali ecclesia. (Lib. II, Cap. XXVII, n. 19, et Cap. XXVIII, n. 10.) Sacrorum Rituum Congregatio, interrogata, an in actu redeundi ad Altare, liceat incipere Lita-

nias cantandas ante Altare, respondit : « Episcopo non præsente, servandam Missalis Rubricam. » (Decret. 7 Septembris 1861, n. 3108, ad 10, antiq. 5315, ad 11.) Ex strictis hujus Decreti verbis non patet quidem quis sit proprius sensus Rubricæ Missalis ; verumtamen, quia responsio hæc distinguere videtur Rubricam Missalis inter et Rubricam Cæremonialis Episcoporum, videtur quoque non favere sententiæ eorum, qui censent non manifestam haberi discrepantiam inter utramque Rubricam, et vocem *revertentibus*, eumdem sensum admittere ac si diceret : *postquam reversi sunt.* Qui ita censent, concludunt Litaniarum cantum incipi posse tantum cum Sacerdos et Ministri procumbunt ante Altare. (Cfr. Martinucci, *Manuale sacrarum Cæremoniarum,* 1879, Lib. II, Cap. XXVII, n. 92, in Nota. Idem præscribit Menghini, *Manuale novissimo di sacre Cerimonie,* I. Roma, 1902, Parte III, Cap. IV, Art. VII, § 2, n. 17.) Alii auctores modum loquendi Missalis intelligunt ac si Rubrica diceret : *dum revertuntur*, et innixi Decreto S. Rituum Congregationis supra citato, dicunt, Episcopo non præsente, Litaniarum cantum posse incipi, dum Sacerdos et Ministri ad Altare revertuntur. (Cfr. Ephemerides liturgicæ, VI, 1892, pag. 541.) — Si quærere licet quid ipsa actio suadeat, dici posse videtur, ipsam postulare, ut Litaniæ cantentur dum omnes aut procumbunt aut genuflectunt ; hæc functionis Sabbati sancti pars non cohæret cum præcedenti fontis benedictione, nam ubi non habetur fons baptismalis, ipsa tamen integre fieri debet : et quia, ubi non est fons, certum est ex ipsa Missalis Rubrica Litanias inchoari tantum cum Sacerdos et Ministri procumbunt ante Altare, et alii omnes sunt genuflexi, non patet quare diversus omnino in ista actione præscriberetur modus, ut in uno casu in Processione pro parte, in altero omnibus procumbentibus et genuflexis fieri deberet ; eo vel magis, quod in quibusdam majoribus ecclesiis supervacanea mox foret hæc Rubrica, si tantum per modicum tempus, cantatis jam pluribus Litaniarum versibus in Processione, Sacerdos et Ministri procumbere, aliique genuflectere valent.

24. Cum pervenerit ante gradus Altaris, Celebrans caput nudat, et profunde inclinat Cruci, et cooperto iterum capite, accedit ad scamnum, ubi deponit biretum et pluviale.

25. Ubi vero non est fons baptismalis, Celebrans, finita ultima Prophetia cum sua Oratione, junctis manibus, sine ulla reverentia conversus per dexteram suam, descendit a latere Epistolæ ad scamnum, ubi deponit casulam et manipulum. Omittuntur quæ supra describuntur nn. 13 ad 24.

26. Junctis manibus, Celebrans de scamno accedit cum Ministris ad planum ante Altare, et caput profunde inclinat Cruci;

mox genu utrumque flectit in infimo gradu, et se prosternit, brachia et caput ponens super pulvinum in gradibus præparatum ; ita remanet interea dum cantantur Litaniæ.

27. Cum perventum fuerit ad Versum : *Peccatores, Te rogamus audi nos*, Celebrans simul cum Ministris assurgit ; caput profunde inclinat Cruci, accipit a Diacono biretum, et caput cooperit, et sequens Diaconum, junctis manibus, discedit ad sacristiam.

28. In sacristia deponit biretum, inclinat caput ad imaginem Crucifixi, deponit stolam violaceam, et assumit paramenta albi coloris pro Missa solemni.

29. Cum in fine Litaniarum cantatur : *Agnus Dei,* consueto modo omnes de sacristia accedunt ad Altare ; Celebrans sequitur Diaconum ; ad ingressum Chori salutatur clerus consueto modo, si mos iste servatur.

30. Celebrans accedens ad Altare, ante gradus caput detegit et tradit biretum Diacono, corpus profunde inclinat Cruci, et cum Cantores solemniter incipiunt : *Kyrie eleison,* ipse cum Ministris incipit Missam. Dicit Psalmum *Judica* cum *Gloria Patri,* ante Confessionem.

31. Ritus hujus Missæ non differt ab eo qui in aliis Missis servatur, nisi in sequentibus a Celebrante observandis.

32. Post incensationem Altaris, omnes stant sicut ordinarie pro Introitu, sed quia non dicitur Introitus, Celebrans postquam fuerit incensatus, in cornu Epistolæ conversus ad Altare, mox dicit alternatim cum Ministris : *Kyrie eleison,* consueto modo, et ad medium Altaris accedens intonat solemniter : *Gloria in excelsis Deo.*

33. Celebrans legit Epistolam, sed ea lecta non statim pergit legere quæ sequuntur ; exspectat enim donec Subdiaconus absolverit Epistolæ cantum, et ipsi tunc largitur benedictionem. Quo facto, conversus ad Missale, cantat : *Alleluja,* tono descripto in Missali ; cum Chorus idem eodem tono repetiit, Celebrans iterum cantat : *Alleluja,* vocem attollens semitono, quod eodem tono repetit Chorus ; tertio tunc Celebrans cantat : *Alleluja,* semitono elevans vocem, et tertio repetit Chorus. Tunc Celebrans legit ℣. *Confitemini,* et Tractum. Pergit deinde modo consueto legere Evangelium.

34. Post cantum Evangelii, Celebrans incensatur, et mox consueto modo cantat : *Dominus vobiscum,* deinde : *Oremus,* sed non legit versiculum Offertorii.

35. Infra actionem, leguntur *Communicantes,* et *Hanc igitur* propria.

36. Post cantum *Pax Domini etc.,* Celebrans dicit : *Hæc commixtio etc.*, et cooperto Calice genu dextrum flectit ; non

dicit : *Agnus Dei, etc.*, sed post genuflexionem statim dicit tres consuetas Orationes. Pax non datur post primam ex his Orationibus.

37. Celebrans, postquam sumpserit ablutionem, accedit ad Missale in cornu Epistolæ, et junctis manibus legit Antiphonam : *Alleluja*, et Psalmum : *Laudate Dominum, etc.*, et repetit Antiphonam ; quæ cum a Choro fuerint cantata, Celebrans, junctis semper manibus, intonat Antiphonam : *Vespere autem Sabbati* ; reliqua hujus Antiphonæ legit submissa voce cum Ministris.

38. Cum Cantores post cantum Antiphonæ incipiunt cantare : *Magnificat,* Celebrans se signat Cruce a fronte ad pectus ; deinde junctis manibus, accedit ad medium Altaris, et mox imponit incensum consueto modo, illudque benedicit, et accepto thuribulo a Diacono, incensat Crucem et Altare eodem modo quam ad Introitum Missæ solemnis, et ipse stans in cornu Epistolæ incensatur.

39. Celebrans, postquam fuerit incensatus, convertit se ad Missale, et stat junctis manibus, donec fuerit a Choro repetita Antiphona : *Vespere autem Sabbati* ; deinde accedit ad medium Altaris, illud osculatur, et dicit : *Dominus vobiscum,* consueto modo, et Orationem.

40. Reliqua peraguntur ritu usitato, excepto quod Diaconus cantans *Ite missa est,* adjungit duplex *Alleluja.*

41. Nota. Post Missam, per aliquem Sacerdotem, superpelliceo, stola et velo humerali albi coloris indutum, refertur Pyxis ad Tabernaculum SS. Sacramenti : præcedunt saltem duo Acolythi cum cereis accensis.

CAPUT XVI

DE OFFICIO CELEBRANTIS IN VIGILIA PENTECOSTES

(127) — **Prænotatui** : In Ecclesiis ubi fons baptismalis reperitur, benedictio fontis baptismalis omnino et de præcepto facienda est in Vigilia Pentecostes, etiamsi nullus in fonte Sabbato sancto præcedenti benedicto baptizatus fuisset ; et consuetudinem contrariam esse eliminandam velut abusum et Rubricis contrariam, mandavit S. Rituum Congregatio (Decret. 7 Decembris 1844, n. 2878, antiq. 4993).

1. Celebrans paratus erit amictu, alba et cingulo, ac manipulo, stola et planeta violacei coloris.

2. Hora statuta, Celebrans, facta in sacristia inclinatione ad

Crucem vel imaginem, caput bireto cooperit, et manibus junctis procedit ad Altare majus, sequens Diaconum.

3. Ad Chorum cum pervenerit, Celebrans salutat clerum, si mos iste servatur; deinde accedit ante gradus Altaris, nudat caput, tradit biretum Diacono, et profunde inclinat caput Cruci, aut genu dextrum in plano flectit, si adest Tabernaculum.

4. Celebrans ascendit mox ad Altare, et illud osculatur in medio; tunc sine ulla reverentia accedit ad Missale in cornu Epistolæ, et ibi stans tenet ambabus manibus Missale sicut cum in Missa legit Epistolam, et submissa voce legit Prophetiam primam; qua lecta, junctis ante pectus manibus, exspectat donec terminetur a Lectore Prophetiæ cantus. Deinde, caput profunde inclinans Cruci, et extendens manus easque statim jungens, cantat: *Oremus,* et extensis iterum manibus, cantat Orationem tono Orationis Missæ ferialis; ad conclusionem manus ante pectus jungit, et ad nomen *Jesu* caput profunde inclinat versus Crucem.

Orationes dicuntur omnes sine *Flectamus genua.*

Idem servatur ad sequentes Prophetias, quæ hodie dicuntur sex tantum numero. Advertet tamen Celebrans, quod post secundam, tertiam et quartam Prophetiam legitur Tractus, et prius cantatur Tractus quam dicatur: *Oremus*, et Oratio.

5. His expletis, si ecclesia habuerit fontem baptismalem, proceditur ad ejus benedictionem.

Pro benedictione fontis, eadem observantur quæ ad eamdem functionem notantur Capite XV, (126), nn. 13 ad 22 inclusive; advertet tamen Celebrans diversam esse Orationem quæ dicitur ante ingressum ad fontem.

Nota. Cfr. quæ de Cereo paschali pro functione hujus diei notantur, in Serie II Instructionum, Capite IX, § 7, in Appendice, (37), n. 4.

6. Ubi vero non est fons baptismalis, observatur id quod dicitur n. 25 Capitis XV, (126).

7. Pro Litaniis et principio Missæ, servantur omnia quæ præscripta sunt Capite XV, (126), nn. 23 ad 30, et 32. Paramenta pro Missa erunt rubei coloris.

Inde ab hymno *Gloria in excelsis Deo*, observatur ritus consuetus Missæ solemnis.

CAPUT XVII

DE OFFICIO CELEBRANTIS IN PROCESSIONE SS. CORPORIS CHRISTI, ET IN ALIIS PROCESSIONIBUS IN QUIBUS DEFERTUR SS. SACRAMENTUM

(128) — Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, QQ. 352, V ; 354-359.

1. Quando S. Hostia quæ in Processione defertur, consecratur in ipsa Missa post quam Processio instituitur (quod supponitur quidem in Rituali Romano, Tit. IX, Cap. 5, n. 2, pro Processione in Festo SS. Corporis Christi, sed rarius apud nos fit), quædam observanda sunt a Celebrante in hac Missa.

Pro Hostiæ oblatione et Consecratione, cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, QQ. 327, 328.

Postquam Celebrans sumpsit S. Sanguinem, Ostensorium affertur ad Altare ; Diaconus illud collocat super corporale et aperit sphæram. Ipse Celebrans S. Hostiam in lunula, et lunulam in Ostensorio disponit ; antequam S. Hostiam accipiat genu dextrum flectit.

Deinde Celebrans usque ad finem Missæ observat omnia quæ præscribuntur pro Missa coram SS. Sacramento celebrata, in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii, QQ. 312-314, et in præsenti Tractatu, Capite IV, (114), hujus V Seriei.

2. Si Processio instituitur immediate post Missam solemnem, Celebrans, post lectum ultimum Evangelium, accedit cum Ministris sacris ad medium Altaris, genu dextrum flectit in suppedaneo, positis manibus extensis super Altaris mensam, et directe tendit per latus Epistolæ ad scamnum, ubi deponit planetam et manipulum, et assumit pluviale. Junctis manibus, accedit cum Ministris sacris ad planum ante gradus Altaris ; genu utrumque flectit in plano cum capitis inclinatione, assurgit, et genu utrumque flectit in infimo gradu Altaris. (Cfr. Caput IV, (114), n. 3.)

3. Si Processio instituitur post functionem aliquam, aliam quam Missam, terminata functione, si Celebrans assumere debet pluviale, accedit ad scamnum, et observat omnia quæ in numero præcedenti fuerunt indicata ; si vero jam indutus est pluviali, immediate cum Ministris sacris accedit ad planum ante gradus Altaris, et genu utrumque flectit sicuti numero præcedenti dicitur.

4. Si Processionem nulla alia functio præcedit, Celebrans in

sacristia induitur sacris paramentis, nempe amictu, alba et cingulo, ac stola et pluviali albi coloris ; et, salutata imagine sacristiæ, capite bireto cooperto, junctisque manibus, accedit ad Altare ubi reponit SS. Sacramentum in Tabernaculo. Ibi observabit omnia quæ pro expositione SS. Sacramenti præscribuntur in Tractatu de administratione Sacramentorum, Q. 181. Si autem SS. Sacramentum jam esset expositum, cum e sacristia procedens venerit in conspectum SS. Sacramenti, caput detegit biretumque tradit Diacono ; deinde manibus junctis accedens ad planum ante gradus Altaris, genu utrumque flectit in plano, caput inclinat, assurgit, et genu utrumque flectit in infimo gradu Altaris.

5. Post brevem adorationem factam flexis genibus in infimo gradu Altaris, Celebrans assurgit pro impositione incensi ; conversus ad Thuriferarios, accipit a Diacono cochlear, et ter injicit incensum in uno, et ter in altero ex duobus thuribulis, interea manum sinistram contra pectus ponens. Nihil dicit, neque manu benedicit incensum Celebrans ; Diaconus in hac functione numquam Celebrantis manum osculatur. Post impositionem incensi, Celebrans conversus ad Altare, genua flectit in infimo gradu, accipit a Diacono thuribulum, illudque dextera tenens ante pectus, caput profunde inclinat, mox triplici ductu thurificat SS. Sacramentum, et iterum, tenens thuribulum dextera ante pectus, caput profunde inclinat ; reddit tunc thuribulum Diacono.

6. Celebrans accipit velum humerale quod ipsi a ministro imponitur, et partibus veli quæ ante pectus pendent cooperit manus ; ascendit et genua flectit in ora suppedanei ; mox ambabus manibus velo coopertis accipit genuflexus Ostensorium, tenens illud ante faciem, manu dextra nodum, sinistra pedem sustinens, et permittit Diacono, ut iste disponat decenti modo veli extremitates ; assurgit ad suppedaneum, et postquam Diaconus genu dextrum flexit, Celebrans convertit se ad populum, descendit de Altari, et in plano mox procedit sub baldachino medius inter Ministros sacros qui tenent fimbrias pluvialis.

7. Si Processio subsistit ad aliquam ecclesiam, vel ad aliquod Altare hac de causa erectum, Celebrans, cum venerit ad Altare, ascendit ad suppedaneum, et conversus ad Altare tradit erectus Ostensorium Diacono genuflexo ; qui cum surrexit, Celebrans, manibus ante pectus junctis, genu dextrum flectit ante Sacramentum quod tenet Diaconus, et mox assurgens descendit ante gradus Altaris ; velum humerale deponit, et genu utrumque flectit in infimo gradu, adorans SS. Sacramentum.

8. Dum cantatur Hymnus vel Antiphona, Celebrans circa finem imponit incensum in uno thuribulo, et mox thurificat SS.

Sacramentum, sicut supra n. 4 describitur ; deinde ad ℣. *Panem de cœlo, etc.*, assurgit, et junctis manibus cantat : *Oremus,* et Orationem SS. Sacramenti, tono feriali, et cum brevi conclusione : *Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum.*

9. Post Orationem genua flectit Celebrans, et accipit iterum velum humerale ; cumque Diaconus deposuit Ostensorium super mensam Altaris, Celebrans, manibus junctis, ascendit ad Altare, manibus super mensam Altaris extensis genu dextrum flectit, assurgit, partibus veli quæ ante pectus pendent cooperit manus, et accipit ipse de mensa Ostensorium, dextera ad nodum, sinistra ad pedem ; permittit Diacono ut iste decenti modo disponat veli extremitates, et conversus ad populum, dat benedictionem eo modo qui describitur in Tractatu de administratione Sacramentorum, Q. 184.

Nota. Rituale Romanum et Cæremoniale Episcoporum unam tantum præscribunt benedictionem cum SS. Sacramento dandam in fine Processionis ; verumtamen respondit S. Rituum Congregatio, tolerari posse vetustissimam consuetudinem, ut semel, vel iterum elargiatur benedictio per viam, ad ecclesiam, vel ad Altare exstructum. (Decret. 23 Septembris 1830, n. 2609, antiq. 4574.) Hæc consuetudo apud nos antiquissima, et ubique quasi existens, servari igitur potest ; sed modus arbitrio imponitur per supradictum Decretum, eo quod semel, vel iterum tantum permittat hujusmodi benedictionem, non autem quoties Altaria occurrunt per viam exstructa. (Cfr. adnotatio super hoc Decreto, in Volumine IV Collectionis Decretorum, pag. 199.)

10. Si benedictio non datur ad Altare stationis, Celebrans, servatis omnibus quæ n. 8 describuntur, post Orationem SS. Sacramenti, accepto velo humerali, accipit Ostensorium, non ab Altaris mensa, sed e manibus Diaconi, modo qui supra n. 6 describitur.

11. Post benedictionem datam, aut, si benedictio non datur, accepto Ostensorio, Celebrans descendit de Altari, et iterum procedit sub baldachino, ut supra n. 6 dicitur.

12. Cum Processio pervenerit ad ecclesiam in qua terminatur, Celebrans observabit omnia quæ præscribuntur supra nn. 7, 8 et 9. Pro repositione SS. Sacramenti, servantur ea quæ describuntur in Tractatu de administratione Sacramentorum, Q. 184.

CAPUT XVIII

DE OFFICIO CELEBRANTIS IN PROCESSIONIBUS LITANIARUM

(129) — Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, QQ. 349; 350; 352, III et IV; 355; 357.

1. Celebrans in sacristia paratur amictu, alba et cingulo, ac stola et pluviali violacei coloris. Hora præstituta, caput inclinat imagini sacristiæ, deinde bireto cooperit, et procedit ad Altare, manibus junctis, medius inter Ministros sacros.

2. Ad ingressum Chori Celebrans salutat clerum, si mos existit, servatis quæ præscribuntur Capite IX, (120). Ante gradus Altaris caput detegit, biretum tradit Diacono, caput profunde inclinat Cruci Altaris, aut si in Altari habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, genu dextrum flectit in plano, et mox assurgit.

3. Celebrans stat ante gradus Altaris, junctis manibus, interea dum cantatur Antiphona *Exsurge, Domine, etc.*; cum Cantores incipiunt Litanias, genu utrumque flectit in infimo gradu Altaris, et genuflexus remanet usque dum a Choro repetitus fuerit ℣. *Sancta Maria, ora pro nobis.*

4. Celebrans tunc assurgit, dein caput profunde inclinat Cruci Altaris, aut si in Altari habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, genu dextrum flectit ad Altare in plano, assurgit, accipit a Diacono biretum ac caput cooperit; conversus per dexteram suam, manibus junctis procedit, medius inter Ministros sacros, post clerum ultimo loco.

5. Ad ingressum ecclesiæ ad quam fit statio, aliquis Sacerdos superpelliceo indutus ingredientes aqua benedicta aspergit; Celebrantem non aspergit Sacerdos; sed Celebrans, detecto capite, accipit aquam benedictam ex aspersorio per contactum (Decret. S. Rituum Congregationis, 12 Septembris 1699. n. 2035, antiq. 3530, ad 1); et Cruce a fronte ad pectus se signat; mox caput bireto cooperit, et procedit usque ante gradus Altaris.

6. Celebrans ante gradus Altaris nudat caput, et biretum Diacono tradit; genu dextrum flectit in plano, si in Altari adest Tabernaculum; alias caput profunde inclinat; et stans manibus junctis, cantat mox Orationem de Sancto Titulari, vel de Titulo illius ecclesiæ, tono feriali.

7. Post Orationem, caput profunde inclinat Cruci, aut si in

Altari habetur Tabernaculum SS. Sacramenti, genu dextrum flectit in infimo gradu Altaris, et accedit cum Ministris sacris ad scamnum, ubi, deposito pluviali, accipit manipulum et casulam violacei coloris ; et revertens ante gradus Altaris, statim incipit Missam solemnem, ritu præscripto. In hac Missa omnia cantantur tono Missæ ferialis.

8. Post Missam, Celebrans, dicto ultimo Evangelio, accedit cum Ministris sacris ad medium Altaris, et caput profunde inclinat Cruci, aut si in Altari habetur Tabernaculum SS. Sacramenti, genu dextrum flectit, manibus super Altaris mensam extensis ; mox e medio suppedaneo, per gradus laterales descendit ad scamnum, et depositis manipulo et casula, accipit iterum pluviale ; accedit, manibus junctis, cum Ministris sacris ante gradus Altaris ; caput profunde inclinat Cruci, aut si in Altari habetur Tabernaculum SS. Sacramenti, genu dextrum flectit in plano, assurgit, accipit a Diacono biretum et caput cooperit, et conversus per dexteram suam, manibus junctis, iterum procedit, medius inter Ministros sacros, post clerum ultimo loco.

9. In ecclesia in qua absolvitur Processio, Celebrans cum Ministris sacris accedit ante gradus Altaris, caput nudat et biretum tradit Diacono, caput profunde inclinat Cruci, aut si in Altari habetur Tabernaculum SS. Sacramenti, genu dextrum flectit in plano, assurgit, et cum terminatur a clero cantus, genua flectit in infimo gradu, ac voce elata cantat : *Pater noster,* reliqua dicens voce secreta usque ad verba : *Et ne nos inducas in tentationem*, quæ iterum cantat.

10. Remanet genuflexus, interea dum a clero cantatur Psalmus : *Deus in adjutorium, etc.* ; post Psalmum, genuflexus, et manibus junctis, cantat Versus e libro quem tenent Ministri sacri ; ante *Dominus vobiscum*, assurgit, et stans, manibus junctis, cantat Orationes, tono feriali.

11. Functione peracta, caput profunde inclinat Cruci, aut si in Altari habetur Tabernaculum SS. Sacramenti, genu dextrum flectit in plano, accipit a Diacono biretum et caput cooperit, ac medius inter Ministros sacros, manibus junctis, discedit ad sacristiam ; si mos existit, salutat clerum, ut supra n. 2 dicitur.

CAPUT XIX

DE OFFICIO CELEBRANTIS IN MISSA SOLEMNI PRÆSENTE EPISCOPO ORDINARIO

§ 1. In Missa solemni

(130) — Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 320.

Nota. Juxta plures auctores discessus post Missam fit alio ordine quam qui proponitur in Tractatu, Q. 320, n. 16, et qui ex consuetudine servatur in Ecclesia Metropolitana. Dicunt enim Celebrantem et Ministros ejus omnes discedere ad sacristiam, non postquam Episcopus e Choro discessit, ut n. 16 proponitur, sed antequam Episcopus de throno descendat pro discessu; talis ordo certo congruere videtur, quando Episcopus in Missa paratus post Missam paramenta sacra deponit: nulla enim dari potest ratio, cur Celebrans in casu Episcopi discessum exspectare deberet. — Si hic ordo servatur, Celebrans, lecto ultimo Evangelio, accedit ad medium Altaris, caput inclinat profunde Cruci, et descendit ad planum ab anteriori parte; ibi conversus ad Altare caput profunde inclinat Cruci (supponitur Altare sine Tabernaculo SS. Sacramenti), deinde convertit se ad Episcopum, caput profunde inclinat Episcopo, et per dexteram conversus revertitur ad sacristiam, sequens Diaconum; cum pervenerit ad exitum Presbyterii, accipit biretum et caput cooperit.

Alter ordo in Ecclesia Metropolitana observatur absque difficultate, quia Celebrans ibi discedit a parte Epistolæ, Episcopus vero a parte Evangelii; quod si in aliqua Ecclesia per eamdem partem discedere deberent Celebrans et Episcopus, præferendus est ordo in hac Nota descriptus, juxta quem Celebrans discedit ante Episcopum.

Si Episcopus, finita Missa, ipse aliquam functionem perageret, cui non interesse debet Celebrans, ex. gr., Absolutionem pro Defunctis, tunc post Missam statim recedit Celebrans, ut in hac Nota describitur.

§ 2. In Aspersione aquæ benedictæ

(131) — 1. Celebrans pro accessu ad Chorum, et ad adventum Episcopi omnia observat quæ præscripta fuerunt pro Missa solemni, loco supra citato.

2. Cum Episcopus post brevem orationem accessit ad thronum, et, si paratus assistit, postquam paramenta sacra accepit, Celebrans, medius inter Ministros sacros qui tenent fimbrias pluvialis, junctis manibus, accedit de scamno ad Altare ; sed priusquam ante Altaris medium advenerit, caput profunde inclinat Episcopo ; deinde, conversus ad Altare, ante infimum gradum caput profunde inclinat Cruci Altaris, et genua flectit in infimo gradu.

3. Celebrans dextera accipit a Diacono aspersorium, intonat Antiphonam : *Asperges me,* vel, tempore paschali : *Vidi aquam,* et aspergit Altare, primo in medio, secundo versus cornu Evangelii, tertio versus cornu Epistolæ (cfr. Caput I, (107), n. 4).

4. Mox Celebrans assurgit, et caput profunde inclinat Cruci : manentibus ad Altare Ministris sacris, ipse, comitatus a Cæremoniario et alio ministro, tenens dextera aspersorium erectum ante pectus, sinistra pectori apposita, accedit ad thronum, ante gradus caput profunde inclinat Episcopo, et ascendit usque ad penultimum gradum ; osculatur manubrium aspersorii, illudque tradit Episcopo, osculans ejus manum ; Episcopus signat seipsum, deinde aspergit Celebrantem et eos qui ad thronum assistunt ; Celebrans, cum aspergitur, inclinat caput, et signat se Cruce a fronte ad pectus ; mox erectus, accipit ab Episcopo aspersorium, osculans primo Episcopi manum, deinde aspersorii manubrium ; et tenens dextera aspersorium, convertit se per dexteram suam, descendit de throno, ante gradus throni convertit se ad Episcopum, et caput profunde inclinat.

5. Celebrans de throno revertitur ad Altare, ante gradus Altaris in medio caput profunde inclinat Cruci, conversus aliquantulum ad Diaconum ipsum aspergit ; itidem Subdiaconum ; caput iterum profunde inclinat Cruci, et conversus per sinistram suam, tendit ad partem Chori quæ est a latere Evangelii, sed cum transit ante thronum, subsistens caput profunde inclinat Episcopo.

6. Aspersio cleri in Choro fit eodem modo qui describitur in Capite I, (107), n. 5. Cum post aspersionem revertitur ad Altare, Celebrans, ubi transit ante thronum, subsistens caput profunde inclinat Episcopo. Ante gradus Altaris, caput profunde inclinat Cruci, et stans, cantat Versiculos et Orationem, ut ibidem dicitur n. 6.

7. Post Orationem, Celebrans caput profunde inclinat Cruci Altaris, et omissa inclinatione Episcopo (non enim transeundum est ante thronum), directe tendit ad scamnum, ubi deposito pluviali, assumit manipulum et casulam.

8. Celebrans de scamno inter Ministros sacros procedit per planum usque ante medium Altaris, ad aliquam tamen distantiam ab infimo gradu ; omissa inclinatione ad Episcopum, ante medium Altaris subsistit, et conversus ad Crucem caput profunde inclinat ; mox ulterius cum Ministris sacris progreditur paululum versus partem Evangelii, ad talem distantiam ab Altari et a throno, ut Episcopus de throno descendens possit transire inter Celebrantem et Altare ; Celebrans ibi stat conversus ad Altare ; cum Episcopus procedens ad Altare transit, Celebrans caput ipsi profunde inclinat, et mox postquam Episcopus transiit, ipse accedit ad sinistram Episcopi pro Missa incipienda.

§ 3. In Missa solemni, exposito SS. Sacramento

(132) — 1. Rarius celebratur Missa solemnis coram SS. Sacramento exposito, simulque præsente Episcopo Ordinario. Supponitur in hac Instructione Missa solemnis celebrata in die Dominica, præsente Episcopo induto cappa magna.

2. Celebrans, facta aspersione aquæ benedictæ, ut supra, post Orationem caput profunde inclinat Cruci ; deinde conversus ad thronum, caput profunde inclinat Episcopo ; caput bireto cooperit, et conversus per dexteram suam, discedit cum Ministris sacris, et Acolythis ac Thuriferario, ad Altare Tabernaculi, pro expositione SS. Sacramenti, quæ fit eo modo qui præscribitur in Tractatu de administratione Sacramentorum, Q. 181 ; hoc solum animadvertet Celebrans, quod, cum ad Altare expositionis Ostensorium tradidit Diacono, post factam genuflexionem, descendit de Altari non ad medium, sed ad partem Epistolæ, ibique ad Altare conversus, deponit velum humerale, flectit genua in infimo gradu, remanetque genuflexus et junctis manibus, usque dum Episcopus in infimo gradu ante Altaris medium incensavit SS. Sacramentum.

3. Tunc Celebrans assurgit, accedit ad scamnum, deponit pluviale, et assumit manipulum et casulam ; et discedens de scamno, accedit cum ministris sacris ad planum ante medium Altaris retro post Episcopum ; conversus ad Altare subsistit, genu dextrum flectit, et mox accedit ad Episcopi sinistram ; genu dextrum iterum flectit in infimo gradu simul cum Episcopo, et facit signum Crucis pro principio Missæ celebrandæ.

Nota. Si SS. Sacramentum jam foret expositum in Altari,

ex. gr., in Adoratione perpetua, Celebrans omnia observaret sicut præscripta sunt pro accessu Episcopi ad Chorum, in Tractatu de celebratione Missæ, Q. 320, n. 1 ; nempe capitis profunda inclinatione salutat Episcopum accedentem.

4. In hujusmodi Missa solemni omittuntur a Celebrante omnes reverentiæ ad Episcopum, quas alias facit ratione transitus ante ipsum.

5. Si post ultimum Evangelium danda est Benedictio cum SS. Sacramento, quia tunc Episcopus de throno accedit ad faldistorium ante medium Altaris, Celebrans, lecto ultimo Evangelio, accedit ad Altaris medium, genu dextrum flectit, positis manibus extensis super mensam Altaris, et descendit a parte Epistolæ directe ad scamnum ; ibi deponit manipulum ac casulam, et assumit pluviale ; accedens tunc cum Ministris sacris ante ultimum gradum in plano a parte Epistolæ, una cum ipsis genua flectit in infimo gradu, remanetque genuflexus et manibus junctis, usque dum cantanda sit Oratio SS. Sacramenti. Episcopus thurificat SS. Sacramentum. Orationem cantat Celebrans erectus et junctis manibus.

6. Post Orationem, Celebrans iterum genua flectit in infimo gradu a parte Epistolæ, et assumit velum humerale ; cum Diaconus deposuit Ostensorium super mensam Altaris, Celebrans assurgit, et statim, sine reverentia ad Episcopum, ascendit ad suppedaneum ; deinde ritu consueto omnia peragit, quemadmodum pro benedictione et repositione SS. Sacramenti præscribuntur in Tractatu de administratione Sacramentorum, QQ. 184 et 185, nulla habita ratione præsentiæ Episcopi. Et ideo, si SS. Sacramentum deferendum est ad aliud Altare, discessus fit per gradus anteriores Altaris, uti consueto. Si vero SS. Sacramentum reconditur in Tabernaculo in ipso Altari in quo benedictio data fuit, tunc Celebrans, deposito post benedictionem Ostensorio super mensam Altaris, genu dextrum flectit, et descendit statim per gradus laterales ad partem Epistolæ, ubi, deposito velo humerali, genua flectit in infimo gradu, usque dum Diaconus SS. Sacramentum in Tabernaculo reposuerit. Clauso Tabernaculo, assurgit, et accedit ad scamnum.

CAPUT XX

DE OFFICIO CELEBRANTIS ET ASSISTENTIUM IN VESPERIS SOLEMNIBUS

(133) — Cfr. Tractatus de Officio Divino, Pars IV, Articulus I, QQ. 232, 233, 234.

APPENDIX I

MEMORIALE RITUUM

PRO ALIQUIBUS PRÆSTANTIORIBUS SACRIS FUNCTIONIBUS PERSOLVENDIS

IN MINORIBUS ECCLESIIS PAROCHIALIBUS

JUSSU BENEDICTI XIII PONTIFICIS MAXIMI EDITUM

PRÆNOTANDA

(134) — 1. In præcedentibus Instructionibus descriptum fuit, quomodo pleræque functiones liturgicæ, per annum occurrentes, exercendæ sunt, cum solemniter et cum assistentia sacrorum Ministrorum celebrantur.

Cum autem multæ sint parochiales ecclesiæ, in quibus nonnullæ ex his functionibus non ea cum solemnitate persolvi queunt quæ in his Instructionibus proponitur, deficiente sacrorum Ministrorum numero, typis datus fuit Romæ libellus, in quo describitur, quomodo exsolvendæ sunt sex de præcipuis functionibus sacris per annum in hujusmodi ecclesiis parochialibus.

Libellus inscribitur : MEMORIALE RITUUM, etc., uti titulus supra positus indicat ; et ex Decreto particularis Congregationis a Benedicto XIII indictæ, 4 Decembris 1724, propositus fuit observandus pro minoribus ecclesiis parochialibus Urbis Romæ. Postea S. Rituum Congregatio declaravit mentem suam esse ut omnes locorum Ordinarii studeant, in minoribus ecclesiis parochialibus suarum diœcesium, in quibus haberi possunt tres quatuorve saltem Clerici, functiones sacras Hebdomadæ sanctæ peragi servata forma hujus Memorialis. (Decret. 28 Julii 1821, n. 2616, antiq. 4583, ad 1.) Demum pluries rescripsit, pro omnibus functionibus in Memoriali descriptis, omnes ecclesias parochiales minores teneri ad servandum Memoriale.

2. Notandum vero est quod functiones sacras persolvere modo in Memoriali Rituum descripto licet tantum in minoribus ecclesiis parochialibus, non autem in ecclesiis quæ parochiales non sunt, nempe in oratoriis regularium, fratrum religiosorum, et monialium seu feminarum religiosarum ; etenim in hujus-

modi ecclesiis et oratoriis, Officia Hebdomadæ sanctæ, aliaque similia juxta Memoriale Rituum persolvi non posse rescribendum censuit S. Rituum Congregatio. (Decret. 16 Martii 1876, Mechlinien., n. 3390, antiq. 5652.) Itaque hujusmodi ecclesiæ et oratoria indigent Indulto speciali, ut in ipsis functiones sacras juxta Memoriale persolvere liceat. Supplicatum fuit ut S. Rituum Congregatio usum Memorialis in præfatis ecclesiis et oratoriis diœcesis Mechliniensis indulgere dignetur. Ad hoc postulatum rescribendum censuit eadem S. Congregatio : « Pro gratia, juxta modum ; nimirum ut petita facultas concedatur solummodo Oratoriis sive publicis sive privatis Monialium sub clausuræ lege viventium ; et aliis Oratoriis, sive Ecclesiis publicis pro locorum necessitate sive magna utilitate, juxta prudens Rmi D. Ordinarii pro tempore arbitrium ; et facto verbo cum SSmo.» (Decret. supra citatum, 16 Martii 1876.) Sanctitas autem Sua, die 23 Martii ejusdem anni, « benigne annuit pro gratia, ad tramitem supradictæ resolutionis, limitato tamen tempore ad proximum quinquennium. » (Cfr. Nouvelle Revue théologique, VIII, 1876, pag. 233.) Renovatur singulo quinquennio.

3. In Memoriale Rituum supponitur adesse in ecclesiis tres quatuorve Clericos qui Parocho assistant ; in nostris ecclesiis parochialibus minoribus, præsertim ruri, ad summum duo, et nequidem in omnibus, Clerici haberi possunt. Ubi deficiunt Clerici ordinati, subrogari posse sæculares, dicunt quidam auctores. Etenim nomen *Clericus* non ita urgendum est, ut clericali militiæ initiatis aut in minoribus constitutis solummodo conveniat ; sed sensu latiori et valde amplo accipiendum est, intelligendo scilicet pro Clerico quemvis ecclesiæ inservientem, talari veste et superpelliceo indutum. (Ephemerides Liturgicæ, VI, 1892, pag. 161.) In omni casu, juxta monitum in Memoriali : « Parocho curæ erit, designatos Clericos (vel sæculares) quasi manu ducens, præcedenter in actionibus peragendis instruere. Eosdem insuper ea quæ in processionibus recitanda præcipiuntur, edoceat. »

4. Ad dubium : « Anne Officia, de quibus agitur in Cæremoniali Benedicti XIII, cum cantu persolvi possint, juxta praxim communem in quibuscumque Ecclesiis ? » S. Rituum Congregatio rescribere rata est : « Negative. » (Decret. 13 Septembris 1879, n. 3505, antiq. 5794, ad 6.) Itaque omnia in istis diversis functionibus debent, ut sæpius in ipso Memoriali præscribitur, dici, seu legi, seu recitari.

Non debet tamen ibi intelligi lectio, seu recitatio quemadmodum in Missa privata, nam passim præscribit Memoriale ut Celebrans et Clerici dicant, seu legant, seu recitent « alta et clara voce » ; — ita etiam præscribit Celebranti, ut Orationes

ad Benedictiones dicat « in tono feriali » (Tit. I, Cap. II, § 1, n. 9) ; ut dicat Præconium in Sabbato sancto voce « clara, et hilari » quidem ; ut in Parasceve dicat Orationem Dominicam, et Orationem *Libera nos etc.* « in tono feriali » ; — ita etiam Clerici debent « modulari, æqua vocum concordia, ea quæ in Processionibus recitanda præcipiuntur » (Monitum) ; eum in finem Memoriale exhibet quasdam « Antiphonas redactas ad versus, ut commodius cantentur » (Tit. I, Cap. II, § III, n. 6) ; alia similia recitare debet Celebrans « alternatim cum suis Clericis, alta et æqua voce, more Clericorum Regularium » (Tit. I, Cap. II, § II, n. 4).

Congregationi Clericorum Regularium tribuitur quod cantum primitivæ Ecclesiæ renovaverit, nempe modico flexu vocis Psalmos canendo, ita ut cantus pronuntianti Psalmos vicinior esset quam canenti. (Gavantus et Merati, *Thesaurus Sacrorum Rituum*, Tom. II, Pars I, Sectio V, Cap. VIII, n. 14, et n. IX, editionis Romanæ, 1738, pag. 284 et 291.)

Ex his concludi potest quod, si cantus, qualis requiritur in functionibus solemniter secundum Missale peractis, prohibitus sit in iisdem functionibus secundum Memoriale persolutis, plura tamen in his functionibus possint Celebrans et assistentes Clerici modulari modo quasi psalmodico vel semitonato.

Notatur insuper quod non eousque creditur urgendum rescriptum supra citatum S. Rituum Congregationis, ut etiam prohibere voluerit Missam his functionibus conjunctam cantari, si fieri potest.

5. His prænotatis, describitur in sequentibus Memoriale Rituum, quemadmodum a Benedicto XIII fuit editum, præmisso Monito editionis anni 1725.

MONITUM

(135) — Ut Ritus, ac sacræ Cæremoniæ, visibilia Religionis, ac pietatis signa, per quæ mentes Fidelium ad rerum altissimarum contemplationem excitantur, in minoribus Ecclesiis Parochialibus almæ hujus Urbis exacte, ac uniformiter exerceantur ; utque hujusmodi Ecclesiarum Rectores ab exsolvendis functionibus illis præcipuis, quibus alma Mater Ecclesia præstantiora nostræ Redemptionis indixit recolenda mysteria, minime vel perstrictus Parochialium Clericorum numerus detineat, vel insuetorum Rituum anfractus deterreat ; ex Decreto particularis Congregationis, a Sanctissimo Domino nostro Benedicto PP. XIII. indictæ, sub die 4 Decembris proxime elapsi anni 1724, pro nonnullis ad sacram Visitationem Ecclesiarum Parochialium Urbis spectantibus, et a Sanctitate Sua confirmato ; Rectoribus ipsis Memoriale hoc Rituum, typis datum, proponitur observandum.

Exactissimam præscriptorum Rituum, cum perstrictissimo Clericorum nu-

mero, exhibet praxim. Ut plurimum tres tantum requirit : vix quartum desiderat. Parocho tamen curæ erit, designatos Clericos, quasi manu ducens, præcedenter in actionibus peragendis instruere, ut in eisdem attente, et expedite se gerant, neque oscitanter, quo se vertant, nesciant.

Eosdem insuper Clericos modulari, æqua vocum concordia, ea, quæ in Processionibus recitanda præcipiuntur, edoceat : quæque, ut inoffenso percurrantur pede, suis locis, in ipso hoc Memoriali per extensum inserere, consonum visum est ; ut unus idemque libellus, et quæ agenda, et quæ recitanda, suppeditet.

Sex, semel in anno occurrentes, functiones enucleate exponuntur (quas subsequens demonstrabit Index) : ex quibus haud difficile erit, methodum excerpere pro consimilibus ; ut in omnibus custodia Sacrarum Cæremoniarum semper effulgeat.

TITULUS I

(136) DE BENEDICTIONE CANDELARUM

IN FESTO PURIFICATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS

CAPUT I

DE PRÆPARANDIS PRO BENEDICTIONE, PROCESSIONE ET MISSA

In Abaco, seu Credentia Altaris majoris

1. Calix pro Missa cum omnibus ornamentis coloris albi : ni festum incidat in Dominica privilegiata, quia tunc coloris violacei.
2. Planeta, Stola, et Manipulus coloris albi, vel violacei, si in Dominica ut supra.
3. Thuribulum et Navicula cum thure.
4. Vas aquæ benedictæ cum Aspersorio.
5. Pelvis cum medulla panis, et vasa pro lotione manuum post distributionem Candelarum.
6. Manutergium.
7. Pelvicula cum ampullis vini, et aquæ, et mappulla ad manus tergendas.
8. Exemplaria hujus Memorialis pro recitandis in Processione.

In Altari

1. Pallium violaceum faciliter amovibile, et aptatum super aliud albi coloris, si Missa erit de Beata Maria.
2. Missale in cornu Epistolæ super pulvino violaceo, vel parvo legili.

Prope cornu Epistolæ in plano

1. Mensa cooperta mantili albo, et super eam Candelæ benedicendæ, similiter aliqua mappa munda coopertæ.
2. Crux Processionalis.

In Sacristia

1. Tria Superpellicea pro Clericis.

2. Amictus, Alba, Cingulus, Stola et Pluviale coloris violacei pro Celebrante.

3. Foculus cum igne, et forcipe.

CAPUT II

DE SACRIS RITIBUS IN FESTO PURIFICATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS ABSOLVENDIS

§ I. *De Benedictione Candelarum*

1. Circa horam diei tertiam, tres Clerici, talari habitu induti, accipiunt Superpellicea in Sacristia, atque disponunt omnia, ut in Cap. præced.

2. Festivo Campanarum sonitu convocetur Populus.

3. Celebrans, facta præparatione ad Missam, ac lotis manibus in Sacristia, ministrantibus secundo et tertio Clerico, accipit super Cottam, Amictum, Albam, Cingulum, Stolam et Pluviale coloris violacei.

Si fuerit dies Dominica, Celebrans sic indutus benedicit Aquam pro Aspersione, ut in Missali.

4. Interim primus Clericus amovet ab Altari vasa florum, et Candelas in eo accendit.

5. Celebrans, facta cum Clericis debita reverentia Cruci, vel sacræ aliæ Imagini in Sacristia, præcedente primo Clerico manibus junctis, medius inter secundum, et tertium Clericum, elevantes fimbrias Pluvialis, tecto capite, procedet ad Altare.

6. Ante infimum gradum deponit Biretum in manibus primi Clerici, qui, eo reposito, Candelas discooperit.

7. Celebrans, facta in plano vel reverentia Cruci, vel genuflexione super infimo gradu, si adsit Tabernaculum recondens SS. Eucharistiam, ascendit ad Altare, et osculatur illud in medio.

Si facienda sit Aspersio Aquæ benedictæ, Celebrans genuflexus in primo gradu inferiori procedit ad Aspersionem, ut in Missali, et deinde ascendit ad Altare, ut supra.

8. Celebrans, osculato Altari, accedit ad cornu Epistolæ semper medius inter Clericos, ut in num. 5.

9. Ibidem facie ad Altare, manibus junctis, in tono feriali, dicit : *Dominus vobiscum*, et postea subjungit : *Oremus*, et Orat. *Domine sancte*, etc. cum quatuor aliis Orationibus.

10. Interim primus Clericus ponit ignem in Thuribulo, et accipit Naviculam.

11. Dum dicitur quinta Oratio, tertius Clericus, qui erat a sinistris Celebrantis, facta genuflexione Altari, recedit, et accepto e Credentia Vase Aquæ benedictæ, una cum Clerico Thuriferario accedit ad Celebrantem.

12. Celebrans, completa quinta Oratione, ministrante cum osculis consuetis Naviculam secundo Clerico, qui est a dextris ejus, imponit cum benedictione Incensum in Thuribulo.

13. Deinde, accepto Aspersorio a secundo Clerico, ter aspergit Candelas,

in medio, a dextris earum, et a sinistris, dicens submissa voce Ant. *Asperges me* etc.

14. Successive similiter triplici ductu Candelas adolet incenso, nihil dicens.

15. Completa benedictione, Celebrans facta in medio Altaris debita reverentia, sedebit tecto capite super scabello in suppedaneo a parte Evangelii (1), et gravi sermone Populum admonebit de Institutione hujus Solemnitatis, atque Mysteriis, et utilitate Candelarum benedictarum, utque Populus reverenter accedat ad distributionem.

§ II. *De distributione Candelarum*

1. Expleto sermone, primus Clericus accipit e Mensa Candelam pro Celebrante, et, *nisi adsit aliquis in Presbyterali ordine constitutus*, eam collocat in medio Altaris.

2. Celebrans, facta reverentia in medio Altaris, genuflectit super suppedaneo facie ad Crucem.

3. Sic genuflexus accipit ex Altari Candelam, et eam osculatur, et tradit primo Clerico servandam.

Si adsit aliquis Sacerdos, hic dabit Candelam Celebranti stanti facie ad Populum, cum osculo Candelæ tantum, et Celebrans similiter Candelam (2) *tantum osculabitur.*

4. Deinde Celebrans accedit ad cornu (3) Epistolæ, et alternatim cum suis Clericis alta, et æqua voce, more Clericorum Regularium, recitabit Ant. *Lumen* etc. et Canticum *Nunc dimittis* etc.

5. Repetita post *Sicut erat in principio* etc. Ant. *Lumen* etc., Celebrans, facta inclinatione Cruci, vertit se ad Populum, et distribuit Candelas primo Presbyteris, si adsint ; deinde Clericis, dispositis seriatim super ora suppedanei, et digniores erunt prope cornu Epistolæ ; qui omnes genuflexi Candelam, et manum Celebrantis osculabuntur.

6. Deinde Celebrans, facta reverentia Altari, medius inter suos Clericos accedit ad cancellos Presbyterii a parte Epistolæ.

7. Ibidem incipit distribuere Candelas primo Viris, deinde Feminis, præbente ei Candelas tertio Clerico a sinistris, allatas a primo Clerico.

8. Completa distributione, Celebrans lavabit manus in plano Epistolæ, fundente aquam primo Clerico, et aliis duobus manutergium ministrantibus.

9. Celebrans, lotis manibus, accedit ante Altare per longiorem, factaque in medio Cruci (4) reverentia, pergit ad librum in cornu Epistolæ.

10. Ibi cum suis Clericis, alta voce recitabit Antiphonam *Exsurge Domine*, etc.

11. Deinde stans ibidem subdit : *Oremus*, et si sit post Septuagesimam, et non in die Dominico, subjungit ipsemet, ac genuflectens cum omnibus : *Flectamus genua*, et secundus Clericus primo surgens, respondet : *Levate.*

12. Postmodum Celebrans dicet Orationem : *Exaudi, quæsumus Domine* etc. semper tenens manus junctas, ut supra.

(1) Bauldr. p. 4. cap. 3. art. 3. n. 13.
(2) Bauldr. p. 4. c. 3. art. 2. n. 13. Gavant. in Dom. Palm. n. 14. lit. g.
(3) Bauldr. loc. cit. art. 4. num. 3.
(4) Ex Castald. lib. 3. sect. 8. cap. 3. n. 7., Gavant. p. 4. tit. 10. lit. g. n. 18.

§ III. *De Processione*

1. Completa Oratione, Celebrans accedit ad medium Altaris, ibidem accipit a primo Clerico Candelam accensam, et exemplar hujus Memorialis, vel Rituale pro Antiphonis in Processione cantandis.

2. Duo alii Clerici similiter accipiunt Candelas accensas, et exemplaria hujus Ritualis.

3. Celebrans vertit se ad Populum, et dicit : *Procedamus in pace*, et Clerici respondent : *In nomine Christi. Amen.*

4. Celebrans incipit recitare Antiph. *Adorna* etc. ut infra, et alternatim cum Clericis sibi assistentibus reliquas Antiphonas prosequetur.

5. Responso, ut supra : *In nomine Christi. Amen*, primus Clericus accipit Crucem Processionalem ; et facta genuflexione Altari, vertit se ad Populum, et procedit, juxta consuetudinem, vel extra Ecclesiam, vel intus eamdem, et dirigit Processionem a sua parte dextera, et circuit, et redit ante Altare.

6. Subsequitur Celebrans tecto capite, medius inter Clericos, recitans cum eis sequentes Antiphonas redactas (*vel in Rituale edition. Pezzana. Venet.* 1693) ad versus, ut commodius cantentur.

Antiphona

Adorna thalamum tuum Sion : et suscipe Regem Christum.
Amplectere Mariam : quæ est cœlestis porta.
Ipsa enim portat Regem gloriæ, novi luminis.
Subsistit Virgo, adducens manibus Filium, ante luciferum genitum.
Quem accipiens Simeon in ulnas suas prædicavit populis : Dominum eum esse vitæ, et mortis, et Salvatorem mundi.
Alia Aña. Luc. II. Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto : non visurum se mortem nisi videret Christum Domini.
Et cum inducerent Puerum in templum : accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit :
Nunc dimittis servum tuum Domine : secundum verbum tuum in pace.
℣. Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo : ipse accepit eum in ulnas suas.

7. Ingrediendo Ecclesiam, si extra eam processum fuit, vel in ipso cancellorum Presbyterii ingressu, si Processio intus Ecclesiam peracta fuit, recitatur sequens Responsorium.

℟. Obtulerunt Domino par turturum : aut duos pullos columbarum.
Sicut scriptum est : in lege Domini.
Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ : secundum legem Moysi.

Tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino.
Sicut scriptum est in lege Domini.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.
Sicut scriptum est in lege Domini.

8. Clericus cum Cruce, facta ante Altare genuflexione, deponit eam in loco suo.

9. Celebrans absolvit Resp. ante Altare.

§ IV. *De Missa post Processionem*

1. Absoluto Resp. primus Clericus resumit Candelas a Celebrante, et Clericis, extinguit, et servat in Credentia.

2. Celebrans facta reverentia Altari accedit ad planum Epistolæ, in loco ubi alias sedetur in Missa solemni ; et per manus secundi, et tertii Clerici deponit Pluviale et Stolam violaceam, et accipit Manipulum, Stolam, et Planetam coloris albi, si Missa erit de beata Maria ; alias, deposito Pluviali, accipit Manipulum, et Planetam violaceam pro Missa de Dominica.

3. Interim, *si Missa erit celebranda de festo*, primus Clericus amovet Pallium violaceum ab Altari, remanente alio, et apponit Vasa florum inter Candelabra, et successive defert Calicem paratum ad Altare, et expanso Corporali, eumdem in medio concinne collocat.

4. Celebrans procedit ad Missam, in qua, si erit de festo, Clerici tenebunt (1) Candelas accensas ad Evangelium, et ab Elevatione usque ad Sumptionem.

5. Dum Celebrans legit Ant. *Communio*, primus Clericus amovet Calicem ab Altari, et refert ad Credentiam.

6. Completa Missa Celebrans, præcedentibus Clericis, redit, manibus junctis, in Sacristiam.

7. Ibi deponit Paramenta Missalia, et gratias agit de more.

8. Clerici ex Altari, et Abaco reportant omnia in Sacristia, et quæque suis locis reponunt.

TITULUS II

(137) DE BENEDICTIONE CINERUM IN CAPITE JEJUNII

CAPUT I

DE PRÆPARANDIS PRO BENEDICTIONE, ET MISSA

In Abaco, seu Credentia Altaris majoris

1. Calix paratus pro Missa, cum Velo, et Bursa coloris violacei.
2. Manipulus, et Planeta violacea.
3. Thuribulum, et Navicula cum thure.

(1) Gavant. p. 4. tit. 14. n. 10. et alii.

4. Vas Aquæ benedictæ cum Aspersorio.

5. Pelvis cum medulla panis, et Vasa ad lavandas manus post Cinerum distributionem.

6. Manutergium.

7. Pelvicula cum Ampullis vini, et aquæ, et Mappula ad manus tergendas.

In Altari

1. Altare cum Pallio violaceo, Cruce, et Candelabris cum Cereis, absque Vasis florum.

2. Missale in cornu Epistolæ super pulvino violaceo, aut legili.

3. Vas argenteum, vel ex alia pulchra materia, cum Cineribus ex ramis in præcedenti Dominica Palmarum benedictis, combustis, et subtiliter cribratis, et aridis, coopertum vel operculo consimili, vel velo violaceo, inter Missale, et cornu Epistolæ.

In Sacristia

1. Tria Superpellicea pro Clericis.

2. Amictus, Alba, Cingulus, Stola, et Pluviale coloris violacei.

3. Foculus cum carbonibus accensis, et forcipe.

CAPUT II

DE SACRIS RITIBUS IN FERIA IV. CINERUM PERSOLVENDIS

§ I. *De Benedictione Cinerum*

1. Dispositis omnibus, ut supra, per Clericos indutos Superpelliceis hora congrua, solito Campanarum signo, convocetur Populus ad Ecclesiam.

2. Celebrans in Sacristia, lotis manibus, per manus secundi et tertii Clerici accipit super Cottam, Amictum, Albam, Cingulum, Stolam et Pluviale coloris violacei.

3. Primus Clericus accendit Candelas super Altare, et deinde in Sacristiam redit.

4. Proceditur, facta reverentia Cruci in Sacristia, vel sacræ Imagini, ad Altare majus.

5. Præcedit primus Clericus manibus junctis, et subsequitur Celebrans tecto capite medius inter secundum, et tertium Clericum.

6. Celebrans ante Altare deponit Biretum in manus primi Clerici, et facit debitam reverentiam Altari.

7. Ascendit Altare medius inter secundum, et tertium Clericum, et osculatur illud in medio.

8. Interim primus Clericus, deposito Bireto, discooperit Cineres.

9. Celebrans accedit ad cornu Epistolæ, et ex Missali recitat cum suis Clericis Ant. *Exaudi* etc.

10. Interim primus Clericus præparat Thuribulum cum igne.

11. Repetita Ant. *Exaudi*, Celebrans stans ibidem, non se vertens ad Populum, dicit in tono feriali, ac manibus junctis : *Dominus vobiscum*, et postmodum subjungit quatuor Orationes.

12. Dum dicitur quarta Oratio, tertius Clericus, facta genuflexione Altari,

accipit vas Aquæ benedictæ, et una cum Clerico Thuriferario accedit ad Celebrantem.

13. Celebrans ministerio secundi Clerici imponit incensum in Thuribulo, et deinde aspergit, et thurificat Cineres de more.

14. Expleta Benedictione, Vas cum Cineribus ponitur in medio Altaris.

15. Celebrans sedens, ut alias in Suppedaneo, habet sermonem ad Populum super Benedictione, et Impositione Cinerum in hac feria.

§ II. *De Cinerum Impositione*

1. Celebrans, *absente alio Sacerdote*, facta reverentia Cruci, genuflectit super Suppedaneo in medio.

2. Sic genuflexus sibi ipsi Cineres in modum Crucis imponit in capite, nihil dicens.

Si adsit alius Sacerdos, hic sine Stola accedens ad Altare, imponit Cineres Celebranti, qui stabit capite inclinato, et facie versa ad Populum, dicendo :

« Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris. »

3. Celebrans, acceptis Cineribus, accedit ad Missale in cornu Epistolæ, et recitat cum Clericis, ut supra, Antiph. *Immutemur* etc. usque ad finem.

4. Deinde imponit Cineres omnibus de Clero, dispositis super oram Suppedanei, et dignior erit proximior ad latus Epistolæ, dicens : *Memento homo* etc.

5. Celebrans, facta reverentia Altari, medius inter secundum, et tertium Clericum, accedit ad cancellos Presbyterii e regione Epistolæ, et imponit Cineres primo Viris, deinde Feminis.

6. Completa impositione, Celebrans in plano Epistolæ, ministrantibus Clericis, lavat manus cum mica panis, et tergit.

7. Deinde ascendit Altare per longiorem, et facta reverentia in medio, pergit ad latus Epistolæ.

8. Ibidem facie ad Altare dicit manibus junctis : *Dominus vobiscum*, et Orationem : *Concede nobis Domine* etc. et facta ibidem reverentia Altari, descendit ad planum Epistolæ.

§ III. *De Missa*

1. Celebrans in plano Epistolæ prope scabellum, adjuvantibus suis Clericis, deponit Pluviale, et accipit Manipulum, et Planetam, et sedet aliquantulum.

2. Interim primus Clericus defert Calicem ad Altare, et expanso Corporali in medio ejus, aptat Calicem super illud.

3. Celebrans procedit ad Missam, in qua omnia, ut in Missali.

4. Dum dicitur *Communio*, primus Clericus amovet Calicem ab Altari, et defert ad Credentiam.

5. Completa Missa, Celebrans redit, præcedentibus Clericis, manibus junctis, in Sacristiam, ubi, depositis paramentis missalibus, Deo gratias agit.

6. Clerici reportant omnia in Sacristia, et recondunt.

TITULUS III

(138) DE DOMINICA PALMARUM

CAPUT I

DE PRÆPARANDIS PRO SACRIS ACTIONIBUS HUJUS DOMINICÆ

In Abaco, seu Credentia Altaris majoris

1. Calix pro Missa cum omnibus ornamentis coloris violacei.
2. Manipulus, et Planeta coloris violacei.
3. Thuribulum, et Navicula cum thure.
4. Pelvis, et Urceus pro lotione manuum.
5. Manutergium.
6. Pelvicula cum Ampullis vini et aquæ, et Mappulla ad manus tergendas.
7. Exemplaria hujus Memorialis pro recitandis in Processione.

In Altari

1. Pallium violaceum.
2. Missale in cornu Epistolæ super pulvino violaceo, vel legili.
3. Rami Palmarum, loco florum, inter Candelabra.

Prope cornu Epistolæ in plano

1. Mensa cooperta mantili albo, et super eam Palmæ benedicendæ.
2. Crux processionalis tecta velo violaceo, et Vitta violacea pro liganda Palma in summitate Crucis.

In Sacristia

1. Tria Superpellicea pro Clericis.
2. Amictus, Alba, Cingulus, Stola, et Pluviale violacei coloris pro Celebrante.
3. Foculus cum igne, et forcipe.
4. Vas Aquæ benedictæ cum Aspersorio.

CAPUT II

DE SACRIS RITIBUS IN DOMINICA PALMARUM PERSOLVENDIS

§ I. *De Benedictione Palmarum*

1. Omnibus suo loco dispositis, festivo campanarum sonitu, hora congrua, convocatur populus.
2. Celebrans in Sacristia, adjuvantibus secundo, ac tertio Clerico, induit super Cottam, Amictum, Albam, Cingulum, Stolam, et Pluviale violaceum.
3. Idem benedicit Aquam, ut in Missali, et interim primus Clericus accendit Cereos in Altari.
4. Celebrans, præcedente primo Clerico portante Vas cum aqua nuper

benedicta, medius inter secundum, et tertium Clericum, tecto capite, procedit ad Altare, et genuflectit in ejus infimo gradu pro Aspersione aquæ benedictæ.

5. Fit Aspersio more solito, post quam primus Clericus reponit Missale super legili, in cornu Epistolæ Altaris.

6. Tertius Clericus accipit e credentia Manipulum, et illum aptat in (1) brachio sinistro Celebrantis.

7. Celebrans medius inter Clericos, ut in num. 4., ascendit Altare, ac illud osculatur in medio, deinde in cornu Epistolæ, alta et æquali voce incipit Ant. *Hosanna*, etc., quam cum Clericis prosequetur.

8. Stans ibidem dicit manibus junctis : *Dominus vobiscum*, et deinde Orationem : *Deus, quem diligere* etc.

9. Subjungit Lectionem, et post eam dicit cum Clericis Responsorium : *Collegerunt* etc. *In monte Oliveti* etc.

10. Præmisso eodem loco : *Munda cor meum*, legit Evangelium, et osculatur Textum in fine, et postmodum deponit Manipulum.

11. Deinde dicit : *Dominus vobiscum*, Orationem, et Præfationem, tenens semper manus junctas, tam ad hæc, quam ad subsequentes Orationes.

12. Clerici dicunt : *Sanctus, Sanctus* etc.

13. Celebrans præmisso : *Dominus vobiscum*, subjungit quinque alias Orationes.

14. Interim primus Clericus ponit ignem in Thuribulo, et accipit Naviculam.

15. Dum dicitur quinta Oratio, tertius Clericus, facta genuflexione Altari, accipit e credentia Vas Aquæ benedictæ, et una cum Thuriferario accedit ad Celebrantem.

16. Celebrans, ministrante secundo Clerico, imponit incensum in Thuribulo cum benedictione, et osculis.

17. Deinde ter aspergit Ramos, dicens submissa voce : *Asperges me*, etc. sine Psalmo, ac demum eosdem thurificat.

18. Celebrans dicit iterum : *Dominus vobiscum*, et sextam Orationem.

19. Primus Clericus deponit Thuribulum, et tertius accedit ad sinistram Celebrantis.

20. Celebrans sedens sermonem habet Solemnitati congruum.

§ II. *De Palmarum distributione*

1. Primus Clericus accipit e credentia Palmas pro Celebrante et Clericis, et collocat super Altare.

2. Celebrans, facta reverentia Cruci, genuflectit in medio Altaris.

3. Genuflexus accipit ex Altari Palmam, quam osculatur, et tradit primo Clerico servandam.

Si adsit aliquis Sacerdos, hic dabit Palmam Celebranti, ut dictum fuit de Candela in festo Purificationis.

4. Celebrans accedit ad cornu Epistolæ, et cum suis Clericis recitat Antiphonas : *Pueri Hebræorum* etc.

5. Deinde, facta inclinatione Cruci, vertit se ad populum, et distribuit Palmas, primo Presbyteris, *si adsint*, deinde Clericis genuflexis in suppedaneo,

(1) Bauldr. p. 4. cap. 6, art. 4 num. 5.

et Digniores erunt prope cornu Epistolæ ; qui omnes osculantur prius Ramum, deinde manum Celebrantis.

6. Celebrans descendit ab Altari, et facta reverentia, accedit ad cancellos Altaris versus cornu Epistolæ.

7. Ibi, offerente Palmas a sinistris primo Clerico, Celebrans incipit easdem distribuere populo, primo Viris, deinde Feminis.

8. Completa distributione, Celebrans lavat manus in plano Epistolæ, Clericis ministrantibus.

9. Accedit per longiorem ad Altare, et in cornu Epistolæ dicit : *Dominus vobiscum*, et ultimam Orationem.

10. Interim primus Clericus apponit, et firmat vitta violacea unam ex Palmis in summitate Crucis processionalis.

11. Completa Oratione, primus Clericus porrigit Celebranti, et aliis duobus Clericis Palmas, et exemplaria hujus Memorialis pro recitandis in Processione.

§ III. *De Processione*

1. Celebrans, tenens Palmam in manibus, vertit se ad populum, et dicit in medio Altaris : *Procedamus in pace* ; et Clerici respondent : *In nomine Christi. Amen* ; et Celebrans inchoat : *Cum appropinquaret* etc.

2. Dirigitur Processio : præcedit primus Clericus cum Cruce : sequitur Celebrans medius inter duos Clericos, recitans alternatim cum eis alta voce Antiphonas, quæ sequuntur, ad versus aptatas.

3. Proceditur per latus dexterum Celebrantis extra portam principalem, recitando ut infra.

Antiphona

Cum appropinquaret Dominus Jerosolymam : misit duos ex discipulis suis, dicens :

Ite in castellum, quod contra vos est : et invenietis pullum asinæ alligatum, super quem nullus hominum sedit.

Solvite eum : et adducite mihi.

Si quis vos interrogaverit : dicite, opus Domino est.

Solventes adduxerunt ad Jesum : et imposuerunt illi vestimenta sua, et sedit super eum.

Alii expandebant vestimenta sua in via : alii ramos de arboribus sternebant.

Et qui sequebantur clamabant : Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini.

Benedictum regnum Patris nostri David. Hosanna in excelsis, miserere nobis, fili David.

Alia Antiphona. Cum audisset populus, quia Jesus venit Jerosolymam : acceperunt ramos Palmarum.

Et exierunt ei obviam : et clamabant pueri dicentes :

Hic est : qui venturus est in salutem populi.

Hic est salus nostra : et redemptio Israel.

Quantus est iste : cui Throni, et Dominationes occurrunt.

Noli timere filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi sedens super pullum asinæ : sicut scriptum est.

Salve Rex fabricator Mundi : qui venisti redimere nos.

Alia Antiphona. ANTE sex dies solemnis Paschæ : quando venit Dominus in civitatem Jerusalem.

Occurrerunt ei pueri : et in manibus portabant ramos Palmarum.

Et clamabant voce magna, dicentes : Hosanna in excelsis.

Benedictus qui venisti in multitudine misericordiæ tuæ : Hosanna in excelsis.

Alia Antiphona. OCCURRUNT turbæ cum floribus, et Palmis Redemptori obviam : et victori triumphanti digna dant obsequia.

Filium Dei ore gentes prædicant : et in laudem Christi voces tonant per nubila, Hosanna in excelsis.

Alia Antiphona. CUM Angelis, et pueris fideles inveniamur : triumphatori mortis clamantes, Hosanna in excelsis.

Alia Antiphona. TURBA multa, quæ convenerat ad diem festum clamabat Domino : Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.

4. Primus Clericus cum Cruce sistit ante portam principalem facie ad eamdem versa.

5. Secundus, et tertius Clericus intrant Ecclesiam, et clauso ostio, stantes versa facie ad Processionem, dicunt :

℣. Gloria, laus, et honor tibi sit Rex Christe Redemptor : Cui puerile decus prompsit Hosanna pium.

6. Celebrans extra Ecclesiam, facie ad portam, repetit tecto capite.

Cel. Gloria, laus, et honor tibi sit Rex Christe Redemptor : Cui puerile decus prompsit Hosanna pium.

Cl. Israel es tu Rex, Davidis inclyta proles : Nomine qui in Domini, Rex benedicte venis.

Cel. Gloria, laus, etc.

Cl. Cœtus in excelsis te laudat cœlicus omnis : Et mortalis homo, et cuncta creata simul.

Cel. Gloria, laus, etc.

Cl. Plebs Hebræa tibi cum Palmis obvia venit : Cum prece, voto, hymnis, adsumus ecce tibi.

Cel. Gloria, laus, etc.

Cl. Hi tibi passuro solvebant munia laudis : Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.

Cel. Gloria, laus, etc.

Cl. Hi placuere tibi, placeat devotio nostra : Rex bone, Rex clemens, cui bona cuncta placent.

Cel. Gloria, laus, etc.

7. Versibus completis, primus Clericus calce hastilis Crucis percutit imam partem ipsius portæ, ita ut fragor audiatur, et duo Clerici qui sunt intus Ecclesiam, portam aperiunt, et sistunt se hinc inde ad januam.

8. Primus Clericus cum Cruce ingreditur Ecclesiam, et Celebrans subsequendo, incipit Responsorium : *Ingrediente Domino* etc.

9. Secundus et tertius Clericus excipiunt Celebrantem, et ponentes illum in medio, prosequuntur cum eo Resp.

Ingrediente Domino in sanctam Civitatem : Hebræorum pueri resurrectionem vitæ pronunciantes.

Cum ramis Palmarum : Hosanna clamabant in excelsis.

Cumque audissent, quod Jesus veniret Jerosolymam : exierunt obviam ei.

Cum ramis Palmarum : Hosanna clamabant in excelsis.

10. Terminatur Processio, et Responsorium ante Altare majus.

11. Primus Clericus deponit Crucem, et deinde recipit Palmas a Celebrante et Clericis.

12. Celebrans in plano Epistolæ, ubi alias sedetur in Missa, deponit Pluviale, et accipit Manipulum, et Planetam, et sedet aliquantulum.

13. Primus Clericus portat Calicem ad Altare, et expanso Corporali in medio ejus, illum collocat, et aptat.

14. Celebrans procedit ad Missam celebrandam, in qua Clerici poterunt tenere Palmam in manibus, dum legitur Passio, et in fine Missæ legitur Evangelium S. Joannis *In principio* etc.

15. Dum Celebrans legit Ant. *Communio*, primus Clericus amovet Calicem ab Altari, et portat ad credentiam.

16. Completa Missa, Celebrans redit manibus junctis in Sacristiam, Clericis præcedentibus.

17. Ibi deponit sacra paramenta, et gratias agit.

18. Clerici ex Altari, et credentia resumunt omnia, et suis locis recondunt, et modeste recedunt.

TITULUS IV

(139) DE FERIA QUINTA IN CŒNA DOMINI

CAPUT I

DE PRÆPARANDIS PRO FUNCTIONIBUS IN HAC FERIA V. PERSOLVENDIS

In Altari

1. Altare solemniter ornatur, et cum Pallio albi coloris.
2. Crux inter candelabra, tecta velo albi coloris.
3. Missale super pulvino albo, sive legili in cornu Epistolæ.

In Abaco, seu Credentia

1. Calix pro Missa cum ornamentis coloris albi, et duplici Hostia.
2. Alius Calix cum Palla, Patena, Velo albo, et Ligula serica albi coloris.
3. Pyxis cum Particulis consecrandis ad Communionem Populi, et Infirmorum.
4. Pelvicula cum Urceolis vini et aquæ, et Manutergio.
5. Schedulæ tradendæ Communicatis.
6. Crux processionalis cooperta velo violaceo.
7. Thuribulum cum Navicula.
8. Velum humerale albi coloris.
9. Mappa oblonga extendenda super cancellos in Communione Populi.
10. Baldachinum hastatum, vel Umbella pro Processione, extra cancellos.
11. Crotalum pro signo Salutationis Angelicæ.

In Sacristia

1. Tria Superpellicea pro Clericis.
2. Amictus, Alba, Cingulus, Manipulus, Stola, et Planeta albi coloris.
3. Pluviale album.
4. Stola violacea.
5. Foculus cum igne, et forcipe.
6. Funalia, sive Candelæ pro Processione.

In Sacello parato pro Repositione SS. Sacramenti

1. Locus ipse ab Altari majori distinctus, et decenter velis pretiosis, non tamen nigris, et luminibus, ac floribus ornatus, sine Reliquiis, aut Imaginibus Sanctorum.
2. Supra Altare ibidem erectum Capsula elegans clave firmata, pro Calice servando.
3. Corporale stratum intra Capsulam.
4. Aliud Corporale super Altare.
5. Scabellum graduatum pro repositione Calicis in Capsula.

CAPUT II

DE SACRIS RITIBUS FERIA V. IN CŒNA DOMINI PERAGENDIS

§ I. *De Missa usque ad Processionem*

1. Sonus harmonicus campanarum pro convocatione Populi.
2. Clerici induti Superpelliceis disponunt omnia suis locis, ut supra.
3. Rector interim excipit Confessiones suorum Parochianorum.
4. Hora congrua Rector Ecclesiæ celebraturus induit se paramentis Missalibus albi coloris.
5. Primus Clericus accendit candelas in Altari majori, et aptat Calicem in medio ejus, et retro illum Pyxidem cum Particulis.
6. Celebrans, præcedente primo Clerico, et post eum secundo cum tertio manibus junctis, procedit tecto capite ad Altare pro Missa.

7. Incipit Missam omisso in Confessione Psal. *Judica me Deus* etc. et *Gloria Patri*.

8. Ad *Gloria in excelsis* pulsantur campanæ : quæ deinde silent usque ad Sabbatum sanctum.

9. Ultra Hostiam consuetam consecratur et alia, et Particulæ pro Communione Fidelium, et pro Infirmis.

10. Dicitur, ut alias, *Agnus Dei*, licet in Missa solemni non sit danda Pax.

11. Dum Celebrans dicit Orationes ante Communionem, primus Clericus portat ex Abaco ad Altare Calicem vacuum cum Palla, Patena, et Velo albi coloris.

12. Celebrans sumpto Sanguine, et cooperto Calice, ex quo sumpsit, alterum Calicem ponit in medio Corporalis, et detegit.

13. Genuflectit, et alteram Hostiam consecratam reponit in Calice, cooperit Palla, et Patena inversa, et Velum desuper expandit, et genuflectit.

14. Accipit Pyxidem, et ponit eam ante Calicem velatum : discooperit, et facta genuflexione, retrahit se in cornu Evangelii (1) versa facie ad cornu Epistolæ.

15. Clericus genuflexus in cornu Epistolæ, omnibus similiter de Clero, et Populo genuflectentibus, dicit : *Confiteor Deo* etc. et Celebrans subjungit : *Misereatur* etc. et *Indulgentiam* etc. ut alias.

16. Celebrans accedens ad medium genuflectit, et accepta Pyxide, vertit se ad Communicandos, et dicit de more, ter : *Ecce Agnus Dei* etc.

17. Fit Communio Clericorum apud Altare, deinde Virorum, et Mulierum ad cancellos, expansa Mappa ante pectus eorumdem.

18. Peracta Communione, Celebrans ad Altare cooperit Pyxidem, et eam servat in Tabernaculo.

19. Deinde dicto : *Quod ore* etc. se purificat, et facta genuflexione, abluit digitos super Calicem, et super Altare de more : et accedens ad medium, genuflectit, et sumit ablutionem digitorum.

20. Calix Missæ defertur ad credentiam : accenduntur Cerei in sacello Sepulchri : disponitur Baldachinum, sive Umbella, et distribuuntur Cerei pro sodalibus si adsint, vel cultioribus de Populo.

21. Celebrans prosequitur Missam, in qua hæc observabit :

Exterso Calice genuflectit, accedit ad cornu Epistolæ, et legit *Communionem*.

Venit in medium, genuflectit, osculatur Altare, et retrahens se a latere Evangelii dicit : *Dominus vobiscum*.

Redit in medium, genuflectit, et accedit ad cornu Epistolæ, ubi legit *Postcommunionem*.

Iterum in medium, genuflectit, osculatur Altare, vertit se, ut prius, dicit : *Dominus vobiscum*, et *Ite Missa est*.

Vertit se ad medium, genuflectit, dicit : *Placeat* etc., osculatur Altare, dicit : *Benedicat vos* etc. et genuflectit.

Vertit se in cornu Evangelii : dat benedictionem, et non perficiens circulum, convertit se ad latus Evangelii, non rediens in medium.

Dicit Evangelium S. Joannis, ad quod signat librum, vel tabellam, non autem Altare.

Ad *Verbum Caro factum est* etc. genuflectit versus Sacramentum.

(1) Cær. Ep. l. 2. c. 29, Bauldr. p. 3. c. 11. art. 10. n. IV.

22. Celebrans, completa Missa, accedit ad medium, genuflectit, et per breviorem descendit ad planum Epistolæ.

23. Ibi per manus Clericorum deponit Planetam, et Manipulum, et accipit Pluviale albi coloris.

§ II. *De Processione SS. Sacramenti ad Sacellum*

1. Celebrans accedit ante Altare, et facta genuflexione in plano, orabit genuflexus in inferiori gradu.

2. Primus Clericus accipit Thuribulum cum igne, et Naviculam cum thure, et accedit ad Celebrantem.

3. Celebrans surgens, imponit thus in Thuribulo sine benedictione, ministrante Naviculam secundo ex Clericis sine osculis.

4. Celebrans ascendit gradus Altaris, et genuflexus in suppedaneo incensat SS. Sacramentum in Calice.

5. Deinde accipit Velum humerale, et surgens accedit ad Mensam Altaris : genuflectit, surgit, et ad cautelam firmat Velum Calicis ligula serica albi coloris.

6. Accipit Calicem sinistra per nodum, submittens eam Velo, et dexteram ponit supra Calicem, supra quam secundus Clericus extendit extremitates ambas Veli humeralis.

7. Celebrans cum Calice vertit renes Altari, et incipit Hymn. *Pange lingua* etc.

8. Proceditur ordine sequenti ad sacellum Sepulchri.

1. Vexillum consuetum in delatione SS. Viatici.
2. Sodales, vel pii Viri cum luminibus.
3. Crux Processionalis delata a tertio Clerico.
4. Primus Clericus cum Thuribulo fumigante.
5. Celebrans sub Baldachino, vel sub Umbella, et a sinistris ejus secundus Clericus elevans vestis anterioris ejus extremitates, dum descendit gradus, vel ascendit, recitantes Hymn. *Pange lingua* etc.

9. Ad Sacellum omnes se disponunt per duas partes, ita ut Thuriferarius, et Celebrans sub Baldachino, possint transire per medium illorum.

10. Deferentes Labarum, et Crucem sistunt e regione Sacelli.

11. Celebrans ascendit Altare Sacelli, et deponit Calicem supra Altare : genuflectit, descendit primum gradum, et genuflexus in suppedaneo deponit Velum humerale.

12. Interim deferentes Baldachinum asportant illud ad locum congruum.

13. Celebrans surgens imponit iterum incensum in Thuribulo sine benedictione, et sine osculis : et genuflexus super suppedaneo Sacramentum incensat, et Clerici recitabunt vers. *Tantum ergo Sacramentum* etc.

14. Deposito Thuribulo Celebrans surgit, ascendit ad Altare, genuflectit, et accipiens Calicem, illum recondit in Capsula, admoto per secundum Clericum scabello gradato, si opus erit.

15. Iterum genuflectit, et postea claudit Capsulam : genuflectit, et descendit in planum Sacelli.

16. Celebrans genuflectit in gradu infimo Altaris, et post aliqualem Orationem surgit, et facta genuflexione ambobus genibus in plano, præcedente Cruce, medius inter Clericos revertitur ad Altare tecto capite.

§ III. *De Pyxidis asportatione*

1. Cum omnes pervenerint ad Altare, Crux deponitur loco suo, et secundus, et tertius Clericus accipiunt Cereos accensos.

2. Celebrans, facta genuflexione, ascendit Altare, extrahit e Tabernaculo Pyxidem cum Particulis : collocat eam super Corporale, et genuflectit.

3. Descendens genuflectit in suppedaneo, et accipit a primo Clerico Velum pro humeris.

4. Ascendit Altare, genuflectit, et manibus velatis, accipit Pyxidem, et præcedentibus Clericis cum Cereis accensis, portat Pyxidem ad Altare Sepulchri, et collocat super Corporale, et postea genuflectit.

5. Deinde descendens, genuflectit in suppedaneo, ubi per manus Clerici deponit Velum : iterum ascendit, et genuflectit ; aperit Capsulam, et recondit in ea Pyxidem, retro Calicem.

6. Genuflectit, et claudit Capsulam, et facta oratione in infimo gradu, genua flectit in plano, et revertitur, tecto capite, in Sacristiam.

7. Ibi deponit Pluviale, et Stolam albi coloris, et sumit Stolam violaceam tantum, aptatam in modum Crucis.

§ IV. *De Altarium denudatione*

1. Celèbrans paratus, ut supra, associatus a Clericis, manibus junctis, accedit ad Altare.

2. In plano, apud quod stans, inchoat alta voce Antiph. *Diviserunt sibi*, quam prosequitur cum Psalmo *Deus Deus meus, respice in me* etc. recitans illum cum Clericis.

3. Interim Celebrans ascendit Altare, quod denudat, amovendo Tobaleam superiorem, et alias.

4. Clerici recipiunt Tobaleas, et amovent ab Altari Vasa florum, Pallium, Tapete, etc., adeo ut in Altari non remaneant nisi Crux, et Candelabra cum candelis extinctis.

5. Celebrans, denudato Altari majori, procedet ad denudationem reliquorum Altarium, si plura adsint.

6. Denudatis Altaribus, Celebrans redit ante Altare majus : ubi, post ultimum versum Psalmi, repetita Antiphona, genuflectit ad signum meridianum Salutationis Angelicæ.

7. Clericus cum Crotalo dat signum Salutationis Angelicæ, ad quod omnes genuflectunt.

8. Surgit deinde Celebrans, et facta reverentia Cruci, *quia paratus*, Clericis genuflectentibus, revertitur in Sacristiam.

9. Ibi paramenta deponit, et, gratiis de more peractis, jubet ut omnia suis locis reponantur.

10. Primus Clericus amovebit a Cruce Altaris majoris vestem coloris albi, remanente consueta veste violacea.

11. Curabit Parochus, ut assidue adsint, qui orent ante SS. Sacramentum in sacello Sepulchri, utque decens numerus cereorum in eo colluceat.

TITULUS V

(140) DE FERIA SEXTA IN PARASCEVE

CAPUT I

DE PRÆPARANDIS PRO OFFICIO HUJUS FERIÆ

In Altari majori

1. Altare ipsum undequaque nudum cum sex Candelabris habentibus Cereos extinctos ceræ communis.
2. Crux lignea in eodem, cooperta Velo, quod facile solvi, et removeri possit.
3. Pulvinar violaceum in secundo gradu ejusdem Altaris.

In Abaco, seu Credentia Altaris majoris

1. Mantile lineum planitiem Abaci non excedens.
2. Mappa unica plicata pro Altari ad mensuram Mensæ.
3. Legile cum Missali.
4. Bursa nigri coloris cum Corporali, Palla, et Purificatorio.
5. Thuribulum, et Navicula cum thure.
6. Velum nigrum pro Calice in fine Officii.
7. Pelvicula cum Ampullis vini et aquæ, et Manutergio.
8. Lanx argentea pro Oblationibus.

Prope Abacum

1. Tapete, Pulvinar violaceum, et Velum album serico violaceo contextum.
2. Crux processionalis.

In Sacello Sepulchri

1. Corporale stratum super Altare.
2. Velum humerale album.
3. Baldachinum, sive Umbella albi coloris.
4. Intorticia, et Cerei pro Processione.

In Sacristia

1. Tria Superpellicea pro Clericis.
2. Amictus, Alba, Cingulus, Manipulus, Stola, et Planeta nigri coloris.
3. Foculus cum igne, et forcipe.

CAPUT II

DE SACRIS RITIBUS IN HAC FERIA VI. IN PARASCEVE PERSOLVENDIS

§ I. *De principio Officii usque ad denudationem Crucis*

1. Hora competenti datur signum cum Crotalo, et Celebrans, et Clerici accipiunt Superpellicea in Sacristia, et disponuntur omnia, ut supra.

2. Celebrans, lotis manibus, accipit Amictum, Albam, Cingulum, Manipulum, Stolam, et Planetam nigri coloris.

3. Præcedentibus Clericis manibus junctis, accedit ad Altare majus tecto capite.

4. Detecto capite, genuflectit in plano Altaris, et procumbit super pulvino posito in secundo gradu, et orat spatio unius *Miserere*.

5. Primus Clericus, accepta mappa, illam extendit per longum super mensam Altaris, adjuvante secundo Clerico, non explicando eam per latitudinem; ita ut duplicatio sit versus medium Altaris, et partes explicandæ versus frontem ejusdem Altaris.

6. Tertius Clericus collocat legile cum Missale in cornu Epistolæ.

7. Celebrans surgit a procubitu, et amoto per Clericum pulvinari, ascendit Altare, et osculatur illud in medio.

8. Accedens ad cornu Epistolæ legit primam Lectionem cum Tractu.

9. Deinde dicit : *Oremus*, et genuflectens cum omnibus : *Flectamus genua*, et secundus Clericus primo surgens dicit : *Levate*, et Celebrans subjungit Orat. *Deus a quo* etc.

10. Deinde legit secundam Lectionem, et Tractum, ac successive Passionem.

11. Dicto ibidem : *Munda cor meum* etc., prosequitur eam partem, quæ cantaretur in tono Evangelii.

12. In fine non osculatur librum, sed immediate (nisi sit habendus sermo de Passione) incipit in eodem cornu Epistolæ Monitiones, et Orationes, ut in Missali.

13. Ante singulas Orationes, octava excepta, Celebrans genuflectens, prout faciunt et ceteri, dicit : *Flectamus genua*, et secundus Clericus, surgens ante omnes, dicit : *Levate*.

14. Circa finem Orationum, primus Clericus, adjuvante tertio, extendit ante gradus Altaris, vel Presbyterii tapete, et super primos ejus gradus pulvinar violaceum, et velum album serico violaceo contextum expandunt per longum.

§ II. *De Crucis denudatione, et adoratione.*

1. Completis Orationibus, Celebrans stans in eodem cornu Epistolæ deponit Planetam tantum.

2. Deinde genuflectit in medio Altaris, et accipit Crucem, et primus Clericus accipit Missale.

3. Celebrans accedit ad angulum posteriorem cornu Epistolæ, facie versa ad Populum, et Clericus sustinebit Missale ante illum.

4. Celebrans manu dextera detegit summitatem Crucis usque ad transversum illius exclusive, et Crucem ambabus manibus aliquantulum elevans,

gravi voce legit : *Ecce lignum Crucis* : et Clerici eadem voce prosequuntur : *In quo salus mundi pependit.* Et genuflectentibus omnibus, præter Celebrantem, Clerici subjungunt : *Venite adoremus* ; et deinde surgunt.

5. Celebrans in anteriori parte cornu Epistolæ discooperiens brachium dexterum Crucis, et caput Crucifixi, et magis elevans Crucem, et vocem, secundo dicit : *Ecce lignum Crucis.*

6. Clerici prosequuntur : *In quo salus mundi pependit* ; et successive : *Venite adoremus* ; et genuflectunt omnes, ut prius.

7. Celebrans tandem in medio Altaris totam discooperiens Crucem, ac altius manum, et vocem elevans, dicit tertio : *Ecce lignum Crucis.*

8. Clerici tertio prosequuntur, respondent, et genuflectunt, ut supra.

9. Tertius Clericus ponit lancem a latere sinistro pulvinaris, et primus reponit Missale super legile, et discooperitur Crux processionalis, et aliæ omnes per Ecclesiam.

10. Celebrans descendens per latus Evangelii portat devote Crucem ambabus manibus elevatam ad locum præparatum.

11. Ibi genuflexus collocat Crucem super velum pulvino superpositum, et firmat eam chordulis.

12 Surgit, et facta genuflexione, vadit ad planum cornu Epistolæ, ibique sedens in scabello, deponit calceamenta, Clericis adjuvantibus.

13. Celebrans excalceatus procedit ad adorationem Crucis, quam primo, secundo, et tertio cum debita distantia adorat, offert pecuniam, et osculatur Crucem.

14. Surgit, et facta genuflexione Cruci, redit ad scabellum in plano Epistolæ, et calceamenta resumit.

15. Clerici deponunt et ipsi calceamenta, et post Celebrantem, ante omnes alios de Populo, adorabunt Crucem, eodem modo, quo Celebrans, et reversi ad sua loca, calceamenta resumunt.

16. Post Clericos adorabunt Sodales cum saccis, si adsint, deinde Viri, ultimo Mulieres ; omnes bini, devote, ac graviter.

17. Interim primus Clericus assistet adorantibus, et secundus et tertius Clericus accedunt ad Celebrantem, et alta et clara voce (1) recitant cum eo improperia, ut hic.

Improperia recitanda a Celebrante cum secundo et tertio Clerico

PRIMA PARS

Cel. ℣. Populе meus, quid feci tibi ? aut in quo contristavi te ? responde mihi.

℣. Quia eduxi te de terra Ægypti : parasti Crucem Salvatori tuo.

2. *Cl.* ℟. Agios o Theos.

3. *Cl.* Sanctus Deus.

2. *Cl.* Agios ischyros.

3. *Cl.* Sanctus fortis.

2. *Cl.* Agios athanatos eleison imas.

(1) Bauldr. p. 4 cap. 11. art. 3. n. 7.

3. *Cl.* Sanctus immortalis, miserere nobis.

Cel. ℣. Quia eduxi te per desertum quadraginta annis : et manna cibavi te, et introduxi te in terram satis bonam : parasti Crucem Salvatori tuo.

2. *Cl.* ℟. Agios o Theos.

3. *Cl.* Sanctus Deus.

2. *Cl.* Agios ischyros.

3. *Cl.* Sanctus fortis.

2. *Cl.* Agios athanatos eleison imas.

3. *Cl.* Sanctus immortalis, miserere nobis.

Cel. ℣. Quid ultra debui facere tibi, et non feci ? Ego quidem plantavi te vineam meam speciosissimam : et tu facta es mihi nimis amara ; aceto namque sitim meam potasti, et lancea perforasti latus Salvatori tuo.

2. *Cl.* ℟. Agios o Theos.

3. *Cl.* Sanctus Deus.

2. *Cl.* Agios ischyros.

3. *Cl.* Sanctus fortis.

2. *Cl.* Agios athanatos eleison imas.

3. *Cl.* Sanctus immortalis, miserere nobis.

SECUNDA PARS

Cel. ℣. Ego propter te flagellavi Ægyptum cum primogenitis suis : et tu me flagellatum tradidisti.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Populе meus, quid feci tibi ? aut in quo contristavi te ? responde mihi.

Cel. ℣. Ego eduxi te de Ægypto, demerso Pharaone in mare rubrum ; et tu me tradidisti principibus Sacerdotum.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Populе meus, quid feci tibi ? aut in quo contristavi te ? responde mihi.

Cel. ℣. Ego ante te aperui mare, et tu aperuisti lancea latus meum.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Populе meus, quid feci tibi ? aut in quo contristavi te ? responde mihi.

Cel. ℣. Ego ante te præivi in columna nubis : et tu me duxisti ad prætorium Pilati.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Populе meus, quid feci tibi ? aut in quo contristavi te ? responde mihi.

Cel ℣. Ego te pavi manna per desertum ; et tu me cæcidisti alapis, et flagellis.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Populе meus, quid feci tibi ? aut in quo contristavi te ? responde mihi.

Cel. ℣. Ego te potavi aqua salutis de petra ; et tu me potasti felle, et aceto.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Populе meus, quid feci tibi ? aut in quo contristavi te ? responde mihi.

Cel. ℣. Ego propter te Chananæorum Reges percussi : et tu percussisti arundine caput meum.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Populе meus, quid feci tibi ? aut in quo contristavi te ? responde mihi.

Cel. ℣. Ego dedi tibi sceptrum regale ; et tu dedisti capiti meo spineam coronam.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Populе meus, quid feci tibi ? aut in quo contristavi te ? responde mihi.

Cel. ℣. Ego te exaltavi magna virtute ; et tu me suspendisti in patibulo Crucis.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Populе meus, quid feci tibi ? aut in quo contristavi te ? responde mihi.

TERTIA PARS

Cel. ℣. Crucem tuam adoramus Domine, et sanctam Resurrectionem tuam laudamus, et glorificamus ; ecce enim propter lignum venit gaudium in universo mundo.

Psalm. Deus misereatur nostri, et benedicat nobis.

2. *et* 3. *Cl.* ℣. Illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Cel. ℣. Crucem tuam adoramus Domine ; et sanctam Resurrectionem tuam laudamus, et glorificamus : ecce enim propter lignum venit gaudium in universo mundo.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Crux fidelis inter omnes, arbor una nobilis, nulla sylva talem profert, fronde, flore, germine. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.

Cel. ℣. Pange lingua gloriosi lauream certaminis : et super Crucis trophæo dic triumphum nobilem : qualiter Redemptor orbis immolatus vicerit,

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Crux fidelis inter omnes, arbor una nobilis : nulla sylva talem profert, fronde, flore, germine.

Cel. ℣. De parentis protoplasti fraude factor condolens ; quando pomi noxialis in necem morsu ruit ; ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.

Cel. ℣. Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat, multiformis proditoris ars ut artem falleret : et medelam ferret inde, hostis unde læserat.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Crux fidelis inter omnes, arbor una nobilis : nulla sylva talem profert, fronde, flore, germine.

Cel. ℣. Quando venit ergo sacri plenitudo temporis ; missus

est ab arce Patris, Natus orbis conditor : atque ventre virginali carne amictus prodiit.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.

Cel. ℣. Vagit infans inter arcta conditus præsepia : membra pannis involuta Virgo Mater alligat : et Dei manus, pedesque, stricta cingit fascia.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Crux fidelis inter omnes, arbor una nobilis : nulla sylva talem profert, fronde, flore, germine.

Cel. ℣. Lustra sex qui jam peregit, tempus implens corporis : sponte libera Redemptor passioni deditus : Agnus in Crucis levatur immolandus stipite.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.

Cel. ℣. Felle potus ecce languet, spina, clavi, lancea, mite corpus perforarunt, unda manat, et cruor : terra, pontus, astra, mundus, quo lavantur flumine.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Crux fidelis inter omnes, arbor una nobilis : nulla sylva talem profert, fronde, flore, germine.

Cel. ℣. Flecte ramos arbor alta, tensa laxa viscera : et rigor lentescat ille, quem dedit nativitas : et superni membra Regis tende miti stipite.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.

Cel. ℣. Sola digna tu fuisti ferre mundi victimam ; atque portum præparare arca mundo naufrago ; quam sacer cruor perunxit, fusus Agni corpore.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Crux fidelis inter omnes, arbor una nobilis : nulla sylva talem profert, fronde, flore, germine.

Cel. ℣. Sempiterna sit beatæ Trinitati gloria : æqua Patri, Filioque, par decus Paraclito : Unius, Trinique nomen laudet universitas : Amen.

2. *et* 3. *Cl.* ℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.

18. Circa finem adorationis primus Clericus accendit Cereos Altaris, et tertius amovet legile cum Missali ab Altari.

19. Deinde secundus, et tertius Clericus accedunt per planum ad Altare : alter ad cornu Evangelii, alter ad Epistolæ, et explicant tobaleam Altaris.

20. Successive secundus Clericus portat ad Altare Bursam cum Corporali incluso, et super eam Purificatorium : extrahit, et explicat Corporale, et prope illud in parte Epistolæ extendit Purificatorium.

21. Tertius Clericus collocat Missale cum legili super Altare in cornu Evangelii, apertum, et inversum, ut in Missa.

22. Completa adoratione, Celebrans reportabit Crucem ad Altare cum debitis genuflexionibus.

23. Clerici amovent tapete, pulvinar, velum, et lancem, et apponitur ignis in Thuribulo.

24. Celebrans apud scabellum in plano Epistolæ resumit Planetam, et aperto capite, accedit ante Altare.

§ III. *De Processione ad Sacellum, et regressu ad Altare cum Sanctissimo Sacramento*

1. Celebrans cum pervenerit ante Altare, imponit sine benedictione, et sine osculis incensum in Thuribulo.

2. Dirigitur Processio ad Sacellum, ubi asservatur SS. Sacramentum, hoc ordine :

Vexillum Viatici.
Sodales, sive pii Viri.
Thuriferarius.
Crux processionalis denudata, et delata a tertio Clerico.
Celebrans, cum Planeta, habens ante ipsum a sinistris secundum Clericum.

3. Ad Sacellum : Labarum et Crux e regione Altaris : Procedentes hinc inde ad Sacellum in duas lineas, et juniores prope Labarum, seniores propinquiores erunt Altari.

4. Celebrans, facta genuflexione in plano Capellæ, genuflectit in primo gradu Altaris, et orat parumper cum omnibus.

5. Surgit, aperit capsulam, genuflectit, descendit primum gradum, et stans imponit Incensum in Thuribulo sine benedictione, et sine osculis : accenduntur Cerei pro Processione, et disponitur Baldachinum, sive Umbella.

6. Celebrans genuflexus in suppedaneo, incensat Sacramentum in capsula : surgit, et facta genuflexione, extrahit e capsula Calicem, et ponit super Altare.

7. Genuflectit, claudit capsulam, in qua remanet Pyxis cum Particulis : iterum genuflectit, et descendit primum gradum.

8. Genuflexus in suppedaneo accipit Velum humerale, surgit, et facta genuflexione, stans accipit, ut heri, Calicem, et secundus Clericus Velo cooperit.

9. Celebrans vertit renes Altari, et facie ad Processionem, inchoat alta voce Hymnum *Vexilla Regis prodeunt* etc. quem cum secundo Clerico prosequitur ut infra.

Vexilla Regis prodeunt :
Fulget Crucis mysterium :
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.
Quæ vulnerata lanceæ
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda, et sanguine.
Impleta sunt, quæ concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus :
Regnavit a ligno Deus.
Arbor decora, et fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.
Beata, cujus brachiis
Pretium pependit sæculi,
Statera facta corporis,
Tulitque prædam tartari.
O Crux ave spes unica,
Hoc passionis tempore
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.
Te, fons salutis Trinitas,
Collaudet omnis spiritus :
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde præmium.
Amen.

10. Revertitur Processio ad Altare, ordine sequenti :

Vexillum Viatici.

Sodales, sive pii Viri cum Cereis accensis.

Crux processionalis.

Thuriferarius continue Thuribulum agitans.

Celebrans sub Baldachino, habens secundum Clericum ante se a sinistris.

11. In Sacello remanent quatuor Candelæ accensæ.

12. Vexillum reponitur extra cancellos : Crux processionalis prope credentiam.

13. Sodales, et pii Viri remanent extra cancellos : ibique dispositi, Cereos usque ad Officii finem in manibus tenebunt.

14. Baldachinum, sive Umbella deponitur ante cancellos, et loco congruo collocatur.

15. Celebrans ascendit Altare, et Calicem ponit super Corporale ; deinde genuflectit, surgit, et descendit primum gradum Altaris.

16. Deponit Velum, et stans imponit Incensum in Thuribulo sine benedictione, et sine osculis ; deinde genuflexus in suppedaneo Sacramentum incensat.

§ IV. *De reliquo Officio, et Ritu hujus Feriæ*

1. Celebrans surgens accedit ad Altare, et genuflectit ; deinde solvit, et amovet Velum a Calice, et ponit Patenam super Corporale.

2. Accepto Calice, deponit ex eo Sacram Hostiam super Patenam ; deinde ambabus manibus Patenam ipsam accipiens, collocat Hostiam super Corporale, nihil dicens, neque signans, et Patenam ponit ubi alias, sed super Corporale, non subtus.

3. Celebrans, facta genuflexione, accipit Calicem, et accedit versus cornu Epistolæ, et Calicem sinistra tenens, ponit in eo Vinum, et Aquam sine benedictione, et nihil dicens.

4. Calix non abstergitur, sed ponitur in latere Corporalis.

5. Celebrans accedit in medio, et facta genuflexione, reponit Calicem in loco solito sine signo Crucis, et cooperit Palla.

6. Ibidem stans imponit Incensum in Thuribulo absque benedictione, et osculis.

7. Celebrans, accepto Thuribulo, genuflectit, et incensat Oblata, dicens de more : *Incensum istud* etc.

8. Incensatis Oblatis, iterum genuflectit, et (*ex Decr. S. R. C. sub* 14 *Maii* 1707) incensabit Crucem, dicens : *Dirigatur Domine* etc., et repetita genuflexione Cruci, prosequetur, more solito, incensationem Altaris, semper genu flectens quoties transit per medium.

9. Incensato Altari, dat Thuribulum in manu Thuriferarii, dicens : *Accendat in nobis* etc, et ipse non incensatur.

10. Celebrans immediate, advertens ne terga vertat Sacramento, descendit e suppedaneo in secundum gradum, et aliquantulum extra Altare in cornu Epistolæ versa facie ad Populum, lavat manus, nihil dicens.

11. Redit ad medium Altaris, genuflectit, surgit, et junctis manibus super Altari, mediocriter inclinatus, dicit submissa, sed intelligibili voce : *In spiritu humilitatis* etc.

12. Celebrans osculatur Altare, genuflectit, et versus Populum in cornu Evangelii dicit : *Orate fratres*, et redit per eamdem viam, non perficiens circulum, et iterum genuflectit.

13. Non respondetur : *Suscipiat.*

14. Celebrans junctis manibus ante pectus, in tono feriali, dicit : *Oremus : Præceptis salutaribus* etc., et dum dicit : *Pater noster* etc. extendit manus.

15. Clerici respondent : *Sed libera nos a malo,* et Celebrans : *Amen* sub silentio ; et adhuc tenens manus extensas, subjungit in priori tono feriali : *Libera nos* etc., et Clerici in fine respondent : *Amen.*

16. Celebrans genuflectit, surgit, discooperit Calicem, supponit Patenam Hostiæ, et tenens manu sinistra Patenam super Altare, elevat dextera Hostiam, ut ab omnibus videri possit.

17. Celebrans declinat Hostiam immediate super Calicem jam discoopertum, et statim dividit eam in tres partes, more solito, nihil dicens, quarum ultimam immittit in Calicem, pariter nihil dicens, nec signans.

18. Cooperto Calice, genuflectit, et postmodum surgens, manibus junctis super Altari, et inclinatus, dicit secreto : *Perceptio Corporis* etc., omissis duabus aliis Orationibus.

19. Celebrans iterum genuflectit, deinde, accepta Patena cum Hostia, ut alias, dicit : *Panem cœlestem* etc., *Domine non sum dignus* etc., more solito ter, percutiens pectus.

20. Hostia se signat, dicendo : *Corpus Domini nostri* etc., et se communicat.

21. Facta brevi meditatione, discooperit Calicem, et genuflectit.

22. Surgit, et collectis de more fragmentis, accipit ambabus manibus Calicem, nihil dicens, nec se signans, et sumit reverenter ex eo Particulam Hostiæ cum Vino.

23. Celebrans, omissa consueta Calicis purificatione, more solito, abluit digitos super Calicem cum Vino, et Aqua.

24. Surgunt interim omnes, et Cerei extinguuntur.

25. Celebrans, sumpta in medio ablutione, Calicem tergit, Velo parvo nigro cooperit, atque componit ; et inclinatus, manibus junctis ante pectus, dicit secreto : *Quod ore sumpsimus* etc.

26. Primus Clericus Calicem defert ad credentiam.

27. Celebrans descendens in plano Altaris, et facta cum Clericis genuflexione Cruci, cooperto capite, revertitur in sacristiam.

28. Ibi deponit paramenta missalia, et super Cotta accipit Stolam albi coloris.

§ V. *De Pyxidis repositione*

1. Celebrans, præcedente primo Clerico cum Velo, et duobus aliis cum Cereis, vadit ad Sacellum, ubi Pyxis remansit.

2. Facta genuflexione in plano, genuflectit in primo gradu inferiori, et orat parumper.

3. Surgit, ascendit Altare, aperit capsulam, genuflectit, accipit Pyxidem, et eam collocat super Corporale, et iterum genuflectit.

4. Descendens primum gradum genuflectit in suppedaneo, et accipit a primo Clerico Velum pro humeris.

5. Ascendit Altare, genuflectit, et manibus velatis accipit Pyxidem, et præ-

cedentibus Clericis cum Cereis accensis, reportat Pyxidem, servandam in Tabernaculo posito super Altare alicujus remotioris Capellæ in Ecclesia, vel (quod congruentius) in Sacristia.

6. Debitis genuflexionibus Pyxidem servat : et ante eam lampas continuo ardeat.

7. Reposita Pyxide, omnes genuflectunt, et datur signum meridianum Salutationis Angelicæ cum Crotalo.

8. Tandem extinguuntur Cerei Altaris, et omnia suis in locis reportantur.

9. Si autem non adsit Sacristia, vel Capella remotior, ut supra ; tunc Pyxis remaneat in loco (1) ubi Calix repositus erat, et lampas ardens jugiter adsit.

TITULUS VI

(141) DE SABBATO SANCTO

CAPUT I

DE PRÆPARANDIS PRO OMNIBUS FUNCTIONIBUS IN HAC DIE PERSOLVENDIS

Extra Portam principalem

1. Mensa cum mantili albo, et super eam
2. Legile parvum cum Missali.
3. Patera argentea cum quinque globulis Incensi.
4. Thuribulum, et Navicula cum thure.
5. Vas aquæ benedictæ cum Aspersorio.
6. Manipulus, Stola, et Dalmatica albi coloris.
7. Laterna cum Candela.
8. Item prope Mensam, Tripes cum foculo, in quo carbones accendendi pro novo igne.
9. Forcipes ferreæ.
10. Arundo ornata cum tribus Candelis in summitate.

In Altari majori

1. Altare cum Cruce, et Candelabris festivis.
2. Duplex in eo Pallium, album subtus, et violaceum desuper.
3. Pes ligneus, vel basis marmorea in latere Evangelii pro firmanda Arundine.
4. Legile pro Præconio.
5. Cereus benedicendus, aptatus in Candelabro magno a latere Evangelii, cum ellychnio concinnato ad prompte flammam recipiendum, cum quinque foraminibus in modum Crucis.
6. Lampades compositæ.

In Abaco Altaris majoris

1. Mensa mantili albo cooperta.
2. Missale pro Præconio, et Missa.
3. Calix cum ornamentis coloris albi.
4. Pelvicula cum Urceolis vini, et aquæ, et Manutergio.

(1) Bauldr. p. 4. cap. 10. art. 5. n. 11.

In Sacristia

1. Quatuor Superpellicea pro Clericis ; Amictus, Alba, Cingulus, Stola, et Pluviale coloris violacei, Manipulus, Stola et Planeta violacea.
2. Manipulus, Stola, et Planeta coloris albi.
3. Velum pro humeris albi coloris.
4. Cerei pro asportatione Pyxidis.

In Baptisterio, si adsit

1. Mensa cooperta albo mantili pro Abaco.
2. Manutergia num. duo.
3. Vas pro aqua benedicta, et Aspersorium.
4. Vasa ad extrahendam aquam e Fonte.
5. Ampullæ Oleorum Chrismatis, et Catechumenorum.
6. Vas ad lavandas manus cum mica panis.
7. Bombacium ad manus inunctas tergendas.

Pro Baptismo, si ministrandus

1. Rituale Romanum.
2. Pelvicula cum Sale.
3. Vasa Oleorum Catechumenorum, et Chrismatis cum Bombacio.
4. Stola, et Pluviale albi coloris.
5. Linteolus ad abstergendum caput Infantis.
6. Alius Linteus aptatus pro Veste candida.
7. Cereus accendendus.

CAPUT II

DE SACRIS RITIBUS SABBATO SANCTO PERAGENDIS

§ I. *De principio Officii, usque ad Benedictionem Cerei*

1. Extra Ecclesiam excutitur novus Ignis e silice, et accenduntur carbones in foculo.
2. Hora competenti, *quatuor Clerici* accipiunt Superpellicea in Sacristia, et disponunt omnia suis locis.
3. Dato signo cum Crotalo, Celebrans lotis manibus, accipit supra Cottam Amictum, Albam, Cingulum, Stolam, et Pluviale coloris violacei.
4. Proceditur ad portam principalem, hoc ordine :
   Primus Clericus manibus junctis.
   Tertius Clericus cum Cruce processionali.
   Celebrans inter Clericos secundum, et quartum.
5. Extra portam Clericus cum Cruce sistit in limine portæ, renes eidem vertens, facie Crucifixi versa ad Celebrantem.
6. Celebrans ante Mensam, collocatam inter ipsum et Crucem.
7. Ibidem stans, et ex Missali super legile legens, benedicit Ignem tribus Orationibus ; deinde unica Oratione Grana Incensi.
8. Dum Celebrans benedicit Incensum, primus Clericus accipit forcipe novum Ignem benedictum, et ponit in Thuribulo.
9. Celebrans imponit cum benedictione, et osculis incensum in Thuribulo,

deinde aspergit Ignem, et Grana, dicens Antiph. *Asperges me* etc., et eadem thurificat.

10. Thuriferarius recepto Thuribulo ponit alium novum Ignem in eo.

11. Celebrans, deposito Pluviali, ac Stola coloris violacei, accipit Manipulum, Stolam in humero sinistro, more Diaconorum, et Dalmaticam albi coloris.

12. Interim secundus Clericus accendit Candelam de novo Igne, et recondit in Laterna, et quartus accipit pateram cum Granis incensi.

13. Celebrans iterum ponit incensum in Thuribulo cum benedictione, et osculis, et postea accipit Arundinem.

14. Proceditur ad benedictionem Cerei, ordine sequenti :

Clericus cum Granis incensi a dexteris, et Thuriferarius a sinistris.

Tertius Clericus cum Cruce.

Celebrans cum Arundine, et secundus Clericus cum Laterna a sinistris ejus.

15. Clerici cum Granis, Thuribulo, et Cruce ingrediuntur Ecclesiam, et sistunt quando Celebrans ingressus fuerit januam Ecclesiæ.

16. Celebrans ingressus Ecclesiam inclinat Arundinem, et accensa ex Laterna una ex tribus candelis per secundum Clericum, genuflectit, genuflectentibus omnibus, excepto tantum Clerico portante Crucem.

17. Celebrans genuflexus, clara voce dicit : *Lumen Christi* ; tum surgit surgentibus omnibus, et Clerici respondent : *Deo gratias.*

18. Proceditur usque ad medium Ecclesiæ, ubi secundo fiunt omnia, ut supra, accensa secunda candela ; præter modulationem vocis, quæ alta esse debet.

19. Proceditur tandem ante gradus Altaris, et accensa tertia candela, tertio fiunt antedicta cum altiori voce.

§ II. *De Benedictione Cerei*

1. Responso pro tertia vice, post *Lumen Christi*, a Clericis *Deo gratias*, surgunt omnes, et formant rectam lineam cum Celebrante in medio eorum ante Altare.

2. Secundus Clericus secedens deponit Laternam super credentiam, et accipit Missale pro Præconio, et tradit illud Celebranti, qui vicissim dat illi Arundinem.

3. Celebrans, tenens Missale in manibus, genuflectit in infimo gradu Altaris, et non præmisso : *Munda cor meum*, dicit tantum : *Jube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo, et in labiis meis, ut digne, et competenter annuntiem suum Paschale Præconium. Amen.*

4. Deinde surgens, ac facta cum omnibus genuflexione Altari, accedit ad Legile paratum in plano Evangelii pro Præconio hoc ordine :

Thuriferarius habens a dextris quartum Clericum cum Granis incensi.

Tertius Clericus cum Cruce habens a sinistris secundum Clericum cum Arundine.

Celebrans cum Missali.

5. Cum pervenerint ad Legile, supradicti sic apud illud se disponunt recta linea, et vertentes faciem sicut Celebrans :

Celebrans ponit Missale super Legile.

Clericus cum Cruce a dextris Celebrantis.

Thuriferarius a dextris supradicti cum Cruce.

Clericus cum Arundine a sinistris.

Clericus cum Granis a sinistris Arundinis.

6. Celebrans accedente Thuriferario incensat Missale apertum super Legile, et incipit Præconium : *Exsultet* etc, clara, et hilari voce.

7. Ad verba *Curvat Imperia*, infigit Grana incensi, hoc ordine :

1
4 2 5
3

8. Quartus Clericus deponit in credentia pateram, ubi erant Grana incensi, et accipit virgam cum Candelula superinflexa, et redit ad (1) pristinum locum a sinistris Clerici cum Arundine.

9. Ad verba *Rutilans ignis accendit*, Celebrans ex Arundine Cereum accendit.

10. Ad verba *Apis mater eduxit*, quiescit donec quartus Clericus ex Cereo, per Candelulam in virga, lampadem, vel lampades accendat.

11. Finito Præconio Celebrans claudit Missale : secundus Clericus firmat Arundinem in sua basi a latere Evangelii ; tertius deponit Crucem in latere Epistolæ.

12. Deinde, præcedentibus Thuriferario cum Clerico de Granis a sinistris, ac secundo, et tertio Clerico, facta genuflexione Altari, revertitur in Sacristiam.

13. Ibi depositis paramentis albis, accipit Manipulum, Stolam, et Planetam coloris violacei.

§ III. *De Prophetiis*

1. Celebrans paratus, ut supra, præcedentibus Clericis, procedit ad Altare.

2. Facta reverentia Cruci, ascendit ad Altare, osculatur illud in medio, et accedit ad cornu Epistolæ.

3. Ibi alta voce legit duodecim Prophetias, Orationes, et Tractus : genuflectens cum omnibus, dum ante Orationes, excepta ultima, dicit : *Flectamus genua* : et Clericus surgens respondet : *Levate*.

4. Completa ultima Oratione, Celebrans, facta ibidem reverentia Cruci, descendit ad scabellum in plano Epistolæ, et deponit Planetam, et Manipulum.

5. *Si Ecclesia habuerit Fontem Baptismalem, Celebrans accipit Pluviale violaceum, et sedet. Si autem Fontem non habet, accedit sine Casula ante Altare pro Litaniis, ut infra* § VI.

6. Procedamus nunc ad Benedictionem Fontis, ne aliquid in hoc Memoriali desideretur.

§ IV. *De Benedictione Fontis*

1. Sedente Celebrante, ut supra, primus Clericus amovet Cereum accensum e Candelabro, et accedit ante Altare.

2. Tertius Clericus accipit Crucem, et similiter venit ante Altare.

3. Duo alii Clerici accedunt ad Celebrantem.

4. Celebrans surgens incipit alta voce Tract. *Sicut Cervus* etc. ut infra, quod lente prosequetur cum suis Clericis.

5. Inchoato Tractu, dirigitur Processio ad Fontem, facta reverentia Altari, hoc ordine :

(1) Bauldr. p. 4. cap. 11. art. 3. n. 7.

Clericus cum Cereo.

Clericus cum Cruce.

Celebrans medius inter Clericos, recitans, tecto capite, Tractum.

℣. Sicut Cervus desiderat ad fontes aquarum : ita desiderat anima mea ad te Deus.

℣. Sitivit anima mea ad Deum vivum : quando veniam, et apparebo ante faciem Dei ?

℣. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies : ubi est Deus tuus ?

6. Ante cancellos Fontis sistant omnes, et Celebrans, facie versa ad Crucem, expleto Tractu, dicit : *Dominus vobiscum*, et Orationem ; *Omnipotens sempiterne Deus* etc., sustinente librum quarto Clerico.

7. Clericus cum Cereo, et deferens Crucem ingrediuntur Cancellos Baptisterii, si loci capacitas sinat : stabunt vero semper ante faciem Celebrantis.

8. Celebrans accedit prope Fontem, et dicit secundam Orationem, et Præfationem, ut in Missali, tenens semper manus junctas.

9. Intra Præfationem, juxta proprios Rubricæ locos, hæc peragit :

1. Post verba : *Gratiam de Spiritu sancto* : dividit aquam manu dextera in modum crucis, et immediate manum tergit.

2. Post verba : *Non inficiendo corrumpat* : tangit aquam manu, et deinde tergit.

3. Post verba : *Indulgentiam consequatur* : facit tres Cruces supra Fontem manu dextera.

4. Post verba : *Super te ferebatur* ; dividit manu dextera aquam, et effundit versus quatuor mundi partes, Orientem, Occidentem, Aquilonem, et Austrum, hoc modo :

5. Post verba : *In nomine Patris*, etc., mutat vocem in modum lectionis.

6. Post verba : *Tu benignus adspira* : halat ter in aqua in modum crucis.

7. Post verba : *Purificandis mentibus efficaces* : immittit aliquantulum Cereum in aquam, dicens : *Descendat in hanc plenitudinem* etc., et extrahit. Immittit secundo profundius, et tunc aliquanto altiori repetit : *Descendat in hanc* etc., et paritèr extrahit. Immittit tertio usque ad fundum, et altiori adhuc voce repetit : *Descendat* etc., et non extrahit.

8. Ter sufflat immediate in aquam in formam tridentalem, juxta figuram in Missali, et prosequitur : *Totamque hujus aquæ* etc.

9. Post verba : *Fecundet effectu* : extrahit Cereum, qui panno abstergitur.

10. Prosequitur Præfationem, quam concludit humiliori voce, dicendo : *Per Dominum nostrum* etc., et Adstantes respondent : *Amen*.

11. Secundus Clericus accipit vas pro Aqua benedicta, et cum eo haurit aquam ex Fonte.

12. Celebrans, accepto Aspersorio intincto in Aqua Fontis, aspergit se, et circumstantes. Deinde, medius inter Clericos, aspergit omnes per Ecclesiam de dicta aqua, et revertitur ad Fontem.

13. Extrahitur aqua benedicta pro Fontibus lustralibus, Benedictionibus Domorum, et Esculentorum, ac Aspersione in crastinum.

14. Celebrans accedens ad Fontem, infundit in aquam Oleum Catechumenorum in modum crucis, dicens : *Sanctificetur* etc.

15. Deinde similiter Chrisma, dicens : *Infusio Chrismatis* etc.

16. Tandem infundit simul utrumque Oleum, pariter in modum crucis, dicens : *Commixtio Chrismatis* etc.

17. Miscet manu sua Olea infusa cum aqua, et spargit per omnem Fontem.

18. Abstergit manum bombacio : deinde lavat manus cum mica panis.

§ V. *De Baptismo Parvulorum*

Duo potissimum (verba sunt Ritualis Romani) *ex antiquissimo Ecclesiæ ritu, sacri sunt dies, in quibus solemni cæremonia hoc Sacramentum administrare maxime convenit : nempe Sabbatum sanctum Paschæ, et Sabbatum Pentecostes, quibus diebus Baptismalis Fontis aqua rite consecratur.* Ad Parvulorum igitur Baptismum solemniter administrandum, Celebrans, expleta, ut supra, Fontis Benedictione, ordine, ut infra, procedat.

1. In fine Benedictionis Fontis disponuntur Baptizandi cum eorum Patrinis extra limen Ecclesiæ.

2. Celebrans, lotis manibus, præcedente Clerico cum Cruce, et remanente apud Fontem alio Clerico cum Cereo, accedit cum aliis duobus Clericis ad limen Ecclesiæ.

3. Ibi Celebrans procedit, ut in Rituali ad Catechismum etc. usque ad introductionem infantis in Ecclesiam, pro qua :

4. Celebrans imponit super Infantem extremam partem Stolæ, *pendentem a suo humero sinistro*, et introducit eum in Ecclesiam, dicens : N. *Ingredere in Templum Dei, ut habeas partem cum Christo* etc.

5. Deinde dicto : *Credo*, et *Pater noster*, versis renibus ostio cancellorum Baptisterii, dicat Exorcismum : tangat saliva aures, et nares Infantis : eumdemque Oleo Catechumenorum ungat in pectore, et inter scapulas.

6. Stans ibidem extra cancellos Celebrans deponit Pluviale, et Stolam coloris violacei, et sumit Stolam, et Pluviale albi coloris.

7. Præcedente Cruce ingreditur Baptisterium, in quod ingrediuntur Patrini cum Infantibus.

8. Celebrans ad Fontem interrogat : N. *Credis* etc. N. *Vis baptizari* ?

9. Responso a Patrinis : *Volo*, Celebrans procedit ad Baptismum :

Vel per immersionem, si in Baptisterio sit tantummodo unicus Fons continens aquam benedictam.

Vel per infusionem, si habeatur duplex Fons : alter cum aqua benedicta, et alter vacuus, qui per foramen excurrere faciat in Sacrarium aquam baptismalem profluentem e capite Infantis baptizati super eumdem Fontem vacuum.

10. *Si baptizet per immersionem*, Celebrans, accipiens Infantem, ac ipse solus eum sustinens, caute caput ejus immergit, et trina mersione baptizat, et semel tantum dicit : N. *Ego te baptizo* etc., et Infantem, completa forma, statim tradit Susceptoribus.

11. *Si vero per infusionem*, tunc Patrino, vel Matrina, vel utroque infantem tenente super altero Fonte vacuo sine aqua, Celebrans vasculo accipit aquam Baptismalem ex altero Fonte, et de ea ter fundit supra caput Infantis in modum crucis, et simul verba proferens, semel tantum, distincte et attente dicat : N. *Ego te baptizo* etc.

12. Absterso capite Infantis, Celebrans dicens : *Deus omnipotens* etc., Sacro Chrismate inungit summitatem capitis Baptizati.

13. Deinde, data Veste candida, et candela accensa, et dicto : N. *Vade in pace* etc., Patrinos admonet, et Parentes Infantis admoneri curat, ut in Rituali.

14. Celebrans lavat manus, et depositis Pluviali, ac Stola albis, resumit Stolam, et Pluviale violaceum.

§ VI. *De Litaniis, et Missa cum Vesperis*

1. Præcedente Clerico cum Cereo, et Cruce Processionali, Celebrans subsequitur cum suis Clericis, et redit ante Altare.

2. Cereus figitur proprio Candelabro et Crux deponitur in cornu Epistolæ.

3. Celebrans, stans ante Altare, deponit Pluviale tantum.

4. Idem genuflexus, omnibus similiter genuflectentibus, recitat Litanias ex Missali, posito super scabello ante seipsum.

5. Clerici respondent, et repetunt omnia, quæ Celebrans dicit.

6. Ad verba *Peccatores* etc., tollitur Pallium violaceum ab Altari : accenduntur Candelæ, et Vasa florum inter Candelabra apponuntur.

7. Celebrans prosequitur Litanias, usque ad *Christe exaudi nos*, inclusive.

8. Surgit Celebrans, et præcedentibus Clericis, accedit in Sacristiam ; ubi, deposita Stola violacea, accipit Manipulum, Stolam, et Planetam albi coloris.

9. Celebrans comitatus a Clericis, ut supra, redit ad Altare, ante cujus gradus facit Confessionem de more, cum Psal. *Judica me* etc., et *Gloria Patri*.

10. Ascendit Altare, completaque Oratione : *Aufer a nobis* etc., in ejus medio, dicit immediate *Kyrie eleison*, ut alias, cum non legatur Introitus.

11. Ad *Gloria in excelsis* pulsantur Campanæ, quæ usque ad hanc horam siluerant.

12. Post Epistolam Celebrans dicit ter *Alleluja*, elevando gradatim vocem, et Clerici, post quamlibet vicem, in eodem tono repetent illud, et Celebrans prosequetur Versum, et Tractum.

13. Non dicitur *Credo*, et post *Dominus vobiscum*, non legitur Offertorium. Non dicitur *Agnus Dei*, neque datur hodie osculum Pacis.

14. Loco Antiph. *Communio*, dicuntur Vesperæ, ut in Missali ; videlicet :

15. Celebrans in cornu Epistolæ dicit Ant. *Alleluja* etc., et cum Clericis prosequitur Psal. *Laudate* etc., et in fine repetitur *Alleluja*.

16. Deinde subdit Antiph. *Vespere autem* etc., cum Cantico *Magnificat*.

17. Repetita Ant. *Vespere* etc., Celebrans accedit ad medium Altaris, osculatur illud, et versus ad Populum dicit : *Dominus vobiscum*, et postea Orationem in solito cornu Epistolæ.

18. Post *Ite Missa est*, additur *Alleluja, alleluja*.

19. Completo Evangelio S. Joannis, revertitur in Sacristiam, et Missalia paramenta deponit.

§ VII. *De Reportatione Pyxidis.*

1. Celebrans accipit super Cottam, Stolam albam, et præcedentibus Clericis cum cereis, et alio cum bursa Corporalium, et Velo humerali, accedit ad locum, ubi asservatur Pyxis cum Particulis.

2. Ibi, adhibitis debitis genuflectionibus, accipit velatis manibus Pyxidem, quam portat in solito Tabernaculo servandam.

3. Revertitur in Sacristiam, in qua, depositis sacris Vestibus, legit Ant. *Trium puerorum* etc. cum *Alleluja*, et Canticum, et Psalmum, et Orationes pro gratiarum actione.

4. Interim per Clericos extinguuntur cerei Altaris.

5. Item tres candelæ in cuspide Arundinis, quæ amplius non accenduntur, et Arundo ipsa amovetur omnino.

6. Item extinguitur Cereus Paschalis : qui tamen, remanens in suo Candelabro, accendetur in Missis in omnibus Dominicis, ac festis Domini, et Sanctorum de præcepto ; et usque ad Evangelium inclusive in die Ascensionis Domini ; quo dicto, Cereus extinguitur, et completa Missa, removetur e Candelabro, et servatur accendendus in Vigilia Pentecostes ad Benedictionem Fontis.

Sanctificato hucusque, Sacris Ritibus, Sabbato Paschalibus initiato mysteriis ; æquali Religionis cultu properetur ad Dominicæ Resurrectionis diem. Dies, *Nobilitas* (1) *Anni, Mensium Lux, Alma Dierum, Horarum Splendor.* Dies, quam fecit Dominus, Exsultemus igitur, et lætemur in ea, suffulti meritis, et intercessione præcelsæ Genitricis Dei Mariæ, quam cum S. Methodio experiamur : (2) ***Gaudium nostrum ineffabile.*** Amen.

(1) Ex Hymnario S. Gregorii.
(2) In Homil. de Purific. B. M

APPENDIX II

REGULÆ QUÆDAM PRO CANTU IN DIVERSIS FUNCTIONIBUS ECCLESIASTICIS

(142) — Continet hæc Appendix varias formulas musicas quæ in diversis functionibus liturgicis, tum a Celebrante, tum a Ministris sacris, tum ab aliis assistentibus singillatim cantari debent.

Sicuti cæremonias, ita et cantum in sua Liturgia adhibet Ecclesia, ut divinorum Officiorum et præsertim SS. Missæ Sacrificii majestas commendetur ; cantum insuper usurpat ut sensus liturgici verbi manifestius exprimatur, et corda fidelium vividius penetrentur et ad cœlum subleventur ; et revera formulæ musicæ nonnullæ quæ, ex. gr., in Missa a Celebrante cantantur, eæ sunt, quæ etsi valde simplices, majestate sua peritissimos musices magistros in admirationem rapiunt.

Plurimum interest, ut qui ad illas formulas cantandum vocantur, omnem operam adhibeant et zelum, ut eas cum decore cantare valeant ; et qui naturæ dotibus carent ad cantum rite exsequendum, multiplici et constanti exercitio id acquirere studeant, ut saltem sine fidelium offensione cantare ordinaria discant, et non risum neque fastidium aut commiserationem moveant (Cfr. Statuta Seminarii, nn. 62 et 66) ; labor assiduus et improbus in hac re angustias naturæ dilatat.

Finis in his regulis tradendis non est musices leges proponere, quod præclare jam fit in Tractatu de Cantu ecclesiastico ad usum Seminarii Mechliniensis ; sed potius liturgicas leges de cantu tradere, quandonam nempe in diversis functionibus, et quomodo diversæ formulæ sint adhibendæ. Nonnullæ etiam formulæ hic describuntur, ad majorem commoditatem tironum, ut tum pro exercitiis communibus tum pro particulari studio easdem collectas præ oculis habeant.

Ad quædam tamen exercitantium animum advertere juvat.

1. Quæ proponuntur formulæ excerptæ sunt, partim ex ipsis libris liturgicis, Missali Romano, et Cæremoniali Episcoporum, et quidem ex editionibus quæ ut typicæ, præsertim quoad cantum, habendæ sunt ; vel ex Directorio Chori cura et auctoritate S. Rituum Congregationis digesto et anno 1888 approbato ; vel ex Recitatorio Romano Mechliniæ anno 1856, et Romæ anno 1858 impresso ; eæ sunt quæ Romæ vigent, ac longissimo usu et potiori auctoritate præpollent. Seponuntur itaque eæ formulæ quæ pro Orationibus, pro Epistola, pro

Evangelio, etc., in variis ecclesiis adhibitæ fuerunt, quæ plerumque inter se valde discrepant, atque interdum etiam plane vitiosæ sunt ; unitas enim et consensio requirit, ut omnes ejusdem Officii divini partes, quemadmodum in reliquis quæ ad Sacram Liturgiam pertinent, ita etiam quoad cantum ubique inter se plane consentaneæ sint.

2. Monet Directorium Chori : « Illud advertendum est, quod licet cantus tam diei festivi et solemnis quam ferialis iisdem notis designatus in Directorio reperiatur, tamen quo dies erit solemnior, eo majori cum gravitate et dignitate in canendo vox sustentanda et moderanda est. Et hoc servandum est tam a cantoribus, quam a celebrantibus et aliis assistentibus in omnibus quæ eis canenda occurrunt. »

3. Diligentissima habeatur in exercitationibus cura de recta verborum pronuntiatione ; « imo malum non erit si hac in parte, initio præsertim exercitationum suarum, nonnihil exaggerati habeat tiro ; unicum enim fere medium est, quo postea convenienti cum luciditate cantet. » Ita auctor Tractatus de Cantu ecclesiastico (n° 35, Q. 2, ad 1). Sæpius perlegantur, tum qui loco citato indicantur defectus in hac re vitandi, tum quæ n° 33 regulæ proponuntur pro vocis cultu seu educatione ad rectam cantus plani exsecutionem, tum quæ n° 39 observanda præscribuntur pro recta verborum pronuntiatione in Recitationibus seu iis Officiorum divinorum partibus de quibus in hac Appendice sermo est. Non pauci sunt, præsertim eorum qui citius se legere aut cantare posse credunt et gloriantur, qui, si velint diligenter se examinare, multos variosque deprehendent defectus ; quoties non auditur : *Domnus*, vel *Domenus vobiscûm, Aremus*, *Dées*, *tribe quæsmus*, *quivis et regnas*, *per Dominestrum*, *tecum vivit regnat*, *Dée Patre nunitate*, *promnia sæcla sæclorum* ; — *lectio pistolæ*, *Paul Apostoli*, — *sequentiâ sant Evangelii* ; et ita de cæteris !

4. Pro debita dictione in cantu valet regula in Directorio Chori commendata : « Cantabis syllabas sicut pronuntiaveris ». Dictio latina ubique eadem non est ; ideo quidem S. Rituum Congregatio non permisit, ut in libris choricis, ipsa curante editis, quælibet signa ad indicandam syllabarum distributionem in cantandis psalmorum melodiis adjiciantur. Unde in variis formulis, ex. gr., pro Epistola, pro Evangelio, etc., proposita fuit syllabarum distributio, quæ dictioni latinæ apud nos vigenti respondet ; servata tamen generali regula Cæremonialis Episcoporum (Lib. II, Cap. XXVII, n. 1), quod si in fine cujuscumque dictionis nota sit sustentanda, id fiat, non in ultima dictionis syllaba, sed in penultima, aut, quando hæc est brevis, in antepenultima syllaba.

5. Proponenda manet regula liturgica sequens, quoad cantum illarum Missæ partium quæ a Celebrante debent cantari, nempe *Gloria in excelsis Deo*, *Credo in unum Deum*, necnon alias modulationes, videlicet Orationum, Præfationis, Orationis Dominicæ, etc., cum relativis responsionibus ad Chorum pertinentibus ; — quod hæc omnia debent ex præcepto cantari prout jacent in Missali, et non possunt mutari secundum quasdam cantilenas traditionales, aut juxta consuetudines quarumdam ecclesiarum ; et quæcumque consuetudo contraria est eliminanda, et tamquam corruptela est extirpanda. (Decreta S. Rituum Congregationis, 21 Aprilis 1873, n. 3292, antiq. 5537 ; et 14 Martii 1896, n. 3891.)

(143) I. Tonus Lectionis

Ante Lectionem Lector petit Benedictionem sequenti modo :

Ju-be Domne be-ne-di-ce-re. Accepta Benedictione, indicatur pro prima Nocturni Lectione Titulus ; ex. gr. :

De Actibus Apostolorum. — Dein cantatur Lectio ; ad initium cujusque phraseos incipitur per notam *ut*, non autem per depressionem *la, ut*.

In loco puncti fit depressio quintæ ad ultimam syllabam, vel ad duas ultimas syllabas, si sint breves.



horam o-ra-ti-o-nis nonam. e-le-e-mosynam acciperet.

Si faciendum est punctum in monosyllaba, aut in dictione habente in fine accentum acutum, si occurrit nomen hebraicum sine flexione : *David*, *Israel*, *Jacob*, tunc in penultima syllaba fit depressio tertiæ minoris, ut sequitur :

re-spi-ce in nos..... re-du-ces me..... fi-li-a Si-on.

Hoc non servatur si nomen hebraicum est declinatum ; cantabitur ergo :

in su-pe-ri-o-ri-bus Ga-li-le-æ. in ter-ra Ju-dæ.

Si in loco puncti occurrit interrogatio, fit depressio semitonii ab *ut* ad *si*, ita ut penultima syllaba accentu tonico gaudens ponatur in *si* ; et in ultima syllaba accentu tonico gaudente ascenditur de *si* ad *ut* :



Nonne tu qui solus es ? immundo conceptum se-mi-ne ?
o Cu-stos ho-mi-num ?
im-pi-o-rum ad-ju-ves ?

Lectiones terminantur sequenti modo :

ab e-is. Tu autem, Domine, mi-se-re-re nobis.

Dum hæc ultima verba cantantur, Lector genu dextrum flectit ad Altare, et conclusione dicta, assurgit.

Tribus ultimis diebus Hebdomadæ Sanctæ, et in Officio Defunctorum, non petitur Benedictio, neque datur ante Lectiones; et in fine Lectionum non dicitur: *Tu autem, Domine, miserere nobis* ; cantantur Lectiones ut supra, præterquam in ultimo puncto, ubi non declinatur sicut in aliis, sed vox æqualiter cum aliqua mora et impulsu continuatur, ut apparet in exemplis infrascriptis :



or-di-nem Melchi-sedech.
meam quis con-si-de-rat ?

(144) II. Tonus Capituli

Capitulum dicitur in voce æquali excepta ultima dictione ; si occurrit punctum, non declinatur sicut in Lectione ; si autem occurrit interrogatio, fit depressio sicut in Lectione ; ultima dictio cantatur ut sequitur :

mi-ra-bi-li-a in vi-ta su-a. De-o gra-ti-as.

Quando ultima dictio Capituli erit vox monosyllaba, aut in fine habebit accentum acutum, nomen hebraicum sine flexione, tunc Capitulum concluditur in sequenti tono :

su-per te or-ta est. sæcu-lo-rum. Amen.

Quando ultima dictio erit interrogativum, cantatur ut dictum fuit pro interrogatione :

ad ser-vi-endum De-o vi - ven- ti ?

In omni casu respondetur : *Deo gratias*, ut supra indicatum fuit.

(145) III. Tonus Prophetiæ

Tonus Prophetiæ convenit in omnibus cum Tono Lectionis, de quo supra n. I, præterquam quod non petitur Benedictio, et in ultimo puncto non declinatur, sed vox æqualiter cum aliqua mora et impulsu continuatur, sicut dictum fuit pro fine Lectionum in Hebdomada Sancta et in Officio Defunctorum.

Si vero erit monosyllaba vel accentus acutus in fine alicujus dictionis, vel interrogativum, servetur quod de Lectione dictum est, præterquam ad finem, quia semper terminatur sicut supra dicitur.

(146) IV. Toni Hymni « Gloria in excelsis Deo »

Quatuor describuntur in Missali Romano Toni pro intonatione hujus Hymni :

1° In Duplicibus et in solemnibus diebus

Glo - ri- a in ex-cel-sis De - o.

Tonus hic usurpatur in Dominica I post Pascha, seu in Albis, quæ est ritus duplicis ; in omnibus Festis duplicibus, cujuscumque sint classis, et in solemnibus diebus ; scilicet, in Missis votivis solemnibus, iisque Missis votivis privilegiatis quæ naturam Missarum votivarum solemnium sequuntur, ex. gr., in Missis Solemnitatum Epiphaniæ, SS. Petri et Pauli ; in Missa in honorem S. Joannis Berchmans, Dominica III Novembris ; in Missa de Sacro Corde Jesu, in prima Feria VI cujusque mensis ; etc.

2° In Missis Beatæ Mariæ



Glo - ri - a in ex - cel - sis De - o.

Superscriptio hujus Toni generalis est ; usurpatur itaque in omnibus Missis tum festivis, tum votivis, etiam privatis, quæ de B. Maria Virgine celebrantur, et in quibus Hymnus dici debet.

Adhibetur quoque infra Octavas B. Mariæ Virginis, etiamsi Missa de alio Sancto, aut Mysterio, cujuscumque ritus et classis sit ejus Festum, celebraretur, et etiamsi in hujusmodi Missa non fieret commemoratio Octavæ B. Mariæ Virginis : ex. gr., in Festo S. Joachim, Confessoris, infra Octavam Assumptionis B. Mariæ Virginis ; modo in tali Missa cantetur Præfatio de B. Maria Virgine. Quod si Missa habeat Præfationem propriam, modo fiat in ea commemoratio Octavæ B. Mariæ Virginis, etiam adhibetur hic Tonus ; ex. gr., in Missa Festi Exaltationis S. Crucis, 14 Septembris, infra Octavam Nativitatis B. Mariæ Virginis, in qua dicitur Præfatio de Cruce.

Insuper rescripsit S. Rituum Congregatio, quod in hoc Tono canendum est : *Gloria in excelsis Deo*, generatim quoties Præfatio de Nativitate Domini dicenda est. (Decretum 25 Maji 1877, n. 3421, antiq. 5694, ad Dubia quoad cantum I, II, III.) Sequitur hunc Tonum usurpari in Festis Nativitatis Domini, SS. Corporis Christi, SS. Nominis Jesu, etc. ; necnon, sicut S. Congregatio speciatim rescripsit, infra Octavam Nativitatis Domini, etiam in Festis S. Stephani, S. Joannis Apostoli, et in omnibus Festis infra Octavam SS. Corporis Christi incidentibus. (Decret. supra cit. ad I et II.)

Dubitant quidam, si *Gloria* intonatur hoc Tono a Celebrante, an etiam cantores, casu quo Missa cantatur in gregoriano cantu, prosequi debeant in eodem Tono, ex Ordinario Missarum de B. Maria Virgine quod describitur in Graduali Romano. Hac de re S. Rituum Congregatio nondum aliquid declaravit ; sed ratio dicit in tali casu non solum Hymnum *Gloria*, sed totum Ordinarium esse canendum sicut pro Missis de B. Maria Virgine describitur in Graduali ; dissonum enim videtur Celebrantem intonare in Tono pro Missis B. Mariæ, et cantores prosequi in Tono pro Festis duplicibus aut semiduplicibus descripto.

3° In Dominicis, in Festis semiduplicibus, et infra Octavas quæ non sunt Beatæ Mariæ



Glo - ri - a in excelsis De-o.

Hic Tonus usuvenit in Dominicis, quando Missa cantatur de Dominica (excepta Dominica I post Pascha, seu in Albis, quæ est ritus duplicis, et gaudet Tono Festi duplicis); — in omnibus Festis semiduplicibus ; — et infra Octavas quæ non sunt Beatæ Mariæ, nempe si Missa celebratur de die infra Octavam, aut de Festo semiduplici ; non autem si Missa infra Octavam aliquam celebratur de Festo duplici ; neque si infra Octavam hujusmodi cantatur in Missa Præfatio de B. Maria Virgine, aut de Nativitate Domini.

4° In Festis simplicibus

Glo - ri- a in ex-cel-sis De-o.

Adhibetur quartus hic Tonus in Festis simplicibus ; necnon in Missis votivis privatis, in quibus Hymnus *Gloria* dici debet, ex. gr., in Missis votivis SS. Angelorum ; et in Missis quæ tempore paschali de Feria celebrantur.

Nota. Alii Toni pro intonatione Hymni *Gloria in excelsis Deo* in Missali Romano non describuntur, et merito concluditur, alios non posse a Celebrante cantari. In nullo libro liturgico Romano exstat specialis intonatio pro Sabbato Sancto, quæ in quibusdam libris Gradualibus describitur; numquam etiam adhiberi possunt illæ intonationes quæ describuntur in quibusdam Ordinariis Missarum dictis *ad libitum*. Cantores possunt quidem continuare Hymnum, hujusmodi melodias cantando, sicut et musicam polyphonam, sed Celebrans præter quatuor Tonos descriptos nullum alium cantare potest pro intonatione Hymni. (Cfr. Regula n. 5, supra (142) tradita.)

(147) V. Toni Orationum

Cfr. Cæremoniale Episcoporum, Liber I, Caput XXVII ; necnon Directorium Chori, cura et auctoritate S. Rituum Congregationis digestum (editio anni 1889).

Toni Orationum in diversis functionibus liturgicis distinguuntur tres : 1° festivus ; 2° simplex ferialis ; 3° ferialis.

Primum describuntur hi diversi Toni ; deinde dicetur in quibus functionibus liturgicis Orationes cantandæ sunt in singulis his Tonis.

I. Antequam describantur Toni, prænotandum est, quod corpus Orationis, distinctum ab Orationis conclusione, plerum-

que tribus constat membris, seu tres habet clausulas ; primum membrum, seu prima clausula in Missali recte punctuato indicatur per geminatum punctum : — secundum membrum a tertio sejungitur commate cum puncto ; sæpius, non tamen semper, his aut similibus constat verbis : *concede propitius ; præsta quæsumus ; concede ; præsta ; quæsumus ;* aut ponitur comma cum puncto ante verba *ut*, vel *ita*, quibus incipit tertium membrum ; — tertia clausula habetur in Orationis fine, ubi ponitur punctum.

Non raro tamen brevior est Oratio, quam ut tria capiat membra ; et duobus tantum constat, quorum unum clauditur per geminatum punctum : et, omisso commate cum puncto, alterum terminat Orationem ad punctum. Tales sunt, ex. gr., Oratio S. Callisti (14 Octobris), et non paucæ Postcommuniones in Missis.

Similiter dantur conclusiones Orationum quæ tribus constant membris, quorum primum indicatur per geminatum punctum : secundum vero vel per geminatum punctum, vel per virgulam, quales sunt : *Per Dominum* (vel *Per eumdem Dominum*) *nostrum Jesum Christum Filium tuum : — Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus :* (vel,) *— per omnia sæcula sæculorum.*

Aliæ dantur quæ duo tantum membra habent, separata per virgulam, vel etiam aliquando per duplex punctum : quales sunt : *Qui tecum vivit et regnat* (vel *Qui vivis et regnas cum Deo Patre*) *in unitate Spiritus sancti Deus, — per omnia sæcula sæculorum.*

Prænotatur etiam quod semper et ubique in omni Tono *Dominus vobiscum* sequenti modo cantatur :



Dominus vobiscum. Et cum spi-ri-tu tu-o.

Similiter *Amen* post quascumque Orationum conclusiones pro diversis Tonis semper in Cæremoniali Episcoporum, et in Directorio Chori indicatur cantandum sequenti modo :

Amen. Amen.

His prænotatis describuntur singuli Toni.

1° Tonus festivus ille est in quo duæ fieri solent variationes : prior est *fa, mi, re, fa,* et vocatur *punctum principale* ; altera est *fa, mi*, et dicitur *semipunctum.*

In corpore Orationis, punctum principale fit concluso sensu illius clausulæ quæ primam Orationis partem terminat ad geminatum punctum : servato cantu variationis supradictæ *fa, mi, re, fa,* vox retinetur, et aliquantulum respiratur. — Semipunctum fit in sequenti clausula quæ in Missali signatur commate cum puncto ; posito hic cantu alterius variationis *fa, mi,* iterum aliquantum vox retinetur et respiratur. — In fine Orationis, ad punctum, nota *fa* in penultima dictione (non autem in ultima syllaba, ut multi male faciunt) sustentatur, perinde ac si semiduplicaretur vocalis in qua prædicta nota sustentatur.

Nota : a) Præter prædicta puncta, quoties occurrunt virgulæ, nota *fa* parum est sustentanda in penultima, aut, quando hæc est brevis, in antepenultima syllaba (numquam itaque in ultima).

b) Semipuncto peracto, quamvis diversæ aliquando sequerentur clausulæ in Oratione longiori, amplius numquam fit variatio puncti principalis vel semipuncti ; ex. gr., in Postcommunione Missæ SS Nominis Jesu (Dominica II post Epiphaniam) ; in Oratione S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal (21 Augusti).

c) Numquam in ipsa Oratione primo fit semipunctum, sed semper ad primæ clausulæ verbum cantatur variatio puncti principalis, et postea semipunctum.

d) Quando Oratio brevior est et duobus tantum constat membris, tunc sola fit ad unicam clausulam variatio puncti principalis, et omittitur variatio semipuncti.

e) Si plures Orationes dicuntur sub unica conclusione, in singulis observantur variationes descriptæ.

f) Pro congrua dispositione syllabarum in puncto principali, generatim notæ *fa, mi, re,* sumantur pro tribus syllabis quæ præcedunt ultimam accentuatam hujus membri, et singula ex his notis habeat suam syllabam, non vero pro una syllaba sumantur duæ notæ ; ad ultimam accentuatam membri resumatur dominans *fa.* Ad semipunctum, in ultima membri syllaba, sitne accentuata vel non, declinetur ad notam *mi,* et numquam duæ syllabæ ponantur in hac nota ; itaque sequenti modo cantabitur :



In conclusionibus Orationum, quando sunt *Per Dominum,* vel *Per eumdem Dominum*, inverso ordine variationum, primo ponitur variatio semipuncti *fa*, *mi*, ad verbum *tuum* ; dein variatio puncti principalis, eo modo, ut notæ *mi, re,* inserviant pro verbo *sancti*, et ad verbum *Deus* resumatur dominans *fa*. Quando conclusiones sunt *Qui tecum*, vel *Qui vivis*, fit tantum variatio puncti principalis ad verba *sancti Deus,* ut supra, et omittitur variatio semipuncti.

Exemplum Toni festivi





regnat in u- ni- ta- te Spi-ri-tus sancti De-us : per

omni-a sæ-cu- la sæ-cu- lorum. ℟. Amen.

2° Tonus simplex ferialis ille est in quo tota Oratio dicitur in voce æquali absque ulla variatione. In loco puncti principalis et semipuncti fit tantum pausa et respiratio ; virgulæ et finalis fiunt ut in Tono festivo. Idem observatur in conclusionibus, quæ totæ dicuntur in voce æquali.

Exemplum Toni simplicis ferialis

O - remus. De-us, omnium..... pro-pi - ti - us respi-

ce : da e - i.... pro-fi - ce- re ; ut ad vi - tam.....



..... Fi- li-um tu-um : Qui..... Spi-ri-tus sancti De-us :



per.... ℟. Amen.

3° Tonus ferialis in omnibus convenit cum Tono simplici feriali, præterquam quod, in fine Orationis ad punctum, penultima syllaba tenetur in dominante *fa*, et ultima syllaba declinatur ad *re* ; in omnibus conclusionibus eodem modo cantantur duæ ultimæ syllabæ. Si plures Orationes essent dicendæ in hoc Tono sub unica conclusione, terminatio finalis de *fa* ad *re* fit tantum in ultima Oratione, immediate ante conclusionem, præcedentes vero Orationes dicuntur totæ in voce æquali absque ulla variatione.

Exemplum Toni ferialis



O- remus. Deus, qui nobis sub Sacramento mira-



bi- li..... fructum in nobis ju-gi-ter sen-ti - a-mus Qui

vi-vis et regnas in sæ-cu-la sæ-cu-lorum. ℟. Amen.

Nota. Regula generalis pro quocumque ex his Tonis est, ut in voce gravi, et competenti, interposita aliqua mora in fine cujuslibet clausulæ, et præsertim in clausula finali, cum decore et gravitate recitentur Orationes.

Ad illud præsertim attendant plurimi Sacerdotes, ut servent regulam : « Cantabis syllabas sicut pronuntiaveris. » Mirarentur certe et obstupescerent plures, si quis eis prælegeret Orationem quemadmodum ipsi eam cantant ; ex. gr., in Oratione SS. Sacramenti sæpius audire est : *Deus... mirabilí... memoriâm reliquistí : tribue quæsumûs.... mysteriâ venerari... fructûm... sentiamûs... nostrûm.* Quod et plerumque fit in detrimentum præcedentium syllabarum, quæ fere, vel penitus omittuntur. Sapienter monet Cæremoniale Episcoporum (Lib. II, Cap. XXVII, n. 1) quod si nota *fa* est sustendanda, hoc fiat « in penultima, aut quando hæc est brevis, in antepenultima. »

II. Dicendum remanet in quibus functionibus liturgicis Orationes cantandæ sint in singulis his Tonis.

A) Pro usu Toni festivi regula clara est ; dicitur in Cæremoniali Episcoporum (Lib. I, Cap. XXVII), et in Directorio Chori : « Orationes dicuntur in Tono festivo, quando Officium est duplex, vel semiduplex, vel de Dominica, in Matutinis, Missis, et Vesperis. His exceptis semper dicuntur in Tono feriali. » Hancque regulam invocavit S. Rituum Congregatio in sequenti Decreto : Ad dubium : « In pluribus locis est in usu ut cantus solemnis adhibeatur in Orationibus quæ cantantur in Processionibus, et benedictionibus SSmi Sacramenti.... An cantus Orationum in Processionibus et benedictionibus SSmi Sacramenti debeat esse nec ne solemnis ? » Et S. Congregatio respondendum censuit : « Servetur Cæremoniale Episcoporum Lib. I, Cap. XXVII, §§ 1 et seq. ; et in functionibus extra Missam, Laudes et Vesperas adhibeatur cantus minus solemnis. Atque ita respondit, et declaravit. » (Decret. 23 Martii 1881, n. 3528, antiq. 5823.)

Itaque Orationes dicuntur in Tono festivo :

1° In Missis, quando Officium est duplex, semiduplex, vel de

Dominica ; et etiam in Missis votivis solemnibus, aut quæ his æquiparari valent (non autem in Missis votivis privatis quæ solemniter celebrantur, aut cantantur).

2° In Laudibus, ac Vesperis, quando Officium est duplex, semiduplex, vel de Dominica.

Antequam dicatur de usu Toni ferialis simplicis, et Toni ferialis, prænotandum est, editionem Cæremonialis Episcoporum, quæ anno 1886 uti typica impressa fuit, et cui futuræ editiones conformari debent, quoad regulas de Tonis Orationum multum discrepare a præcedenti editione Benedicti XIV, quæ hucusque servabatur ; in hac enim duo Toni Orationum tantum admittebantur, festivus nempe et ferialis ; in editione typica vero distinguitur præter Tonum festivum, Tonus simplex ferialis (cui correspondet ferialis Tonus præcedentis editionis), et Tonus ferialis. Determinatur in editione typica quando singuli ex his Tonis inserviunt.

B) Tono simplici feriali « utimur in Festis simplicibus, diebus ferialibus, et in Missis Defunctorum... Hoc Tono utimur semper, quando Orationes dicendæ in Tono feriali terminantur cum clausula majori, ut sunt : *Per Dominum, Per eumdem Dominum*, et *Qui tecum.* »

Itaque Orationes dicuntur in Tono simplici feriali :

1° In Missis Festorum simplicium ; in Missis dierum ferialium ; in Missis votivis privatis ; in Missis Defunctorum.

2° In Horis canonicis : Prima (pro Oratione *Domine Deus*), Tertia, Sexta, Nona, Completorio, etiamsi Officium sit de Festo duplici, semiduplici, vel de Dominica.

3° In Officio Defunctorum, quoties Orationes terminantur conclusione majori *Per Dominum,* vel *Qui vivis et regnas cum Deo Patre etc.*

4° Feria VI in Parasceve, pro omnibus Orationibus, etiam pro Oratione *Libera nos* quæ dicitur post *Pater noster.*

5° Sabbato sancto, et in Vigilia Pentecostes, pro Orationibus quæ cantantur ante Missam, et pro Benedictione fontis baptismalis.

6° In Litaniis majoribus, Processionibus aut Supplicationibus ; in Benedictionibus Candelarum, Palmarum, etc.; quoties Orationes terminantur conclusione majori.

C) Tonus ferialis inservit :

1° Pro Oratione in aspersione aquæ benedictæ quæ fit diebus Dominicis ante Missam.

2° In Benedictionibus Candelarum, Palmarum, etc., pro

Orationibus quæ terminantur cum clausula minori, qualis est : *Per Christum Dominum nostrum.*

3° In Officio divino, pro Oratione *Dirigere, etc.*, ad Primam ; et pro Orationibus quæ cantantur post Antiphonas B. Mariæ Virginis.

4° In Officio Defunctorum, pro Orationibus quæ dicuntur cum conclusione minori ; necnon in Absolutione Defunctorum pro Oratione *Non intres etc.*, et pro Oratione quæ dicitur in fine Absolutionis.

5° Pro Orationibus Litaniarum, aliarumque Supplicationum, in quibus Orationes terminantur cum clausula minori.

6° Coram SS. Sacramento exposito, pro Orationibus quæ dicuntur cum conclusione minori, quales sunt Orationes de B. Maria Virgine, aut de Sanctis ; Oratio SS. Sacramenti ante Benedictionem, uti declaravit S. Rituum Congregatio per Decretum 18 Julii 1885 (n. 3638, ad 4, antiq. 5943, ad 13).

(Cfr. Quæstiones in Conferentiis ecclesiasticis agitatæ anno 1888 ; ex Liturgia QQ. V et VI.)

Nota. His regulis descriptis adduntur sequentia. quæ aliquando ante Orationes in Missis sunt cantanda :

a Sacerdote a Diacono a Subdiacono

O- re - mus. Flectamus ge-nu - a. Le- va - te.

In Quadragesima, ante Orationem super populum, dictis Postcommunionibus :

a Sacerdote a Diacono.

O - re-mus. Hu-mi- li - a - te ca- pi- ta vestra De- o.

(148) VI. Tonus Epistolæ

Indicatio Epistolæ, ejusque textus semper dicuntur in voce æquali. In loco puncti fit tantum pausa et respiratio, et in ultimo puncto vox æqualiter cum aliqua mora et impulsu continuatur.

Pro monosyllaba, vel accentu acuto, aut nomine hebraico in fine alicujus dictionis, nulla fit variatio.

Solummodo si in loco puncti occurrerit interrogativum, servatur Tonus interrogationis ut in Lectione (cfr. (143), I) : fit

depressio semitonii ab *ut* ad *si*, ita ut penultima syllaba accentu tonico gaudens ponatur in *si*; et in ultima syllaba accentuata ascenditur de *si* ad *ut*. Si ultimum punctum Epistolæ foret interrogativum, Tono interrogationis neglecto, vox æqualiter continuatur, ut supra dicitur.

Exempla interrogationum dantur supra (143), I, et (149), VII.

Hic est Tonus Epistolæ descriptus tum in Directorio Chori, tum in Recitatorio Romano. In quibusdam ecclesiis aliæ formulæ adhibentur, sed in variis ecclesiis variæ reperiuntur, quæ plerumque inter se discrepant, atque interdum etiam plane vitiosæ sunt. Solus itaque qui Romæ viget Tonus præponendus est.

(149) VII. Tonus Evangelii

1. Ante Evangelium cantatur *Dominus vobiscum,* sequenti modo :



Dominus vobiscum.

2. Ad indicationem textus Evangelii fit depressio tertiæ minoris ad nomen Evangelistæ, sequenti modo :

Se-quentia sancti E-vange-li - i secundum Matthæum.
Jo- annem.



secundum Lucam.
Marcum.

3. In principio textus, si annuntiantur verba Domini, fit depressio tertiæ minoris ante Domini verba, ut sequitur :

In il - lo tempore : Di-xit Je-sus di - sci- pu- lis su - is :
pa - ra - bo-lam hanc :
tur-bis Ju - dæ- o - rum :

Hæc depressio non fit, si in principio textus annuntiantur verba aliorum ; itaque in Evangelio Missæ pro Abbatibus di-

cetur recto tono sine depressione : *In illo tempore : Dixit Petrus ad Jesum* ; item in Evangelio Missæ pro Defunctis in die obitus, dicetur sine depressione : *In illo tempore : Dixit Martha ad Jesum.*

4. In loco puncti fit depressio tertiæ minoris in syllaba, quæ præcedit ultimam syllabam tonico accentu gaudentem ; et regulariter ponitur unica syllaba ad notam *la*. Exempla sint :



con- cul-ce-tur ab ho- mi-ni-bus.
Fi - li - i A - bra-ham.
quæ fu - it U - ri - æ.
transmigratione Ba - by- lo-nis.
qui in cœ - lis est.
re- spon- dit : Non.
Vos es - tis sal ter-ræ.
dic ut me ad- ju- vet.
in Is - ra - el.

Minus bene ponunt quidam plures syllabas, præsertim accentu non gaudentes, in depressione ad notam *la* : unica tantum ibi syllaba ponatur. — Male accentuant quidam syllabam accentu non gaudentem, quæ ponitur in nota *ut* immediate ante notam *la*, et dicunt, ex. gr. : *Dixit Jesus discípulis suis : parabólam hanc ; vos estîs sal terræ.*

5. Ad interrogativum fit depressio semitonii ab *ut* ad *si*, ita ut penultima syllaba accentu tonico gaudens ponatur in *si* ; et ut in ultima accentuata ascenditur de *si* ad *ut*.

Exempla sint sequentia :



in quo sa - li - e - tur ?
quid er - go e - rit no - bis ?
de- cem mun-da - ti sunt ?
Pro-phe - ta es tu ?
Quid hoc audio de te ?
Quid ti - bi vis fa - ci - am ?
Sur - ge et am - bu - la ?

Si unicum tantum verbum habetur in interrogatione, cantatur sequenti modo :

Et di-xit : Quæ ?

6. Pro monosyllaba occurrente in puncto nihil speciale præscribitur in cantu Evangelii ; canitur juxta regulas vel puncti, vel interrogationis.

7. Clausula finalis habet depressionem specialem : *la, si, ut* ; quæ non fit ante sextam ultimam syllabam, nec post quartam ; ita ut ponatur vel in sexta, vel in quinta, vel in quarta ultima syllaba, quæ sit longa seu accentu gaudens ; quantum fieri potest, depressio ponitur super quartam ultimam syllabam. Exempla :

eam dis - ci - pu - lus in su - a.	(in 6ª)
meus es - se dis - ci - pu - lus.	» »
Filius ho - mi - nis ve - ni - et.	» »
in re - gno cœ - lo - rum.	(in 5ª)
humiliat ex - al - ta - bi - tur.	» »
Patre meo qui in cœ - lis est.	» »
in pa - ti - en - ti - a.	» »
dedit lau - dem De - o.	(in 4ª)
æternam pos - si - de - bit.	» »
cor ves - trum e - rit.	» »
multa est in cœ - lo.	» »
diem ne - que ho - ram.	» »

(150) VIII. Tonus Symboli « Credo in unum Deum »

Credo in u-num De- um.

Semper et ubique præscriptus Tonus servandus est, nec umquam alia intonatio admittitur.

(151) IX. Cantus Præfationis

Nota. I. Ad fidelium ædificationem plurimum interest, ut Sacerdotes Præfationes et Orationem Dominicam *Pater noster* cum decore et debita gravitate decantent. Assuescant tirones, in addiscendis Præfationum Tonis, diligentissimam ponere curam in debita pronuntiatione vocalium et syllabarum, memores regulæ : « Cantabis syllabas sicut pronuntiaveris. »

Liceat quosdam hac in re majores et communiores defectus designare, tum in Præfationibus, tum in Oratione Dominica occurrentes : *Par omneia sækela : Damené santé; ætarne Deus ; Jeusum ; Domenum ; salutarebus : diceré : quias in cœlis ; etnenos indekas ; etc.* Sæpenumero peccant multi accentum tribuendo syllabis quibus non convenit, præsertim in vocabulis dissyllabis vel polysyllabis urgentes et trahentes ultimam syllabam ; vel insistendo particulis, aut conjunctionibus, aut verbis quæ accentum in phrasi non requirunt, ita ut aliquando sensus phraseos difficile intelligatur.

Nota. II. « Proposito dubio : An in cantu Præfationis et Orationis Dominicalis, quoties Missæ decantantur, Organa pulsari queunt ? Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario auditoque voto Commissionis Liturgicæ, respondendum censuit : Obstat Cæremoniale Episcoporum, Lib. I. Cap. 28, § 9, quod servandum est. Atque ita rescripsit. » (Decret. 27 Januarii 1899. n. 4009.) — Cfr. quæ hac super re notantur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 276, Nota I.

Ad majorem commoditatem pro exercitio communi, describuntur hic quædam Præfationes, quæ præ cæteris frequentius sunt cantandæ in Missis ; excerptæ sunt ex editione Missalis Romani, quæ uti typica habenda est.

A) Præfationes in Tono solemni

1. De Nativitate.




℟. Di - gnum et ju - stum est. Ve-re dignum et justum
est, æquum et sa- lu - ta - re, nos ti- bi semper, et
u- bi-que gra-ti- as a - ge-re : Do-mi-ne san-cte,
Pa-ter o-mni-po-tens, æ-ter-ne De- us. Qui-a per
in-car-na- ti Ver-bi my- ste- ri- um, no-va mentis no-
stræ o- cu-lis lux tu- æ cla-ri- ta - tis in- ful- sit : ut
dum vi- si- bi- li- ter De-um co - gno-scimus, per hunc
in in-vi- si- bi- li-um a- mo-rem ra - pi- a - mur. Et
id - e - o cum An-ge-lis et Arch-an - ge-lis, cum
Thronis, et Domina- ti - o - nibus, cumque o-mni mi-
li- ti- a cœ-le-stis ex - er - ci-tus, hymnum glo-ri- æ
tu- æ ca - ni-mus, si - ne fi - ne di-cen-tes.

2. De SS. Trinitate.





3. De B. Maria Virgine. Ad asteriscos post verba : *Et te in*, ponitur denominatio Festivitatis B. Mariæ Virginis, sicut in Missali indicatur, ex. gr., *Et te in Conceptione Immaculata*. (Cfr. Tractatus de Rubricis Missalis, Q. 157, n. 9.)





B) Præfationes in Tono feriali

1. De Nativitate. Non reperitur hæc Præfatio in Missali Romano inter Præfationes in Ordine Missæ. Attamen in pluribus ecclesiis, feriis quintis, Missa votiva de SS. Sacramento

cantatur quando Rubricæ eam admittunt ; quæ Missa cum sit votiva privata, requirit Præfationem in Tono feriali. S. Rituum Congregatio hac de re interrogata, respondit die 29 Februarii 1868 (Decret. n. 3168, antiq. 5393, ad III) : « Præfatio de Nativitate canenda est tono feriali. Sacra vero eadem Congregatio indulget, ut ad commoditatem sacerdotis Missam cantaturi, ad calcem Missalis, et ultimo prorsus loco, apponi possit Præfatio de Nativitate cum hac rubrica : Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur in Missis votivis de SSmo Sacramento, et de SSmo Nomine Jesu. » Reperitur hæc Præfatio in novis Missalibus, ultimo prorsus loco, post Appendices Missarum quæ aliquibus locis concessæ fuerunt. (Cfr. Tractatus de Rubricis Missalis, Q. 161 ; cfr. etiam Conferentiæ ecclesiasticæ Archidiœceseos Mechliniensis, anni 1888 ; ex Liturgia Q. I.)

Per o-mni-a sæcu-la sæcu-lo- rum. ℟. A-men. ℣. Dominus



vo- biscum. ℟. Et cum spiri-tu tu- o. ℣. Sursum cor- da.

℟. Habemus ad Dominum. ℣. Grati-as a- gamus Domino

De-o nostro. ℟. Dignum et justum est. Ve-re dignum

et justum est, æquum et sa-lu-ta-re, nos ti- bi sem-

per, et u- bique gra-ti- as a- ge-re, Domine sancte,

Pater o-mnipotens, æ-terne Deus. Qui-a per incarna-

ti Verbi myste-ri-um, no-va mentis nostræ o- cu-lis



2. Præfatio communis.





per, et u- bi-que gra-ti- as a- ge- re : Domi-ne sancte,



Pater o-mnipotens, æ-ter-ne De-us : per Christum Do-



minum nostrum. Per quem ma-je-statem tu-am laudant

Ange-li, a-dorant Domina-ti-o-nes, tremunt Potestates.



Cœ-li, cœ-lorumque Vir-tu-tes, ac be- a- ta Se-raphim,

so- ci- a exsulta- ti- o- ne conce-lebrant. Cum quibus et

nostras voces, ut admit-ti ju-be-as, deprecamur, sup-



pli-ci confes-si- o- ne dicentes.

(152) X. Cantus « Pater noster »

Cfr. duæ Notæ præpositæ numero IX præcedenti (151).

TONUS FESTIVUS



Per omnia sæcu-la sæcu-lo-rum. ℟. A-men. O-re- mus :

Præceptis sa-lu-ta-ri-bus mo-ni- ti, et di-vi-na in-sti-tu-

ti- o- ne formati, au-de- mus di - ce-re. Pater noster,

qui es in cœlis : Sancti-fi- ce- tur no-men tu- um : Ad-

ve- ni- at regnum tu-um : Fi- at vo-luntas tu- a, sic-ut

in cœ-lo , et in ter- ra. Panem nostrum quoti- di- a-



num da nobis ho-di- e : Et dimit-te nobis de-bi-ta no-

stra, sic-ut et nos di-mit-ti-mus de-bi-to-ri-bus nostris.



Et ne nos in-du-cas in ten-ta-ti- o-nem. ℟. Sed li-be-ra



nos a ma- lo.

Tonus ferialis



Per omnia sæcu-la sæcu-lo-rum. ℟. A-men. O-re- mus :



Præceptis sa-lu-ta-ri-bus mo-ni- ti , et di-vi-na in-sti-tu-

ti- o- ne forma-ti, au-de-mus di- ce-re. Pater noster,



(153) XI. Toni « Ite missa est », vel « Benedicamus Domino », vel « Requiescant in pace », in fine Missæ

1. A Missa Sabbati sancti usque ad Sabbatum in Albis inclusive.



2. In Festis solemnibus.



Hic Tonus usurpatur in omnibus Festis duplicibus 1 classis.

iis exceptis in quibus usurpari debet Tonus Missarum B. Mariæ Virginis, ut infra dicetur sub 4°. Recensentur hic ea Festa :

Epiphania ; Feria V in Cœna Domini ; Ascensio Domini ; Dominica Pentecostes ; Feria II Pentecostes ; Feria III Pentecostes ; SS. Cor Jesu ; Nativitas S. Joannis Baptistæ ; S. Joseph ; SS. Apostoli Petrus et Paulus ; Festum Omnium Sanctorum ; Dedicatio ecclesiarum, ejusque anniversarium ; Festum Patroni loci ; Festum Titularis ecclesiæ ; Festa particularia hujus classis ; Missæ votivæ solemnes in quibus cantatur Hymnus *Gloria in excelsis*.

Tonus iste, de quo Guidetti testatur (sæculo XVI°), Romanam Ecclesiam eo non solere uti, hodie in omnibus editionibus librorum liturgicorum sine exceptione proponitur.

3. In Festis duplicibus.



Tono hoc utimur in omnibus Festis duplicibus secundæ classis, majoribus et minoribus, exceptis Missis in quibus usurpari debet Tonus Missarum B. Mariæ Virginis, ut infra dicitur sub 4°. Etiam usurpatur hic Tonus in Dominica in Albis, quæ est ritus duplicis.

4. In Missis Beatæ Mariæ.



Superscriptio hujus Toni generalis est ; usurpatur itaque in omnibus Missis, tum festivis, tum votivis, etiam privatis, quæ de B. Maria Virgine celebrantur, et in quibus Hymnus *Gloria in excelsis Deo* fuit cantatus.

Adhibetur quoque infra Octavas B. Mariæ Virginis, etiamsi Missa de alio Sancto, cujuscumque ritus et classis sit ejus Festum, celebraretur, et etiamsi in hujusmodi Missa non fieret commemoratio Octavæ B. Mariæ Virginis ; ex. gr., in Festo S. Joachim, Confessoris, infra Octavam Assumptionis B. Mariæ Virginis ; modo in hujusmodi Missa cantetur Præfatio B. Mariæ Virginis. Quod si Missa habeat Præfationem propriam, modo fiat in ea commemoratio Octavæ B. Mariæ Virginis, etiam adhibetur hic Tonus ; ex. gr., in Missa Festi Exaltationis S. Crucis, 14 Septembris, infra Octavam Nativitatis B. Mariæ Virginis, in qua dicitur Præfatio de Cruce.

Insuper rescripsit S. Rituum Congregatio, quod in hoc Tono cantandum est : *Ite missa est*, generatim quoties Præfatio de Nativitate Domini dicenda est. (Decretum 25 Maji 1877, n. 3421, antiq. 5694, ad Dubia quoad cantum I, II, III.) Sequitur hunc Tonum usurpari in Festis Nativitatis Domini, SS. Corporis Christi, SS. Nominis Jesu, etc. ; necnon, sicut S. Congregatio speciatim rescripsit, infra Octavam Nativitatis Domini, etiam in Festis S. Stephani, S. Joannis Apostoli, et in omnibus Festis infra Octavam SS. Corporis Christi incidentibus. (Decret. supra citat., ad I et II.)

Adhibetur tandem in Missis votivis solemnibus, et in Missis privilegiatis, quæ celebrantur de B. Maria Virgine, vel in quibus cantatur Præfatio de Nativitate. ex. gr., in Missa votiva privilegiata de SS. Sacramento in Adoratione perpetua, seu Oratione XL Horarum.

5. In Dominicis infra annum, in Festis semiduplicibus, et infra Octavas quæ non sunt B. Mariæ.



Hoc Tono utimur : 1° in Dominicis per annum, quando Missæ celebrantur de Dominica, inde a Dominica infra Octavam Epiphaniæ usque ad Dominicam in Septuagesima exclusive, et a Dominica II post Pascha usque ad Dominicam I Adventus exclusive. (Dominica I post Pascha, seu in Albis, quæ est ritus duplicis, gaudet Tono Festorum duplicium.) Excipiuntur Missæ de Dominicis quæ occurrunt infra aliquam Octavam B. Mariæ Virginis, aut in quibus cantatur Præfatio de Nativitate Domini.

2° In Festis semiduplicibus quibuscumque, quando non occurrunt infra aliquam Octavam B. Mariæ Virginis, aut quando in eorumdem Festorum Missis non cantatur Præfatio de Nativitate Domini.

Adhibetur quoque hic Tonus in Missis de Officiis votivis, quæ in Festis simplicibus et in quibusdam Feriis et Vigiliis ad libitum possunt persolvi, nempe de SS. Angelis, de SS. Apostolis, de S. Joseph, et de Passione Domini ; in duabus reliquis hujusmodi Missis, de SS. Sacramento scilicet et de Immaculata Conceptione B. Mariæ Virginis, adhibetur Tonus supra sub 4° descriptus pro Missis Beatæ Mariæ.

Tandem adhibetur in Vigilia Pentecostes.

3° Infra Octavas quæ non sunt B. Mariæ, quando cantatur Missa de die infra Octavam, aut de Festo semiduplici ; occur-

rente vero infra hujusmodi Octavas Festo duplici, adhibetur Tonus supra sub 3° descriptus pro Festis duplicibus.

Si infra Octavam quæ non est B. Mariæ, cantari debet Præfatio de Nativitate Domini, patet ex dictis supra sub 4°, quod Tonus de Missis Beatæ Mariæ debet adhiberi, non solum in Missis de die infra Octavam, sed etiam in Missis Festorum duplicium et semiduplicium quæ infra hanc Octavam occurrunt.

6. In Festis simplicibus.



Tonus iste adhibetur : 1° in Missis Festorum simplicium.

2° In Missis quæ Tempore Paschali, id est a Feria II post Dominicam in Albis usque ad Vigiliam Ascensionis inclusive, de Feria celebrantur, quia in iis cantatur Hymnus *Gloria in excelsis*.

Excipiuntur Missæ Processionum in Rogationibus et in Festo S. Marci, in quibus dicitur *Benedicamus Domino* (cfr. infra n. 9).

3° In Missis votivis privatis in quibus cantatur Hymnus *Gloria in excelsis*, ex. gr., de SS. Angelis : exceptis Missis votivis privatis de B. Maria in Sabbatis, et iis Missis in quibus cantatur Præfatio de Nativitate Domini, in quibus adhibetur Tonus supra sub 4° descriptus pro Missis Beatæ Mariæ.

7. In Dominicis in Septuagesima, in Sexagesima, et in Quinquagesima.



Tono suprascripto utimur tantum in tribus designatis Dominicis ; non autem in Feriis per hebdomadam, si in his cantatur Missa Dominicæ præcedentis.

8. In Dominicis Adventus et Quadragesimæ.



Adhibetur hic Tonus in quatuor Dominicis Adventus ; etiam in illa quæ occurrit infra Octavam Immaculatæ Conceptionis

B. Mariæ Virginis; quia Missale non indicat pro *Benedicamus Domino* Tonum quo *Ite missa est* cantatur in Missis B. Mariæ Virginis, et infra Octavas Festorum B. Mariæ Virginis.

Excipitur Dominica IV Adventus, si in ea occurrit Vigilia Nativitatis Domini, quia pro hac Vigilia describitur Tonus specialis, qui infra sub 11° indicatur.

Utimur hoc Tono etiam in Dominicis Quadragesimæ, inde a Dominica I in Quadragesima usque ad Dominicam in Palmis inclusive; non autem in Missis ferialibus hujus temporis.

9. In Feriis per annum.



Be-ne-di-ca-mus Do-mi-no.

1° Feriæ per Annum hic intelliguntur Feriæ inde post Octavam Epiphaniæ usque ad Feriam IV Cinerum exclusive, et a Dominica SS. Trinitatis usque ad Dominicam I Adventus; in Missis quæ his temporibus celebrantur de Feria aut de Vigilia, adhibetur hic Tonus; adhibetur etiam Tempore Paschali in Missis Rogationum in Festo S. Marci et tribus diebus ante Festum Ascensionis Domini.

2° Utimur etiam hoc Tono in omnibus Missis votivis privatis, in quibus non cantatur Hymnus *Gloria in excelsis*: etiam quando Missæ cantantur de B. Maria Virgine, aut si in illis dicenda est Præfatio de Nativitate, ex. gr., in Missa votiva privata de B. Maria extra Sabbatum, in Missa votiva privata de SS. Sacramento.

10. In Feriis Adventus et Quadragesimæ.

Be-ne-di- ca- mus Do- mi- no.

Sicut Dominicæ Adventus et Quadragesimæ habent specialem Tonum, ita et Feriæ in iisdem temporibus. Utimur itaque hoc Tono in omnibus Missis de Feria tempore Adventus (excepta Vigilia Nativitatis Domini, ut dicetur infra sub 11°); et in Missis de Feria tempore Quadragesimæ, inde a Feria IV Cinerum usque ad Feriam IV in Hebdomada sancta inclusive.

11. In Missis Vigiliæ Nativitatis Domini, in Festo Sanctorum Innocentium, et in Missis votivis pro re gravi, quando non dicitur « Gloria in excelsis ».



Missæ supra indicatæ sunt ritus duplicis, et in ipsis non cantatur Hymnus *Gloria in excelsis* ; ideo specialis hic Tonus, qui idem est ac Tonus quo cantatur *Ite missa est* in Festis duplicibus 2 classis, majoribus, et minoribus, præscribitur quando cantari debet *Benedicamus Domino* in Missis ritus duplicis.

Missæ votivæ pro re gravi hic intelliguntur Missæ, quæ ab Ordinario præscribuntur solemniter celebrandæ : ex. gr., pro sanitate alicujus præclari infirmi recuperanda, quæque juxta Rubricas in colore violaceo, sine cantu Hymni *Gloria in excelsis*, celebrari debent.

12. In Missis Defunctorum.

Notandum hic venit, quod semper in plurali dicitur *Requiescant,* etiamsi pro uno tantum defuncto Missa celebraretur.

(154) XII. Tonus Versiculi « Procedamus in pace »

In duabus Processionibus, nempe Candelarum et Palmarum, indicitur hoc versiculo initium Processionis faciendæ. Diaconus vertens se ad populum dicit :

APPENDIX III

REGULÆ QUÆDAM PRO CHORO

Quia alumni Seminarii sæpius debent assistere Officiis diversis in Choro persolutis, utile visum fuit hic regulas quasdam proponere ab ipsis observandas pro debita in his Officiis assistentia.

(155) § 1. Regulæ tempore Officii divini, seu Horarum canonicarum

I. In Choro ab omnibus utrumque genu flectitur (cfr. Regulæ generales, (2), III, VII, ad 3):

1. Ad Orationem præparatoriam: *Aperi, Domine etc.*, quæ recitatur secreto.

2. Ad verba: *Venite, adoremus, et procidamus ante Deum,* in Invitatorio Matutini, quando Officium in cantu persolvitur; si vero dicitur in tono psalmodiæ, sufficit genu dextrum flectere.

3. Ad Versum: *Te ergo quæsumus.... sanguine redemisti,* in Hymno *Te Deum laudamus,* quando cantatur; si vero dicitur in tono psalmodiæ, sufficit genu dextrum flectere.

4. Ad sequentes Strophas integras Hymnorum:

a) *Tantum ergo.... sensuum defectui,* in Hymno *Pange lingua,* ad Vesperas, si expositum erit SS. Sacramentum, vel clausum asservatur in Tabernaculo, in Altari ad quod Officium peragitur.

b) *O salutaris hostia....fer auxilium,* in Hymno *Verbum supernum,* ad Laudes, si expositum erit SS. Sacramentum, vel clausum asservatur in Tabernaculo, in Altari ad quod Officium peragitur.

c) *O Crux ave.... dele crimina,* in Hymno *Vexilla regis.*

d) *Veni Creator Spiritus.... creasti pectora,* prima hujus Hymni.

e) *Ave maris stella.... cœli porta,* prima hujus Hymni.

5. Ad preces feriales quæ dicuntur ad Laudes et per omnes Horas, in Officiis Feriarum Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, et Vigiliarum quæ jejunantur (exceptis Vigilia Nativitatis Domini, ac Vigilia et Quatuor Temporibus Pentecostes).

6. Ad Antiphonam finalem Beatæ Mariæ Virginis, præterquam in diebus Dominicis, a primis Vesperis in Sabbato, et toto tempore Paschali.

7. Ad Orationem *Sacrosanctæ etc.*, quæ recitatur secreto.

8. In Officio Defunctorum, ad *Pater noster*, ac preces et Orationem, quæ dicuntur in Vesperis et Laudibus post repetitionem Antiphonæ ad Cantica *Magnificat* et *Benedictus*.

9. In Sacro Triduo, ad Antiphonam *Christus factus est etc.*, et reliqua quæ dicuntur usque ad finem uniuscujusque ex Horis.

II. In Choro stant omnes (cfr. Regulæ generales, (2), VII, ad 2):

1. In principio uniuscujusque Horæ usque ad primum versum primi Psalmi inclusive.

2. Ad intonationem Antiphonarum per Canonicos in Vesperis, Matutino et Laudibus, quando cantantur ; stant ad intonationem tantum, non ad sequentium Antiphonæ verborum cantum.

3. In Matutino, ad *Pater noster* post Versum, ad Absolutionem, et ad Benedictionem ante Lectionem primam cujusque Nocturni ; — in tertio Nocturno manent stantes quando cantatur textus Evangelii usque ad verba : *Et reliqua* inclusive, ante septimam Lectionem ; — item stant ad nonam Lectionem quæ a Celebrante canitur ; — et ad Hymnum *Te Deum laudamus*.

4. In reliquis Horis stant post repetitam Antiphonam ultimi Psalmi, manentque stantes usque ad finem cujusque Horæ ; exceptio datur pro Antiphonis ad *Magnificat* et ad *Benedictus*, sub quarum cantu sedetur post earum præintonationem per Celebrantem, si integræ ante Canticum cantantur ; et etiam quando repetuntur post Canticum, imo jam sedetur ad ℣. *Sicut erat etc.*

5. In Prima stant omnes dum dicitur Symbolum *Quicumque*.

6. Ad Antiphonam finalem Beatæ Mariæ Virginis, in diebus Dominicis, a primis Vesperis in Sabbato, et toto tempore Paschali.

7. In Officio Defunctorum, ad Vesperas stant ad cantum primæ Antiphonæ, et cantum primi versi primi Psalmi, et ad Canticum *Magnificat* ; — ad Matutinum stant ad Invitatorium, et ad Antiphonam primam primi Nocturni, ac primum versum primi Psalmi ; deinde tantum ad *Pater noster* cujusque Nocturni ante Lectiones ; — ad Laudes stant tantum ad Canticum *Benedictus*.

8. In Sacro Triduo, ad Matutinum stant ad *Pater noster*, *Ave* et *Credo*, et cantum primæ Antiphonæ primi Nocturni, usque ad primum versum primi Psalmi ; deinde tantum ad *Pater noster* cujusque Nocturni ; — ad Laudes stant ad Canticum *Benedictus* ; — ad reliquas Horas minores stant ad primi Psalmi

versum primum; — item ad Vesperas, in quibus stant etiam ad Canticum *Magnificat*; — item ad Completorium ad Canticum *Nunc dimittis*.

III. In Choro sedent omnes (cfr. Regulæ generales, (2), VII, ad 5):

1. Post primum versum primi Psalmi usque ad terminatam Antiphonam ultimi Psalmi, et in Matutino usque ad dictum Versum cujusque Nocturni. Excipiuntur intonationes Antiphonarum per Canonicos in Vesperis, Matutino et Laudibus (cfr. supra II, n. 2).

2. In Matutino ab initio primæ Lectionis cujusque Nocturni usque ad finem tertiæ cum suo Responsorio; et quando dicitur secundum et tertium Nocturnum absque intonatione Antiphonæ per Canonicum, continuatur sessio usque ad dictum Versum Nocturni. Excipiuntur textus Evangelii, et nona Lectio si a Celebrante canitur (cfr. supra II, n. 3).

3. Ad lectionem Martyrologii in Prima. Sed in Vigilia Nativitatis Domini, quando annuntiatur Domini Nativitas, omnes stant et genua flectunt quidem ad quædam verba, ut in Martyrologio indicatur. Item in Festo Paschatis, quando, antequam legantur Kalendæ et Martyrologium sequentis diei, annuntiatur Resurrectio Salvatoris, omnes stant.

4. In Vesperis et Laudibus, ad Antiphonas Canticorum *Magnificat* et *Benedictus*, ante Cantica si integræ dicuntur, et cantata intonatione a Celebrante; et ad earum repetitionem post Cantica, jam inde a ℣. *Sicut erat etc.*

5. In Officio Defunctorum, ad Vesperas, post primum versum primi Psalmi usque ad Canticum *Magnificat*, et eo dicto ad repetitionem ejus Antiphonæ; — ad Matutinum, post primum versum primi Psalmi, et toto Matutini tempore excepto quando dicitur *Pater noster* ante Lectiones; — ad Laudes, a principio usque ad Canticum *Benedictus*, et eo dicto ad repetitionem ejus Antiphonæ.

6. In Sacro Triduo, ad Matutinum, post primum versum primi Psalmi, et per totum Matutinum, excepto quando dicitur *Pater noster* ante Lectiones; — ad Laudes, a principio usque ad Canticum *Benedictus*; non sedent quando repetitur post Canticum Antiphona; — ad alias Horas, post primum versum primi Psalmi, usque ad finem ultimi Psalmi.

IV. Corpus profunde ab omnibus inclinatur (cfr. Regulæ generales, (2), IV, ad 1):

Ad *Confiteor*, quoties dicitur, a primo verbo *Confiteor* usque ad dictum totaliter ab Hebdomadario ℣. *Misereatur vestri etc.*;

et omnes profunde inclinati se convertunt ad Hebdomadarium, quando dicunt : *tibi Pater*, et *te Pater*.

V. Caput profunde ab omnibus inclinatur (cfr. Regulæ generales, (2), IV, ad 2) :

1. Ad Versum : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto,* quoties dicitur ; et in principio Horarum, post ℣. *Deus in adjutorium etc.* ad ℣. *Gloria Patri etc.,* omnes se convertunt ad Altare.

2. Ad verba : *Sit nomen Domini benedictum*, in Psalmo 112 : *Laudate pueri Dominum.*

3. Ad ultimam stropham Hymnorum, si in ea nominatur quocumque modo SS. Trinitas.

4. Ad SS. Nomen *Jesu*, quoties dicitur. — Fit etiam inclinatio capitis, sed media tantum, ad nomen B. Mariæ Virginis, quoties dicitur ; et inclinatio capitis minima, ad nomen Sancti cujus Festum celebratur, aut cujus fit Commemoratio, in ejus Festo vel per Octavam.

Nota. Quidam auctores dicunt caput profunde esse inclinandum etiam in fine Completorii, ad verba : *Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus.*

VI. Signum Crucis fit ab omnibus :

a) Cum pollice super labia (cfr. Regulæ generales, (2), I, ad 2 et 3) :

1. Ad prima verba Orationis præparatoriæ : *Aperi, Domine etc.*

2. Ad ℣. *Domine, labia mea aperies*, in initio Matutini.

b) Cum pollice super pectus (cfr. Regulæ generales, (2), I, ad 3) :

Ad ℣. *Converte nos, Deus etc.,* qui dicitur in Completorio post Confessionem.

c) Manu a fronte ad pectus (cfr. Regulæ generales, (2), I, ad 1) :

1. Ad ℣. *Deus, in adjutorium meum intende*, quando dicitur in principio Horarum ; non vero quando dicitur in aliis locis, ex. gr., in Prima post ℣. *Pretiosa,* et Orationem *Sancta Maria etc.*, aut in Precibus ferialibus.

Nota. Plures auctores dicunt signum Crucis etiam fieri in Matutino Festi Epiphaniæ Domini, cum inchoatur prima Antiphona : *Afferte Domino etc.* ; et similiter in Triduo Sacro, ad Matutinum, Laudes et Vesperas, quando inchoatur prima Antiphona ; ad reliquas Horas vero, quando inchoatur primus Psalmus.

2. Ad ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini,* quando dicitur ante *Confiteor* ; non vero quando dicitur in aliis locis, ex. gr., ad Primam post Lectionem brevem.

3. Ad ℣. *Indulgentiam, absolutionem etc.*, post *Confiteor*.

4. Ad Benedictionem : *Dominus nos benedicat, etc.*, in fine Primæ.

5. Ad verba : *Pater, et Filius, et Spiritus sanctus*, in fine Completorii.

6. Ad initium Canticorum *Benedictus,* in Laudibus, *Magnificat,* in Vesperis, et *Nunc dimittis*, in Completorio.

Nota. Distributio verborum ad singulas signi Crucis partes pro pluribus ex supra citatis signis describitur loco citato Regularum generalium, (2), I, ad 1.

(156) § 2. Regulæ tempore Missæ solemnis

I. In Choro ab omnibus genu utrumque flectitur (cfr. Regulæ generales, (2), III, VII, ad 3) :

1. In principio Missæ, ad Psalmum *Judica* et Confessionem, usque dum Celebrans ascendit ad Altare.

2. Ab initio Canonis, scilicet dicto a Celebrante Trisagion *Sanctus*, usque ad depositionem Calicis post Elevationem.

3. Ad Benedictionem in fine Missæ.

4. Insuper in Missis Feriarum Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, et Vigiliarum quæ jejunantur de jure, genua flectunt omnes a) ad Orationes ante Epistolam; — b) ab initio Canonis usque dum Celebrans cantavit *Pax Domini etc.*; — ad Orationes omnes post Communionem, et etiam in Quadragesima ad Orationem « super populum ».

Excipiuntur Feriæ Quatuor Temporum Pentecostes, et Vigiliæ Nativitatis Domini, Paschæ et Pentecostes.

5. In Missis de *Requiem* item insuper genua flectunt omnes a) ad Orationem vel Orationes ante Epistolam ; — b) ab initio Canonis usque dum Celebrans cantavit *Pax Domini etc.* ; — ad Orationem vel Orationes post Communionem.

Nota. I. In Symbolo ad ℣. *Et incarnatus est.... et homo factus est,* genu dextrum flectitur a clero in Choro quando Celebrans genuflectit (Decret. S. Rituum Congregationis, 27 Maji 1876, n. 3399, antiq. 5663, ad 2); et quando cantatur hic Versus tunc omnes qui stant genu utrumque flectunt, qui vero sedent caput profunde inclinant. — Sed in tribus Missis Nativitatis Domini, et in Festo Annuntiationis B. Mariæ Virginis (in die translationis si transfertur), omnes genu utrumque flectunt quando cantatur hic Versus. (Decret. 22 Julii 1848, n. 2960, antiq. 5121, ad 2.)

Nota. II. Genu utrumque flectitur etiam :

a) In Quadragesima, quando in Tractu cantatur ℣. *Adjuva nos etc.*

b) In Feria VI in Parasceve, ad adorationem Crucis, quando cantantur ter a Choro verba : *Venite adoremus* ; et tertia vice omnes manent genuflexi usque dum Celebrans Crucem super cussinum deposuerit ; — item quando post adorationem Diaconus Crucem e cussino resumit usque dum eam super Altare reposuerit ; — pro adoratione Crucis vero omnes bini genu utrumque ter flectunt cum pausa.

c) Ad Passionem Domini postquam cantata sunt verba : *emisit spiritum*, vel *exspiravit*, vel *tradidit spiritum*.

d) In Festo et per Octavam Pentecostes, et in Missis votivis de Spiritu sancto, quando post Epistolam cantatur ℣. *Veni sancte Spiritus, reple etc.*

II. In Choro ab omnibus genu dextrum flectitur :

1. In quibusdam Missis, quando cantantur quædam verba, sive in Epistola, sive in Evangelio, ad quæ præscribitur genuflexio ; ex. gr., in Evangelio Festi Epiphaniæ, in Epistolis Dominicæ Palmarum, et Missarum de Cruce, etc.

2. In Symbolo, quando recitant ℣. *Et incarnatus est.... et homo factus est.*

3. In quibusdam Missis et sacris functionibus, quando Diaconus cantat : *Flectamus genua*, usque dum Subdiaconus cantat : *Levate.*

4. Rescripsit S. Rituum Congregatio quod, quando Celebrans genuflectit in ultimo Evangelio ad *Et Verbum caro factum est*, Clerus etiam genuflectere debet. (Decret. 27 Maji 1876, n. 3399, antiq. 5663, ad 2.)

III. In Choro stant omnes (cfr. Regulæ generales, (2), VII, ad 2) :

1. Quando accedunt ad Altare Celebrans et Ministri.

2. Tempore Aspersionis aquæ benedictæ.

3. Quando Celebrans post Confessionem ascendit ad Altare, usque dum dictum fuerit *Kyrie eleison.*

Nota. I. Quod si cantus *Kyrie eleison* protrahatur, eo dicto sedet Chorus usque ad finem cantus. Si ipse Celebrans tunc sedet, non potest Chorus sedere antequam Celebrans consideat.

Nota. II. Quidam auctores dicunt Chorum posse sedere ad incensationem Altaris, et stare tantum ad Introitum et *Kyrie eleison* ; plerique tamen præscribunt stare sicut supra dicitur.

4. Ad recitationem Hymni *Gloria in excelsis Deo*, usque dum sederit Celebrans.

5. Ad *Dominus vobiscum*, et Orationes ante Epistolam. (Cfr. supra I, nn. 4, 5.)

6. Ad cantum Evangelii, et subsequentem recitationem Symboli, usque dum sederit Celebrans.

7. Ad *Dominus vobiscum*, et *Oremus*, ante Offertorium.

8. Ad incensationem Chori.

9. Ad Præfationem, usque dum Celebrans recitaverit Trisagion *Sanctus*.

10. A genuflexione Celebrantis post Elevationem S. Sanguinis usque ad S. Sanguinis sumptionem. (Cfr. supra I, nn. 4, 5.)

11. Ad *Dominus vobiscum*, et Orationes post Communionem. (Cfr. supra I, nn. 4, 5.) Et remanent stantes usque ad finem Missæ, excepta Benedictione.

IV. In Choro sedent omnes (cfr. Regulæ generales, (2), VII, ad 5):

1. Postquam dictum fuerit *Kyrie eleison*, si cantus protrahitur (cfr. supra III, n. 3, Nota I).

Nota. Vide quæ dicuntur supra III, n. 3, Nota II, de sessione dum incensatur Altare ante Introitum.

2. Ad Hymnum *Gloria in excelsis Deo*, post ejus recitationem, cum jam sedet Celebrans; usque dum assurgit versus finem cantus Celebrans et Chorum salutat (cfr. § 3, (157), II, n. 2); quod si omittuntur salutationes ad clerum in Choro, sedent usque ad finem cantus, quando Celebrans cantat: *Dominus vobiscum*.

3. Post Orationes, ad cantum Epistolæ usque dum incipitur cantus Evangelii.

4. Ad Symbolum, post ejus recitationem, cum jam sedet Celebrans; usque dum versus finem cantus Celebrans assurgit et Chorum salutat (cfr. § 3, (157), II, n. 2); quod si omittuntur salutationes ad clerum in Choro, sedent usque ad finem cantus, quando Celebrans cantat: *Dominus vobiscum*.

5. Ad Offertorium, postquam Celebrans cantavit *Dominus vobiscum*, et *Oremus*; usque dum pro cleri incensatione ad Chorum accedit Diaconus. — Si remanet temporis spatium inter incensationem Chori et Præfationem (quod plerumque non remanet), terminata incensatione sedent usque dum Celebrans incipit Præfationem. — Si clerus in Choro non incensatur, omnes sedent usque dum Celebrans incipit Præfationem.

6. Post sumptionem S. Sanguinis, usque ad *Dominus vobiscum* ante Postcommunionem. Attamen cum datur pax, non sedent nisi postquam ultimus pacem acceperit.

V. Qui in Choro sunt, recitant eodem tempore quo Celebrans:

a) Alternatim, unus et alter, aut unus et duo ultimi si sunt in numero impari:

1. Preces ad initium Missæ, usque ad ℣. *Domine, exaudi etc.* inclusive.

2. *Kyrie eleison.*

b) Simul, bini, aut tres ultimi si sunt in numero impari :

1. Hymnum *Gloria in excelsis Deo.*

2. Symbolum *Credo in unum Deum.*

3. Trisagion *Sanctus.*

4. *Agnus Dei, qui tollis etc.*

VI. Pro signo Crucis faciendo, tum a fronte ad pectus ad diversas Missæ partes, tum pollice in fronte, ore et pectore ad Evangelium ; — pro modo tenendi manus ; — pro diversis inclinationibus faciendis ; — pro modo accipiendi et dandi pacem ; — pro modo percutiendi pectus ; — conferantur Regulæ generales, (2), I ad VI. Attente perlegantur et studiose observentur etiam quædam specialia observanda quæ ibidem notantur ad VII.

(157) § 3. Regulæ quædam speciales

I. Accessus ad Chorum.

1. Accedunt ad Ecclesiam bini et bini, lento gravique incessu, passu honesto, oculis demissis ; Ecclesiam intrantes, lente, devote, et cum fidelium ædificatione, accipiunt aquam benedictam et Cruce se signant.

2. Nisi SS. Sacramentum sit expositum ad Altare in Choro, uti in Oratione ad formam XL Horarum et in Adoratione perpetua, procedunt ad Altare ubi SS. Sacramentum servatur in Tabernaculo, et ibi in duobus lineis dispositi, genibus flexis per aliquot momenta SS. Sacramentum adorant, facta ante et post flexione dextri genu.

3. Accedentes bini et bini ad Chorum, omnes simul genu dextrum flectunt ad Crucem, assurgunt, bini invicem se salutant capitis inclinatione, et discedunt ad loca sua in stallis.

4. Genibus ibi flexis dicunt Orationem *Aperi, Domine etc.*

5. Assurgunt, et dum exspectatur initium Officii, vel usque dum accedit Celebrans, sedent.

6. Post Officium de locis suis accedunt ad medium Chori, omnes simul genu dextrum flectunt ad Crucem, assurgunt, bini invicem se salutant, se convertunt, qui sunt a parte Epistolæ per sinistram suam, qui a parte Evangelii per dexteram suam, et bini et bini egrediuntur.

Nota. Biretum capiti imponunt tantum extra Ecclesiam ; in Ecclesia eo non utuntur nisi cum incensantur ad Offertorium ; utraque manu tunc biretum tenent ante pectus. Alias deponitur biretum in stallo, loco ad hoc destinato a parte Altaris.

II. Salutationes seu reverentiæ ad clerum in Choro.

1. Celebrans ejusque Ministri in diversis functionibus salutant clerum in Choro præsentem ; eorum salutationi clerus debet respondere inclinatione capitis.

2. Quando Celebrans salutat clerum, omnes qui sunt in Choro semper si sedent assurgunt ad inclinandum caput ipsi salutanti ; ex. gr., post sessionem ad cantum Hymni *Gloria in excelsis,* et Symboli.

3. Quando Ministri sacri Diaconus aut Subdiaconus clerum salutant, omnes de clero in Choro respondent eorum salutationi capitis inclinatione, sed non debent ideo si sedent assurgere ; ex. gr., quando clerum salutat Subdiaconus post Epistolam, aut Diaconus deferens bursam ad Altare, etc.

4. Qui in Officio divino Lectionem cantat in medio Chori, accedens ad medium genu dextrum flectit ad Crucem Altaris, assurgit, et mox salutat clerum in Choro capitis inclinatione, primum versus Chori partem ubi est dignior, dein versus partem alteram. Post Lectionem, antequam e Chori medio discedat, genu dextrum flectit ad Altare, assurgit, et mox iterum salutat clerum ab utraque parte sicut ad accessum. — Salutanti Lectori respondent capitis inclinatione qui in Choro sunt.

5. Salutationes ad clerum omittuntur : 1° exposito SS. Sacramento ; 2° præsente Episcopo proprio ; 3° in Officio Feriæ VI in Parasceven, inde ab adoratione Crucis, usque ad Nonam Sabbati Sancti. — Non omittuntur in Missis de *Requiem,* neque in Officio Defunctorum.

III. Processiones.

1. In iis Processionibus, in quibus SS. Sacramentum non defertur, alumni Seminarii non utuntur bireto si intra Ecclesiam fiant ; si extra Ecclesiam, ex. gr., in Processionibus Litaniarum, in Processione in qua circumferuntur Reliquiæ S. Rumoldi, caput bireto cooperiunt extra Ecclesiam. Attendant tunc ut caput detegant quoties inclinatio capitis præscribitur.

2. In Processionibus in quibus defertur SS. Sacramentum, quando procedunt bini et bini, illi qui ad dexteram procedunt gestant intorticium dextera, qui ad sinistram sunt gestant illud sinistra.

IV. Expositio SS. Sacramenti.

1. Quando expositum est SS. Sacramentum tempore Missæ solemnis, aut aliorum Officiorum, tunc diversi situs, nempe statio, sessio, genuflexio, observantur ut consueto.

2. Si expositum est SS. Sacramentum pro Adoratione perpetua, tunc accedentes ad Chorum, et recedentes e Choro

genu utrumque flectunt cum profunda capitis inclinatione in accessu et ante recessum ; si autem tempore Officii cui intersunt contingat transire de uno latere Chori ad aliud, aut accedere de stallo ad Chori medium, aut de Chori medio recedere ad stallum, genu dextrum tantum flectere debent, sine capitis inclinatione.

3. In Laudibus vespertinis, seu Expositionibus SS. Sacramenti, omnes de Choro semper utroque genu manent genuflexi ; unica tantum fit exceptio, nempe quando cantatur Hymnus *Te Deum laudamus,* sub quo dum cantatur omnes stant ; genu utrumque flectunt tamen quando cantatur Versus : *Te ergo quæsumus.... redemisti.* Post Hymni cantum quando Celebrans cantat Versiculos et Orationem, omnes genu utrumque flectunt et manent genuflexi.

V. Præsentia Episcopi ad thronum.

1. Accedente Episcopo ad Chorum, omnes genu utrumque flectunt versus ipsum, et manent genuflexi usque dum Episcopus, post brevem Orationem in genuflexorio ante Altare factam, assurgit.

2. Quando discedit Episcopus, omnes genu flectunt dum ipse orat breviter ante Altaris medium, et genuflexi remanent usque dum e Choro Episcopus discesserit.

3. Quando Canonici de stallis descendunt pro circulis, ad recitandum Hymnum *Gloria in excelsis*, vel Symbolum, alumni in Choro non possunt sedere immediate post recitationem Hymni vel Symboli, sed debent exspectare, et stare usque dum Canonici de circulis redierint et sedeant in stallis suis.

INDEX

Pag.

CONSPECTUS LIBRI 1

REGULÆ GENERALES PRO DIVERSIS CÆREMONIIS QUÆ COMMUNES SUNT CUICUMQUE SACRÆ FUNCTIONI 1

Series I Instructionum

DE OFFICIO THURIFERARII ET ACOLYTHORUM

PRÆNOTANDA 9

Caput I Officium ad Aspersionem aquæ benedictæ . 10

II Officium in Missa solemni 12

III Officium in Missa solemni pro Defunctis, et in Absolutione 25

IV Officium in Vesperis solemnibus . . . 27

V Officium in Expositione et Benedictione SS. Sacramenti 29

VI Officium in Processionibus 32

VII Officium in Missa solemni præsente Episcopo Ordinario 35

Nota pro diversis aliis functionibus . . 39

VIII Officium Ministri in Missa privata. . . 39

IX Officium Acolythorum in Missa cantata . 49

Series II Instructionum

DE OFFICIO CÆREMONIARII

PRÆNOTANDA 51

Caput I Officium ad Aspersionem aquæ benedictæ . 52

II Officium in Missa solemni 53

III Officium in Missa solemni cum Sacerdote assistente 61

IV Officium in Missa solemni ante SS. Sacramentum expositum 62

V § 1. Officium in Missa solemni pro Defunctis 63

§ 2. Officium in Absolutione pro Defunctis . 65

VI Officium in Vesperis solemniter cantatis . 66

VII Officium in Expositione et Benedictione SS. Sacramenti 68

Caput VIII De salutationibus ad clerum in Choro congregatum 70
IX Officium in variis sacris functionibus per annum 73
§ 1. De præparandis pro Benedictione Candelarum, Processione, et Missa, in Festo Purificationis B. Mariæ V. . . . 74
§ 2. De præparandis pro Benedictione Cinerum, et Missa, Feria IV, in capite Jejunii. 75
§ 3. De præparandis pro Benedictione Palmarum, Processione, et Missa, in Dominica Palmarum 76
§ 4. De præparandis pro Matutinis Tenebrarum in Feriis IV, V et VI Majoris Hebdomadæ 77
§ 5. De præparandis pro functionibus Feria V, in Cœna Domini persolvendis . . 79
§ 6. De præparandis pro Officio Feria VI, in Parasceve 81
§ 7. De præparandis pro functionibus in Sabbato sancto persolvendis 83
Appendix. De Cereo paschali . . . 85

Series III Instructionum

DE OFFICIO SUBDIACONI

Prænotanda 87
I De præparatione ad Officia 87
II Preces a Subdiacono in Missa dicendæ. . 91
III Regulæ circa genuflexiones in SS. Missæ Sacrificio faciendas 94
Caput I Officium ad Aspersionem aquæ benedictæ . 99
II Officium in Missa solemni 101
III Officium in Missa solemni cum Presbytero assistente 117
IV Officium Subdiaconi in Missa solemni in qua non assumit velum humerale . . . 119
V Officium in Missa solemni ante SS. Sacramentum expositum 121
VI A. Officium in Missa solemni pro Defunctis . 126
B. Officium in Absolutione pro Defunctis . 129
VII Observanda a Subdiacono ad Concionem post Evangelium 132
VIII Officium in Missa solemni cum planeta plicata 133

Caput IX	Officium in Missa solemni, ad cleri populique Communionem	133
X	Officium in Expositione et Benedictione SS. Sacramenti	135
XI	Observanda a Subdiacono pro reverentiis præstandis, tum inter eundum ad Altare, tum clero in Choro	138
	§ 1. Reverentiæ præstandæ inter eundum ad Altare	138
	§ 2. Reverentiæ clero in Choro præstandæ	139
XII	Officium in Festo Purificationis B. Mariæ V.	141
XIII	Officium in Feria IV Cinerum	142
XIV	Officium in Dominica Palmarum	144
XV	Officium in Feria V, in Cœna Domini	147
XVI	Officium in Feria VI, in Parasceve	149
XVII	Officium in Sabbato sancto	154
XVIII	Officium in Vigilia Pentecostes	158
XIX	Officium in Processione SS. Corporis Christi, et in aliis Processionibus in quibus defertur SS. Sacramentum	158
XX	Officium in Processionibus Litaniarum.	160
XXI	Officium in Missa solemni, præsente Episcopo Ordinario	162
XXII	Officium in Missa Pontificali quæ celebratur ad faldistorium	170
	§ 1. Ritus servandus, si Episcopus paramenta sacra induit in sacrario	170
	§ 2. Ritus servandus, si Episcopus paramenta sacra induit ad Altare.	177
	§ 3. Ritus servandus, si Missæ celebratæ ab Episcopo ad faldistorium præsens assistit Episcopus proprius Diœcesis	179

Series IV Instructionum

DE OFFICIO DIACONI

Prænotanda		182
I	De præparatione ad Officia	182
II	Preces a Diacono in Missa dicendæ	184
III	Regulæ circa genuflexiones in SS. Missæ Sacrificio faciendas.	185
Caput I	Officium ad Aspersionem aquæ benedictæ	190
II	Officium in Missa solemni	191
III	Officium in Missa solemni cum Presbytero assistente	210

Caput IV Officium Diaconi in Missa solemni, quando Subdiaconus non assumit velum humerale. 213
V Officium in Missa solemni ante SS. Sacramentum expositum 214
VI A. Officium in Missa solemni pro Defunctis . 220
B. Officium in Absolutione pro Defunctis . 223
VII Observanda a Diacono ad Concionem post Evangelium 228
VIII Officium in Missa solemni cum planeta plicata 229
IX Officium in Missa solemni, ad cleri populique Communionem 230
X Officium in Expositione et Benedictione SS. Sacramenti. 232
XI Observanda a Diacono pro reverentiis præstandis, tum inter eundum ad Altare, tum clero in Choro 237
§ 1. Reverentiæ præstandæ inter eundum ad Altare. 237
§ 2. Reverentiæ clero in Choro præstandæ . 238
XII Officium in Festo Purificationis B. M. V. . 240
XIII Officium in Feria IV Cinerum . . . 242
XIV Officium in Dominica Palmarum . . . 244
Appendix. De cantu Passionis . . . 248
I. Ritus servandus a tribus Diaconis qui Passionem cantant 248
II. Passio cantata a Celebrante et duobus Ministris 251
III. Cantus Passionis omissus in Missa solemni 254
IV. Varia Decreta S. Rituum Congregationis super cantu Passionis. 255
XV Officium in Feria V, in Cœna Domini . . 255
XVI Officium in Feria VI, in Parasceve . . 259
XVII Officium in Sabbato sancto 266
XVIII Officium in Vigilia Pentecostes . . . 272
XIX Officium in Processione SS. Corporis Christi, et in aliis Processionibus in quibus defertur SS. Sacramentum. 273
XX Officium in Processionibus Litaniarum . . 276
XXI Officium in Missa solemni, præsente Episcopo Ordinario 277
XXII Officium in Missa Pontificali quæ celebratur ad faldistorium 286
§ 1. Ritus servandus, si Episcopus paramenta sacra induit in sacrario 286
§ 2. Ritus servandus, si Episcopus paramenta sacra induit ad Altare 292

§ 3. Ritus servandus, si Missæ celebratæ ab Episcopo ad faldistorium præsens assistit Episcopus proprius Diœcesis . . . 293

Series V Instructionum

DE OFFICIO CELEBRANTIS

Prænotanda. 296
Notanda circa functiones 296
Regulæ circa genuflexiones a Celebrante in variis functionibus faciendas 298
Caput I Officium ad Aspersionem aquæ benedictæ . 302
II Officium in Missa solemni . . . 305
III Officium in Missa solemni cum Presbytero assistente 305
Officium in Missa cantata cum Ministro assistente 305
Appendix. De Presbytero assistente . . 307
§ 1. De consuetudine admittendi Presbyterum assistentem 307
§ 2. De Officio Presbyteri assistentis in Missa solemni 308
§ 3. De Officio Presbyteri assistentis in Missa Pontificali ad faldistorium 313
IV Officium in Missa solemni ante SS. Sacramentum expositum 319
V Officium in Missa solemni pro Defunctis, et in Absolutione 320
VI Officium ad Concionem post Evangelium . 321
VII Officium in Missa solemni, ad cleri populique Communionem 322
VIII Officium in Expositione et Benedictione SS. Sacramenti 323
IX Observanda a Celebrante pro reverentiis præstandis, tum inter eundum ad Altare, tum clero in Choro 323
§ 1. Reverentiæ præstandæ inter eundum ad Altare 323
§ 2. Reverentiæ clero in Choro præstandæ . 323
X Officium in Festo Purificationis B. M. V. . 325
XI Officium in Feria IV Cinerum . . . 328
XII Officium in Dominica Palmarum . . . 330
XIII Officium in Feria V, in Cœna Domini . . 335
XIV Officium in Feria VI, in Parasceve . . 338
XV Officium in Sabbato sancto 346
XVI Officium in Vigilia Pentecostes . . . 354

Caput XVII Officium in Processione SS. Corporis Christi, et in aliis Processionibus in quibus defertur SS. Sacramentum. 356
XVIII Officium in Processionibus Litaniarum . 359
XIX Officium in Missa solemni, præsente Episcopo Ordinario 361
§ 1. In Missa solemni 361
§ 2. Ad Aspersionem aquæ benedictæ . . 362
§ 3. In Missa solemni, exposito SS. Sacramento 363
XX Officium Celebrantis et assistentium in Vesperis solemnibus 364

APPENDIX I

MEMORIALE RITUUM 365
PRÆNOTANDA 365
MONITUM 367
TITULUS I De Benedictione Candelarum, in Festo Purificationis B. Mariæ Virginis 368
Caput I De præparandis pro Benedictione, Processione et Missa 368
Caput II De sacris Ritibus in Festo Purificationis B. Mariæ Virginis absolvendis 369
§ 1. De Benedictione Candelarum . . . 369
§ 2. De distributione Candelarum . . . 370
§ 3. De Processione. 371
§ 4. De Missa post Processionem . . . 372
TITULUS II De Benedictione Cinerum in capite Jejunii . 372
Caput I De præparandis pro Benedictione, et Missa . 372
Caput II De sacris Ritibus in Feria IV Cinerum absolvendis 373
§ 1. De Benedictione Cinerum . . . 373
§ 2. De Cinerum impositione 374
§ 3. De Missa 374
TITULUS III De Dominica Palmarum 375
Caput I De præparandis pro sacris actionibus hujus Dominicæ 375
Caput II De sacris Ritibus in Dominica Palmarum persolvendis 375
§ 1. De Benedictione Palmarum . . . 375
§ 2. De Palmarum distributione . . . 376
§ 3. De Processione. 377
TITULUS IV De Feria quinta, in Cœna Domini . . . 379
Caput I De præparandis pro functionibus in hac Feria V persolvendis 379

Caput II	De sacris Ritibus Feria V, in Cœna Domini persolvendis	380
	§ 1. De Missa usque ad Processionem	380
	§ 2. De Processione SS. Sacramenti ad Sacellum	382
	§ 3. De Pyxidis asportatione	383
	§ 4. De Altarium denudatione	383
TITULUS V	De Feria sexta, in Parasceve	384
Caput I	De præparandis pro Officio hujus Feriæ	384
Caput II	De sacris Ritibus in hac Feria VI, in Parasceve persolvendis	385
	§ 1. De principio Officii usque ad denudationem Crucis	385
	§ 2. De Crucis denudatione, et adoratione	385
	§ 3. De Processione ad Sacellum, et regressu ad Altare cum SS. Sacramento	390
	§ 4. De reliquo Officio, et Ritu hujus Feriæ	391
	§ 5. De Pyxidis repositione	392
TITULUS VI	De Sabbato sancto	393
Caput I	De præparandis pro omnibus functionibus in hac die persolvendis	393
Caput II	De sacris Ritibus Sabbato sancto peragendis	394
	§ 1. De principio Officii, usque ad Benedictionem Cerei	394
	§ 2. De Benedictione Cerei	395
	§ 3. De Prophetiis	396
	§ 4. De Benedictione Fontis	396
	§ 5. De Baptismo Parvulorum	398
	§ 6. De Litaniis, et Missa cum Vesperis	399
	§ 7. De Reportatione Pyxidis	400

APPENDIX II

REGULÆ QUÆDAM PRO CANTU IN DIVERSIS FUNCTIONIBUS ECCLESIASTICIS		401
I	Tonus Lectionis	403
II	Tonus Capituli	404
III	Tonus Prophetiæ	405
IV	Toni Hymni « Gloria in excelsis Deo »	406
V	Toni Orationum	407
VI	Tonus Epistolæ	414
VII	Tonus Evangelii	415
VIII	Tonus Symboli « Credo in unum Deum »	417
IX	Cantus Præfationis	417
X	Cantus « Pater noster »	425

XI Toni « Ite missa est » vel « Benedicamus Domino » in fine Missæ 427
XII Tonus Versiculi « Procedamus in pace » . 432

APPENDIX III

REGULÆ QUÆDAM PRO CHORO 433
§ 1. Regulæ tempore Officii divini, seu Horarum canonicarum 433
§ 2. Regulæ tempore Missæ solemnis . . 437
§ 3. Regulæ quædam speciales . . . 440

INDEX ALPHABETICUS

Numerus quæstionem designat

Abacus. Vide *Credentia*.

Absolutio pro Defunctis. Officium Celebrantis, 115 (Tractatus de administratione Sacramentorum) ; officium Diaconi, 84 ; — Subdiaconi, 51 ; — Cæremoniarii, 24 ; — Thuriferarii et Acolythorum, 7.

Absolutio super feretrum, quando cadaver est præsens physice vel moraliter. Notanda pro dispositione feretri prout cadaver est sacerdotis vel laici, 24, 3 ; 84, I, 3, 4 ; 51, I, 2 ; dispositio Diaconi, 84, I, 3, 4 ; — Subdiaconi, 51, I, 2 ; — Thuriferarii et Acolythorum, 7, I ; Diaconus post thurificationem potest librum ante Celebrantem tenere, 84, I, 7, nota ; Sepultura : officium Subdiaconi, 51, I ; officium Diaconi, 84, I ; preces dicendæ post sepulturam ad regressum versus sacristiam, 51, I, 5, nota ; 84, I, 12, nota.

Absolutio super tumulum. Notanda pro dispositione tumuli, pro qua non fit distinctio sacerdotem inter et laicum, 24, 3 ; 51, II, 1 ; 84, II, 1 ; officium Diaconi, 84, II ; Diaconus ante Celebrantem tenet librum pro Oratione, 84, II, 4 ; officium Subdiaconi, 51, II ; officium Thuriferarii et Acolythorum, 7, II ; preces dicendæ ad regressum versus sacristiam, 84, II, 7 ; 51, II, 3.

Absolutio super pannum nigrum extensum ante Altare. Officium Diaconi, 84, III ; — Subdiaconi, 51, III ; — Thuriferarii et Acolythorum, 7, III ; preces dicendæ ad regressum versus sacristiam. 84, III, 8 ; 51, III, 6.

Accessus ad Chorum. Observanda a clero in Choro, 157 ; observanda a Celebrante, Diacono, Subdiacono, et Ministris pro salutationibus ad clerum, vide *Reverentiæ*.

Acolythi. Officium in sacris functionibus, 3-17 ; quo ordine accenduntur cerei Altaris, 3, 1 ; quomodo præparatur abacus, seu credentia, 3, 2 ; officium ad aspersionem aquæ benedictæ diebus Dominicis, 4 ; quomodo candelabra gestant, 4, 2 ; salutationes ad clerum in Choro ad ingressum Chori, 4, 3 ; officium in Missa solemni, 5 ; sine Acolythis non potest celebrari Missa solemnis, 5, nota I ; genuflexiones quascumque faciunt in plano, 5, 3, nota I ; quales genuflexiones faciunt exposito SS. Sacramento, 5, 3, nota II ; salutationes ad clerum in Choro ad Evangelium, 5, 19 ; observanda pro manuum lotione ad Offertorium, exposito SS. Sacramento, 5, 26 ; officium si tenent funalia ad Elevationem SS. Sacramenti in Missa, 5, 30, 33 ; percutiunt pectus ad *Agnus Dei*, sed non ad *Domine, non sum dignus*, 5, 35 ; salutationes ad clerum in Choro cum discedunt ad sacristiam, 5, 42 ; observanda in Missis de *Re-*

quiem, 6; observanda in Absolutione pro Defunctis, 7, vide *Absolutio*; officium in Vesperis solemnibus, 8; officium in Expositione et Benedictione SS. Sacramenti, 9, 10; officium in Processionibus, 11, vide *Processio*; observanda in Missa solemni præsente Episcopo ordinario, 12; observanda coram SS. Sacramento exposito, 13; officium in diversis aliis functionibus, 14; Acolythus in Missa privata, 15, vide *Minister*; officium Acolythorum in Missa cantata, 17.

Actiones. Actiones diversas in Missa peragere quomodo debet Diaconus, 72; quomodo Subdiaconus, 39; conformitas in actionibus cum Celebrante et Ministro debet observari a Subdiacono, 44; — a Diacono, 77; observanda a Celebrante in hunc finem, 105, 10.

Adjutorium nostrum etc. Signum Crucis ad hæc verba, 2, I, 1; quando fit signum Crucis in Choro ad hunc Versum, 155, VI; non fit in fine Primæ post Lectionem brevem, 155, VI.

Adjuva nos, etc. Versus in Tractu Missarum ferialium in Quadragesima. Observanda a Celebrante quando legit hunc versum, et quando cantatur, 122, 12; observanda a Diacono, 92, 8; a Subdiacono, 59, 8; observanda a Choro ad cantum hujus Versus, 156, I, nota II; 122, 12, nota.

Adoratio Crucis in Parasceve. Vide *Crucis adoratio*.

Agnus Dei, qui tollis etc. In Missis percutitur pectus ad verba *miserere nobis*, et *dona nobis pacem*, 2, VI; observanda a Diacono, 77; 79, 36; observanda a Subdiacono, 44; 46, 40; observanda ab Acolythis et Thuriferario, 5, 35.

Alba. Presbyter assistens in Missa solemni non potest albam induere, 112, I.

Alleluja. Sabbato sancto, præsente Episcopo Ordinario in Missa, Subdiaconus post Epistolam annuntiat « Alleluja », 63, 18, nota.

Altare. Quid intelligitur per Altare, quid per Altaris medium, ubi quæstio est de genuflexionibus in Altari faciendis, 106, III, 2; 75, III; 42, III; reverentiæ præstandæ inter eundum ad Altare, a Celebrante, 119; a Diacono, 89; a Subdiacono, 56; quomodo aspergitur Altare, 107, 4; exposito SS. Sacramento fit quidem aspersio, sed omittitur sola Altaris aspersio, 107; Altarium denudatio in Cœna Domini, vide *Cœna Domini*.

Amen. Quo tono cantatur hæc vox post Orationes, 147, I.

Ampullæ. De osculo ampullæ per ministrum in Missa privata ad Offertorium, 16, 9, nota II; non debet minister ampullas osculari ad Communionem, 16, 16, nota II; Acolythus in Missa solemni non debet osculari ampullas, 5, 23.

Annuntiatio B. Mariæ V. De genuflexione præscripta in hoc Festo ad cantum ℣. *Et incarnatus est.* Observanda a Diacono, 79, 21, nota; a Subdiacono, 46, 21, nota; ab iis qui sunt in Choro, 156, I, nota I.

Antiphonæ B. Mariæ V. in fine Officii. Quando dicuntur flexis genibus, 155, I; quando dicuntur stando, 155, II.

Antiphonæ Psalmorum. Ad intonationem per Canonicum in Vesperis, Matutino et Laudibus, omnes in Choro stant, 155, II.

Aperi, Domine, etc. Hæc Oratio ante Officium in Choro dicitur flexis genibus, 155, I.

Aqua benedicta. Non sumitur, nec fit signum Crucis ad egressum e sacristia, quando proceditur ad aspersionem aquæ benedictæ, 107, 2; 78, 1; 45, 1; aquæ benedictæ aspersio, vide *Aspersio aquæ benedictæ.*

Arundo cum tricereo. Qualis esse debet, 36, 7.

Aspersio aquæ benedictæ. Officium Celebrantis, 107; officium Diaconi, 78; officium Subdiaconi, 45; officium Cæremoniarii, 19; officium Acolythorum, 4; idem qui subsequentem Missam celebrat debet facere aspersionem, 107; ante Missam Pontificalem, vel functiones Pontificales non fit aspersio, 107; exposito SS. Sacramento fit quidem aspersio, sed non aspergitur Altare, 107; quando fit aspersio, non sumitur aqua benedicta, nec fit signum Crucis ad egressum e sacristia, 107, 2; 78, 1; 45, 1; quomodo aspergitur Altare, 107, 4; Celebrans debet aspergere, et non offerre aquam benedictam manu ex aspersorio capiendam ab eo qui aspergi debet, 107, 4, nota; 78, 3, nota; 45, 3, nota; modus aspergendi describitur, 107, 10; fieri potest aspersio populi procedendo per ecclesiam a parte Epistolæ et a parte Evangelii, 107, 10; ritus servandus quando Episcopus in throno præsens est, a Celebrante, 131; a Diacono, 101, 5; a Subdiacono, 67, 5.

Assistens in Missa. Presbyter assistens in Missa Pontificali ad faldistorium, 113; Presbyter assistens in Missa solemni, 112, vide *Presbyter assistens*; Minister assistens in Missa cantata, 110, vide *Minister assistens.*

Ave, maris stella. Genua flectuntur quando cantatur hæc strophe in Officio divino, 151, I.

Benedicamus Domino. Toni diversi describuntur, 153, 7 ad 11.

Benedictio Candelarum. Vide *Purificatio B. Mariæ V.*

Benedictio Cinerum. Vide *Cineres.*

Benedictio Fontis baptismalis. Vide *Fons baptismalis.*

Benedictio in fine Missæ. Observanda a Diacono, 47; a Subdiacono, 47; locus Presbyteri assistentis est, non ante Celebrantem, sed in cornu Evangelii, 112, 24 ad 27; 113, 19.

Benedictio Palmarum. Vide *Palmæ.*

Benedictio SS. Sacramenti. Officium Celebrantis, 118 (Tractatus de administratione Sacramentorum); Celebrans pro Benedictione post Missam solemnem non potest retinere casulam, sed debet assumere pluviale, 82, 49, nota II; 49, 49, nota II; officium Diaconi, 88, II; in quibus casibus Diaco-

nus tradit Ostensorium Celebranti, in quibus non, 88, II, 11, nota ; observanda a Diacono pro Benedictione data quando Episcopus Ordinarius præsens est, 101, 26; officium Subdiaconi, 55, II; observanda a Subdiacono pro Benedictione data quando Episcopus Ordinarius præsens est, 67, 26; officium Cæremoniarii, 26 ; 27 ; officium Thuriferarii et Acolythorum, 9; 10 ; ordo descriptus cæremoniarum est qui præscriptus fuit pro Diœcesi Mechliniensi per Instructionem 6 Decembris 1872, 88, II, 12, nota; 55, II, 12, nota.

Biretum. Bireti usus in Choro, 157, I, nota.

Breviarium. Vide *Horæ canonicæ*.

Bursa. An Cæremoniarius debet comitari Diaconum bursam ad Altare deferentem, 20, 11, nota.

Cadaver. Notanda pro dispositione feretri cadaveris physice vel moraliter præsentis, prout cadaver est sacerdotis, vel laici, 24, 2 ; 84, I, 3, 4 ; 51, I, 2 ; in absolutione ad tumulum non observatur hæc distinctio, 24, 3 ; 84, II, 1 ; 51, II, 1.

Cæremoniæ. Cæremonias a Missali pro Missa solemni præscriptas omittere in diebus minus solemnibus non approbatur, 105, 9.

Cæremoniarius. Adnotationes quædam generales de ejus officio, 18 ; officium ad aspersionem aquæ benedictæ, 19 ; officium in Missa solemni, 20 ; an ducere debet Diaconum deferentem ad Altare librum Evangeliorum, 20, 8, nota ; item deferentem bursam ad Altare, 20, 11, nota ; quando dicuntur preces pro Rege, 20, 25, nota ; officium in Missa solemni cum Presbytero assistente, 21 ; officium in Missa solemni ante SS. Sacramentum expositum, 22 ; officium in Missa de *Requiem*, 23 ; officium in absolutione defunctorum, 24 ; officium in Vesperis solemniter cantatis, 25 ; officium in Expositione et Benedictione SS. Sacramenti, 26 ; 27 ; reverentiæ præstandæ ad clerum in Choro congregatum ; regulæ generaliter propositæ, 28 ; officium in variis sacris functionibus per annum, 29 ; præparanda a Cæremoniario pro Benedictione Candelarum, 30; præparanda pro Benedictione Cinerum, 31 ; præparanda pro Benedictione Palmarum, 32 ; præparanda pro Matutino Tenebrarum, 33 ; ordo extinguendi in Matutino Tenebrarum cereos per Cæremoniarium vel ejus jussu, 33, nota I ; præparanda pro Officio Feriæ V in Cœna Domini, 34 ; notanda de sepulchro, 34, nota ; præparanda pro Officio Feriæ VI in Parasceve, 35, vide insuper *Parasceve* ; præparanda pro Officio Sabbati sancti, 36, vide insuper *Sabbatum sanctum* ; notanda de cereo paschali, 37 ; quibus diebus accendi debet cereus paschalis, 37.

Campanula. De campanulæ pulsatione in Missa privata ante Consecrationem, 16, 11, nota ; ante *Pater noster*, 16, 13, nota; ad *Domine, non sum dignus*, 16, 15.

Candela. Candelarum Benedictio, vide *Purificatio B. Mariæ*

V. ; quando Candelam a Celebrante accipiunt Diaconus et Subdiaconus, osculantur prius Candelam, dein manum, quia Candela est benedicta, 58, 5, nota ; 91, 5 ; item alii omnes, 121, 7, nota.

Candelabrum. Quomodo candelabrum gestant Acolythi, 4, 2.

Cantus. Observanda pro cantu in Choro, ut sit ad ædificationem, 2, VII, 10 ; cantus in diversis functionibus ecclesiasticis, 142 ; animadversiones quædam circa modum cantandi, 142 ; tonus Lectionis, 143 ; tonus Capituli, 144 ; tonus Prophetiæ, 145 ; tonus Hymni *Gloria in excelsis Deo*, 146, vide *Gloria in excelsis Deo* ; toni diversi Orationum, 147, vide *Oratio* ; tonus Epistolæ, 148 ; tonus Evangelii, 149 ; tonus Symboli *Credo in unum Deum*, 150 ; cantus Præfationum, 151, vide *Præfatio* ; cantus Orationis Dominicæ, 152, vide *Pater noster*; toni *Ite missa est*, *Benedicamus Domino*, et *Requiescant in pace*, 153, vide *Ite missa est*, et *Benedicamus Domino* ; tonus versiculi *Procedamus in pace*, 154 ; an cantus admittitur pro diversis functionibus in Memoriale Rituum descriptis, 134, V ; cantus Passionis editus fuit cum notis a principio ad finem descriptus, 94, I, 6, vide *Passio* ; cantus Invitationum et Orationum in Officio Feriæ VI in Parasceve describitur cum notis in Missalibus inde ab anno 1884 editis, et reperitur in Missali post Appendices Missarum, 125, 9.

Capitis inclinationes. Vide *Inclinatio.*

Capitulum. Tonus Capituli in Officio divino describitur, 144.

Cappella in qua reponitur SS. Sacramentum in Cœna Domini. Notanda pro ejus ornatu, 34, 6.

Casula. Vide *Planeta.*

Celebrans. Officium Celebrantis in sacris functionibus, 105 ad 133 ; prænotanda circa varias functiones Celebrantis, 105 ; Missa lecta cum Diacono et Subdiacono prohibetur, 105, 3 ; Missa solemnis cum solo Diacono sine Subdiacono prohibetur, 105, 4 ; laicos pro Diacono et Subdiacono adstantes admittere prohibetur, 105, 5 ; 71, 3 ; 38, 4 ; præter Diaconum et Subdiaconum in Missa admittere Presbyteros pluvialibus indutos pro intonatione prohibetur, 105, 6 ; Missam celebrare cum Diacono et Subdiacono sed absque aliis ministris prohibetur, 105, 7 ; Missam solemnem celebrare nulla adhibita thurificatione prohibetur, 105, 8 ; in Missa solemni ritus et cæremonias a Missali præscriptas omittere in diebus minus solemnibus non approbatur, 105, 9 ; observanda a Celebrante pro conformitate in actionibus cum Diacono et Subdiacono, 105, 10 ; regulæ circa genuflexiones a Celebrante faciendas, 106 ; genuflexiones a Rubricis præscriptæ, 106, I ; an genuflectere debet Celebrans in Altari pro Cruce sicut Ministri, 106, II ; genuflexiones Celebranti præscriptæ si in Altari habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, 106, III ; quæ genuflexiones fiunt in plano, quæ in infimo gradu, 106,

III, 1, nota ; genuflexiones faciendæ ratione Reliquiarum S. Crucis et Dominicæ Passionis, 106, IV ; genuflexiones faciendæ ratione SS. Sacramenti expositi, 106, V ; quando Celebrans indutus est pluviali, Ministri sacri incedunt ad latera Celebrantis tenentes pluviale, et non possunt procedere unus post alium ante Celebrantem, 78, I, nota ; 45, 1, nota.

Officium ad aspersionem aquæ benedictæ, 107 ; idem qui subsequentem Missam celebrat debet peragere aspersionem, 107 ; omittitur aspersio ante Missam et functiones Pontificales, 107 ; exposito SS. Sacramento fit aspersio, omissa tamen aspersione Altaris, 107 ; ad sacristiæ januam in egressu non accipitur aqua benedicta, nec fit signum Crucis, 107, 2 ; quomodo aspergitur Altare, 107, 4 ; Celebrans debet aspergere, et non offerre aquam benedictam ab aspergendo manu ex aspersorio capiendam, 107, 4, nota ; modus aspergendi, 107, 10 ; aspersio populi per ecclesiam, procedendo a parte Epistolæ et a parte Evangelii fieri potest, 107, 10.

Officium in Missa solemni, 108 (Tractatus de celebratione Missæ).

Officium in Missa solemni cum Presbytero assistente, 109, vide *Presbyter* assistens ; officium in Missa cantata cum Ministro assistente, 110.

Officium in Missa solemni ante SS. Sacramentum expositum, 114 (Tractatus de celebratione Missæ), vide *SS. Sacramentum expositum.*

Officium in Missa solemni de *Requiem*, 115 (Tractatus de celebratione Missæ) ; in Absolutione pro Defunctis, 115 (Tractatus de administratione Sacramentorum).

Officium ad Concionem post Evangelium, si ipse Celebrans Concionem habet, 116, 1, 2 ; si ipse Concionem non habet, 116, 3, 4, 5.

Officium in Missa solemni ad cleri populique Communionem, 117.

Officium in Expositione et Benedictione SS. Sacramenti, 118 (Tractatus de administratione Sacramentorum) ; in quibus casibus Diaconus tradit Ostensorium Celebranti, in quibus non, 88, II, 11, nota ; Celebrans pro Benedictione SS. Sacramenti post Missam assumere debet pluviale, 49, 49, nota II ; 82, 49, nota II ; 114, 3, nota II.

Reverentiæ a Celebrante præstandæ inter eundum ad Altare, 119 (Tractatus de celebratione Missæ), vide *Reverentiæ* ; reverentiæ præstandæ clero in Choro, 120 ; 28.

Officium in Festo Purificationis B. Mariæ V., 121, vide *Purificatio B. Mariæ V.*

Officium in Feria IV Cinerum, 122, vide *Cineres.*

Officium in Dominica Palmarum, 123, vide *Palmæ* ; observanda ad cantum Passionis, 123, vide *Passio.*

Officium in Feria V in Cœna Domini, 124, vide *Cœna Domini.*

Officium in Feria VI in Parasceve, 125, vide *Parasceve.*

Officium in Sabbato sancto, 126, vide *Sabbatum sanctum.*

Officium in Vigilia Pentecostes 127, vide *Vigilia Pentecostes.*

Officium in Processione SS. Corporis Christi, et aliis Processionibus in quibus defertur SS. Sacramentum, 128, vide *Processio.*

Officium in Processionibus Litaniarum, 129.

Officium in Vesperis solemnibus, 133 (Tractatus de Officio divino).

Officium Celebrantis in Missa solemni præsente Episcopo Ordinario, 130 (Tractatus de celebratione Missæ) ; quoties et quando incensatur Celebrans in Missa celebrata Episcopo Ordinario præsente, 12, 4, 9 ; notanda pro precibus dicendis post Missam, 130 ; notanda pro aspersione aquæ benedictæ præsente Episcopo Ordinario, 131 ; notanda pro Missa celebrata exposito SS. Sacramento, 132.

Cerei. Quo ordine accenduntur et extinguuntur cerei Altaris, 3, 1.

Cereus Paschalis. Qualiter in eo disponuntur quinque foramina, 36, 3 ; ejus benedictio : officium Diaconi 97, 7-13 ; observanda a Celebrante, 126, 9-11 ; de ejus præparatione pro Officio Vigiliæ Pentecostes, 37, 4 ; in quibus Officiis tempore Paschali accendi potest et debet, 37.

Ceroferarii. Eorum officium in Missa solemni, 5, 30, 33 ; officium in Expositione et Benedictione SS. Sacramenti, 9 ; 10 ; officium in Processionibus SS. Sacramenti, 11, 12-14; officium in Processionibus in quibus deferuntur S. Reliquiæ, 11, 15 ; observanda in Missa solemni coram SS. Sacramento exposito, si præsens est Episcopus Ordinarius, 13.

Chorus. Regulæ quædam observandæ ab eis qui sunt in Choro, 155-157.

Chorus tempore Officii divini, seu Horarum canonicarum, 155 ; quando genuflectitur, 155, I ; quando stant omnes, 155, II ; quando sedent omnes, 155, III ; observanda circa inclinationes faciendas, 155, IV, V ; observanda circa signa Crucis, 155, VI.

Chorus tempore Missæ solemnis, 156 ; quando genuflectitur, 156, I, II ; quando stant omnes, 156, III ; quando sedent omnes, 156, IV ; quænam Missæ preces recitantur in Choro, 156, V.

Chori thurificatio, quo ordine et modo peragitur a Diacono in Missa solemni ad Offertorium, 79, 30, nota ; observanda a Thuriferario pro incensatione Chori, 5, 25 ; observanda a Thuriferario pro incensatione Chori in Vesperis solemnibus, 8, 7, 8.

Accessus ad Chorum, 157, 1 ; salutationes ad clerum in Choro, 157, II, vide *Reverentiæ* ; observanda a clero Chori

in Processionibus, 157, III ; observanda quando expositum est SS. Sacramentum, 157, IV ; observanda quando ad thronum præsens est Episcopus, 157, V.

Ciborium. Vide *Pyxis*.

Cineres. Benedictio et Distributio in Feria IV Cinerum. Quales debent esse Cineres, 31, 1 ; præparanda pro Officio et Missa Feria IV Cinerum, 31 ; officium Celebrantis, 122 ; modus imponendi Cineres, 122, 8 ; advertenda in Missa, 122, 12 ; de genuflexione ad ℣. *Adjuva nos etc.*, in Tractu, 122, 12 ; Oratio « super populum », 122, 13 ; idem Sacerdos qui benedicit solemniter Cineres debet celebrare subsequentem Missam, 122, 14 ; officium Diaconi, 92 ; advertenda in Missa ad ℣. *Adjuva nos etc.*, in Tractu, 92, 8 ; observanda pro cantu ℣. *Humiliate capita vestra Deo*, ante Orationem « super populum », 92, 9 ; officium Subdiaconi, 59 ; advertenda in Missa ad ℣. *Adjuva nos etc.*, in Tractu, 59, 8 ; advertenda a Cantoribus pro cantu ℣. *Adjuva nos etc.*, 122, 12, nota ; Benedictio Cinerum in minoribus ecclesiis, juxta Memoriale Rituum, 139.

Clericus. An Clericus possit fungi munere Subdiaconi, 38, 2 ; Clerici requisiti pro functionibus descriptis in Memoriale Rituum pro minoribus ecclesiis, quinam intelliguntur, 134, 3.

Clerus. Clerus in Choro, vide *Chorus* ; salutationes ad clerum in Choro, vide *Reverentiæ*.

Cœna Domini. Præparanda pro functionibus Feriæ V in Cœna Domini, 34 ; notanda pro ornatu cappellæ seu sacelli parati pro repositione SS. Sacramenti, 34, 6 ; officium Celebrantis, 124 ; denudatio Altarium, 124, 12 ; asservatio SS. Sacramenti in Tabernaculo inclusi in sacello repositionis, 124, 14 ; quomodo defertur, 124, 14 ; officium Diaconi, 95 ; observanda a Diacono, si Sacræ Hostiæ ad Communionem distribuendæ consecrantur in Missa hujus diei, 95, 1, nota ; officium ad denudationem Altarium, 95, 11 ; officium Subdiaconi, 61 ; in Processione Crux non portatur a Subdiacono Missæ, 61, 7, nota ; officium ad denudationem Altarium, 61, 11 ; ritus Officii in minoribus ecclesiis juxta Memoriale Rituum, 139.

S. Communio. Communio in Missa solemni. Officium Celebrantis, 117 ; officium Diaconi, 87 ; officium Subdiaconi, 54 ; Diaconus et Subdiaconus semper communicant primi, ratione ministerii sui, 117, 2 ; 87, 4, nota I ; 54, 4, nota ; si Sacerdos distribuit S. Communionem, Diaconus non potest tenere Pyxidem, neque Subdiaconus Patenam, quemadmodum fit Episcopo celebrante, 117, 2, nota ; 87, 4, nota II ; 54, 6, nota ; in Communione generali, si mos existit, potest Diaconus sub mento communicantium tenere Patenam, 117, 2, nota ; 84, 7, nota II ; observanda a Diacono si Hostiæ distribuendæ ad Communionem consecrantur in Missa, 95, 1, nota.

Communio in Missa privata. Communio generalis in Communitate est sufficiens ratio ut in Missa privata cui interest

Communitas duo ministri inservientes tolerari possint, 16, nota III ; minister Missæ privatæ, si communicat, primus communicat, ratione ministerii sui, 16, 17, nota ; ad Altare communicans quid debet mento supponere, 16, 17, nota.

Concio post evangelium. Observanda a Celebrante, 116 ; a Diacono, 85 ; a Subdiacono, 52.

Conformitas. Conformitas in actionibus peragendis servari debet ; animadvertenda a Celebrante, 105, 10 ; a Diacono, 77 ; a Subdiacono, 44 ; conformitas in Choro servanda in actionibus a pluribus simul peragendis, 2, VII, 7.

Conspectus Tractatus, 1.

Consuetudo admittendi in Missa solemni Presbyterum assistentem. Vide *Presbyter assistens.*

Converte nos, Deus, salutaris noster. Quomodo fit Crucis signum ad hunc Versum in Completorio, 2, 1.

Corporis inclinationes. Vide *Inclinatio.*

Credentia, seu abacus. Quomodo præparatur pro sacris functionibus, et præsertim pro Missa solemni, 3, 2.

Credo in unum Deum. Vide *Symbolum.*

S. Crucis Reliquiæ. Vide *Reliquiæ.*

Crucis signum. Vide *Signum Crucis.*

Crux Altaris. Genuflexiones faciendæ pro Cruce Altaris a Diacono, 75, II ; a Subdiacono, 42, II ; pro Cruce Altaris non genuflectit Celebrans sicut Ministri, 106, II ; exposito SS. Sacramento, ad illud fiunt omnes reverentiæ quæ alias ad Crucem Altaris diriguntur, 49, II ; 82, II.

Crux Altaris in Parasceve. Crux detegenda sit lignea potius quam metallica, 35, 1, nota I ; velum Crucis debet esse coloris violacei, 35, 1, nota II ; præparanda in loco ubi ponitur Crux pro adoratione, 35, 3, nota ; genuflexiones præscriptæ pro Choro ad Crucis adorationem, 156, 1, nota II ; in fine functionis hujus diei, post oblata incensatur Crux Altaris, non autem SS. Sacramentum, 125, 27.

Decreta S. Rituum Congregationis. Decretum super genuflexionibus a Diacono et Subdiacono peragendis in Altari, 75, II ; 42, II ; Decreta quædam super cantu Passionis, vide *Passio* ; Decreta quædam super admissione Presbyteri assistentis in Missa solemni, vide *Presbyter assistens.*

Defectus. Defectus in pronuntiatione verborum ad cantum Orationum, 142, 3 ; defectus in modulatione, 147, I, nota ; defectus in cantu Præfationis, 151, nota I.

Defunctorum Absolutio. Vide *Absolutio pro Defunctis.*

Defunctorum Officium. Vide *Officium Defunctorum.*

Denudatio Altarium in Cœna Domini. Vide *Cœna Domini.*

Descensio. Quid observandum quando descendendum est de Altari, etiam uno gradu tantum, 2, VII, 6.

Diaconi tres qui cantant Passionem. Vide *Passio.*

Diaconus. Officium Diaconi in sacris functionibus, 71 ad 104; notanda circa ejus ministerium, 71; Missa lecta cum Diacono et Subdiacono prohibetur, 71, 1; Missa solemnis cum solo Diacono sine Subdiacono prohibetur, 71, 2; Missam celebrare cum Diacono et Subdiacono, sed sine aliis ministris non licet, 71, 4; quas dispositiones debet habere Diaconus in suo ministerio, 72; qualiter actiones suas peragere debet Diaconus, 72; assistens in Missa Horas canonicas dicere non potest, 72, 6; quomodo assumit sacras vestes, 73; preces a Diacono in Missa dicendæ, 74; regulæ circa genuflexiones in Missa faciendas ratione motus e loco in locum, 75; 76; genuflexiones a Rubricis præscriptæ, 75, I; genuflexiones a Decretis præscriptæ, 75, II; genuflexiones faciendæ pro Cruce Altaris, 75, III; genuflexiones faciendæ si in Altari habetur Tabernaculum SS. Sacramenti, 76, I; genuflexiones faciendæ ratione Reliquiarum S. Crucis et Dominicæ Passionis, 76, II; genuflexiones faciendæ ratione SS. Sacramenti expositi, 76, III; prima genuflexio in accessu, et ultima ante discessum fiunt in plano, reliquæ fiunt in infimo gradu, 75, III, nota; conformitas a Diacono servanda in actionibus cum Celebrante et Subdiacono peractis, 77; in quibus casibus debet, et in quibus non debet se inclinare, se signare, pectus percutere cum Celebrante, 77.

Officium ad Aspersionem aquæ benedictæ, 78; quando fit Aspersio, tunc ad egressum e sacristia non sumitur aqua benedicta, nec fit Crucis signum, 78, 1; quando Celebrans indutus est pluviali, Diaconus et Subdiaconus incedunt ad latera Celebrantis, tenentes pluviale, et non possunt incedere unus post alium ante Celebrantem, 78, 1, nota: Ministri sacri debent a Celebrante aspergi, et non accipere manu aquam benedictam ex aspersorio, 78, 3, nota.

Officium in Missa solemni, 79: observanda ad incensationem Altaris, si in eo expositæ sunt Reliquiæ Sanctorum, 79, 3, nota III; quomodo actus thurificationis peragitur, 79, 3, nota V; observanda in quibusdam diebus quando post *Kyrie eleison* dicuntur Orationes a Celebrante et Prophetiæ a Lectore; Diaconus tunc cantat *Flectamus genua*, 79, 5, nota I; inclinationes faciendæ ad Orationes, 79, 10; observanda si sessio fit dum cantatur Sequentia, 79, 12, nota II; an Cæremoniarius debet deducere Diaconum ad Altare, cum defert librum Evangeliorum ad Altare, 20, 8, nota; Diaconus librum Evangeliorum deponit in medio Altaris, 79, 13, nota; observanda si ad cantum Evangelii Evangeliarium disponitur in legili, 79, 16, nota II, 18; inclinationes faciendæ ad cantum Evangelii, 79, 17, et nota; observanda, si sessio non fit ad cantum Symboli, quando cantatur ℣. *Et incarnatus est*, 79, 23, nota; an Cæremoniarius debet deducere Diaconum bursam ad Altare deferentem, 20, 12, nota; incensatio Chori quo modo et quo ordine peragitur, 79, 30, nota.

Officium in Missa cum Presbytero assistente, 80; quo ordine in casu Diaconus accipit et dat pacem, 80, 37, nota; 41, nota.

Officium in Missa solemni quando Subdiaconus non assumit velum humerale, 81.

Officium in Missa solemni ante SS. Sacramentum expositum, 82; determinatur quænam oscula a Diacono fieri debent, 82, 3, nota, vide *SS. Sacramentum expositum.*

Officium in Missa de *Requiem*, 83, vide *Requiem.*

Officium in Absolutione pro Defunctis, 84, vide *Absolutio pro Defunctis.*

Observanda a Diacono ad Concionem post Evangelium, 85.

Observanda a Diacono si utitur planeta plicata, 86.

Officium ad cleri populique Communionem in Missa solemni, 87; Diaconus et Subdiaconus semper communicant primi, ratione ministerii sui, 87, 4, nota I; si Sacerdos distribuit S. Communionem, Diaconus non potest tenere Pyxidem quemadmodum fit Episcopo celebrante, 87, 4, nota II; in Communione generali potest, si mos est, Patenam sub mento communicantium tenere, 87, 4, nota II; si Pyxis ab alio Altari est afferenda, et post Communionem ad aliud Altare est referenda, non licet Diacono id facere, 87, 8.

Officium ad Expositionem et Benedictionem SS. Sacramenti, 88, vide *Expositio* et *Benedictio SS. Sacramenti*; exposito SS. Sacramento in Laudibus vespertinis, Diaconus et Subdiaconus semper genuflexi sunt, excepto ad Hymnum *Te Deum laudamus*; genuflectunt tamen ad Versiculos et Orationes post Hymnum, 88, I, 6, nota, et 7, nota II; in quibus casibus debet Diaconus pro Orationibus librum tenere ante Celebrantem, 88, I, 7, nota I; in quibus casibus tradit Diaconus Ostensorium Celebranti, in quibus non 88, II, 11, nota.

Reverentiæ præstandæ a Diacono inter eundum ad Altare, 89; reverentiæ præstandæ clero in Choro, 90; 28, vide *Reverentiæ.*

Officium in Festo Purificationis B. Mariæ V., 91, vide *Purificatio B. Mariæ V.*

Officium in Feria IV Cinerum, 92, vide *Cineres.*

Officium in Dominica Palmarum, 93, vide *Palmæ*; observanda ad cantum Passionis, 93. 19, 20, vide *Passio*; observanda a tribus Diaconis qui cantant Passionem, 94, I, vide *Passio.*

Officium in Feria V in Cœna Domini, 95, vide *Cœna Domini.*

Officium in Feria VI in Parasceve, 96, vide *Parasceve.*

Officium in Sabbato sancto, 97, vide *Sabbatum sanctum*; idem debet esse Diaconus in diversis functionibus Officii Sabbati sancti, 97, 5, nota.

Officium in Vigilia Pentecostes, 98, vide *Vigilia Pentecostes.*

Officium in Processione SS. Corporis Christi, et aliis Processionibus in quibus defertur SS. Sacramentum, 99, vide *Processio*.

Officium in Processionibus Litaniarum, 100.

Officium Diaconi præsente Episcopo Ordinario, 101 ; ad aspersionem aquæ benedictæ, 101, 5 ; in Missa solemni, 101 ; notanda pro precibus aliquando dicendis post Missam, 101, 25 ; notanda si expositum est SS. Sacramentum, 101, 28, nota ; notanda pro discessu post Missam, 101, 28.

Officium in Missa Pontificali ad faldistorium, 102 ; 103 ; 104, vide *Missa Pontificalis ad faldistorium*.

Dies iræ. Sequentia in Missa de *Requiem*. Vide *Sequentia*.

Discessus post Missam. Notanda pro discessu Celebrantis et Ministrorum post Missam, præsente Episcopo Ordinario in throno : pro Celebrante, 130 ; pro Diacono, 101, 28 ; pro Subdiacono, 67, 28.

Dispositiones quas habere debet in suo ministerio Diaconus, 72 ; Subdiaconus, 39.

Domine, labia mea aperies. Quomodo fit Crucis signum ad hunc Versiculum, 2, I.

Domine, non sum dignus etc. De campanulæ pulsatione ad hæc verba in Missa, 16, 15 ; non debet percuti pectus ad hæc verba a Thuriferario et Acolythis, 5, 35 ; neque a Diacono, 77 ; 79, 40 ; neque a Subdiacono, 44 ; 46, 40 ; Minister qui communicat, percutit pectus ad hæc verba quando a Celebrante dicuntur ante distributionem, 16, 17, nota ; item omnes communicaturi, 2, VI.

Dominica Palmarum. Vide *Palmæ*, et *Passio*.

Dominica Passionis. Reliquiæ Dominicæ Passionis, vide *Reliquiæ*.

Dominus vobiscum. Quomodo cantari debet hic Versus, 147, 1.

Ecclesiæ in quibus functiones quædam per annum peragi possunt juxta memoriale Rituum, 134, 2.

Episcopus. Episcopus solus habere potest duos vel plures ministros in Missa privata, 15, nota II.

Episcopus Ordinarius in throno assistens Officiis. Officium Celebrantis ad aspersionem aquæ benedictæ, 131 ; — in Missa solemni, 130 (Tractatus de celebratione Missæ) ; — in Missa exposito SS. Sacramento, 132 ; officium Diaconi ad aspersionem aquæ benedictæ, 101, 5 ; — in Missa solemni, 101 ; in Missa exposito SS. Sacramento, 101, 28, nota ; officium Subdiaconi ad aspersionem aquæ benedictæ, 67, 5 ; — in Missa solemni, 67 ; in Missa exposito SS. Sacramento, 67, 28, nota ; observanda a clero in Choro, 157, V ; officium Thuriferarii et Acolythorum, 12 ; exposito SS. Sacramento, observanda a Thuriferario, Acolythis et Ceroferariis, 13 ; Episcopus si cappa indutus est, thurificatur ad Offertorium tantum, si paratus

assistit, thurificatur etiam ante Introitum et post Evangelium, 12, 4, 9; observanda si post Missam preces quædam sunt dicendæ, 101, 25; 67, 25; observanda ad Benedictionem SS. Sacramenti, si post Missam datur, 101, 26; 67, 26; animadvertenda pro discessu Celebrantis et Ministrorum post Missam, 130; 101, 28; 67, 28; si Episcopus assistit Missæ ab alio Episcopo ad faldistorium celebratæ, observanda a Diacono, 104; -- a Subdiacono, 70; observanda a tribus Diaconis qui Passionem cantant, 94, I, 4, nota, et 8, nota.

Episcopus Missam Pontificalem celebrans ad faldistorium. Vide *Missa Pontificalis ad faldistorium.*

Epistola. Tonus Epistolæ describitur, 148; cantus Epistolæ per Ministrum assistentem Celebranti in Missa cantata, 110, II, 3; legile dispositum pro cantu Epistolæ, observanda a Subdiacono in casu, 46, 11, nota.

Et incarnatus.... homo factus est. Versus in Symbolo, vide *Symbolum.*

Et Verbum caro factum est. Genuflexio in Choro ad hæc verba, 156, II.

Evangeliarium. Vide *Liber Evangeliorum.*

Evangelium. Tonus Evangelii describitur, 149; quomodo fit signum Crucis ad cantum Evangelii, 2, I.

Expositio SS. Sacramenti. Officium Celebrantis, 118 (Tractatus de administratione Sacramentorum); officium Diaconi, 88, I; officium Subdiaconi, 55, I; officium Cæremoniarii, 26, 27; officium Thuriferarii, Acolythorum, et Ceroferariorum, 9; 10; observanda a clero in Choro in Expositionibus, 157, IV; in quo casu possunt Diaconus et Subdiaconus assumere manipulum pro Expositione, 88, I, 1, nota; 55, I, 1, nota; Expositio SS. Sacramenti ad Laudes vespertinas, vide *Laudes vespertinæ*; ordo cæremoniarum descriptus ille est qui præscriptus fuit pro Diœcesi Mechliniensi per Instructionem 6 Decembris 1872, 88, II, 12, nota; 55, II, 12, nota; observanda tempore Expositionis SS. Sacramenti, vide *SS. Sacramentum expositum*, et *Laudes vespertinæ.*

Faldistorium. Vide *Missa Pontificalis ad faldistorium.*

Feretrum. Absolutio super feretrum, vide *Absolutio pro Defunctis.*

Feria IV Cinerum. Vide *Cineres.*

Feria V in Cœna Domini. Vide *Cœna Domini.*

Feria VI in Parasceve. Vide *Parasceve.*

Feriæ. In quibus Feriarum Missis genuflectitur in Choro, et ad quas Missæ partes, 156, I.

Feriales preces. Quando dicuntur, genuflectitur in Choro, 155, I.

Flectamus genua, et Levate. Observanda a Diacono quando debet *Flectamus genua* in quibusdam Missis cantari post

Kyrie eleison, 79, 5, nota I ; observanda a Subdiacono, 46, 5, nota I ; exposito SS. Sacramento, genuflexio ad *Flectamus genua* fit versus cornu Epistolæ et Missale, non versus SS. Sacramentum, 82, 6, nota ; 49, 6, nota ; quomodo cantatur *Flectamus genua* et *Levate*, 147, nota in fine.

Fons baptismalis. Benedictio in Sabbato sancto : Officium Celebrantis, 126, 13 ; officium Diaconi, 97, 16 ; officium Subdiaconi, 63, 9 ; præparanda pro Benedictione, 36, 8 ; Benedictio in Vigilia Pentecostes : Officium Celebrantis, 127 ; officium Diaconi, 98 ; officium Subdiaconi, 64.

Genuflexio. Distinguitur duplex et simplex, 2, III ; genuflexio duplex, quomodo fit, 2, III, 1 ; quandonam hæc fit coram SS. Sacramento, 2, III, 1 ; genuflexio simplex, quomodo fit, 2, III, 2 ; animadvertenda pro convenienti genuflexione in Choro, 2, VII, 3 ; conformitas requisita in genuflexione a pluribus simul facienda, 2, VII, 7 ; genuflexiones faciendæ in Choro tempore Officii divini, seu Horarum canonicarum, 155, I ; genuflexiones faciendæ in Choro tempore Missæ solemnis, 156, I, II ; genuflexiones a Thuriferario et Acolythis semper fiunt in plano, 5, 3, nota I ; quales genuflexiones fiunt a Thuriferario et Acolythis quando expositum est SS. Sacramentum, 5, 3, nota II ; genuflexiones faciendæ a ministro Missæ privatæ inter eundum ad Altare, 16, 3 ; regulæ pro genuflexionibus faciendis a ministro Missæ privatæ ad Altare, 16, 4, nota, 9, nota I, 16, nota I.

Regulæ circa genuflexiones in Missæ Sacrificio ratione motus a loco in locum faciendas a Diacono, 75 ; 76 ; — a Subdiacono, 42 ; 43 ; genuflexiones præscriptæ a Rubricis, 75, I ; 42, I ; præscriptæ a Decretis, 75, II ; 42, II ; Decretum S. Rituum Congregationis, 9 Junii 1899, quo traditur norma pro genuflexionibus peragendis in Altari, 75, II ; 42, II ; genuflexiones a Diacono et Subdiacono faciendæ pro Cruce Altaris, 75, III ; 42, III, genuflexiones faciendæ si in Altari habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento, 76, I ; 43, I ; genuflexiones ratione Reliquiarum S. Crucis, aut Dominicæ Passionis, 76, II ; 43, II ; genuflexiones ratione SS. Sacramenti expositi, 76, III ; 43, III, vide *SS. Sacramentum expositum* ; prima genuflexio in accessu ad Altare, et ultima ante discessum ab Altari fiunt in plano, reliquæ fiunt in infimo gradu, 75, III, nota ; 42, III, nota ; notanda pro genuflexionibus ad Episcopum faciendis, si præsens est ad thronum in Missa coram SS. Sacramento exposito celebrata, 101, 28, nota ; 67, 28, nota.

Genuflexiones a Celebrante faciendæ 106 ; genuflexiones a Rubricis præscriptæ, 106, I ; an genuflectere debet Celebrans pro Cruce Altaris, sicut Ministri facere tenentur, 106, II ; genuflexiones faciendæ si in Altari habetur Tabernaculum cum

SS. Sacramento incluso, 106, III; quæ genuflexiones fiunt in plano, quæ in infimo gradu Altaris, 106, III, 1, nota; genuflexiones ratione Reliquiarum S. Crucis, aut Dominicæ Passionis, 106, IV; genuflexiones ratione SS. Sacramenti expositi, 106, V, vide *SS. Sacramentum expositum.*

Gloria in excelsis Deo. Toni diversi pro cantu describuntur, 146; tonus Missarum B. Mariæ V. usurpatur etiam quoties Præfatio de Nativitate Domini dicenda est, 146, 2; alii toni præter illos qui in Missali describuntur non possunt usurpari, 146, nota; ex præcepto debent cantari diversi toni prout jacent in Missali, 142, 5.

Horæ canonicæ. Diaconus et Subdiaconus assistentes in Missa solemni non possunt Horas canonicas recitare, 72, 6; 39, 6.

Hostia deferenda in Processione post Missam. Ritus servandus a Celebrante si consecratur hæc Hostia in ipsa Missa, 128, 1; observanda a Diacono, 99, 1; observanda a Subdiacono, 65, 1.

Humiliate capita vestra Deo. Tonus pro cantu hujus invitationis, 147, nota in fine; observanda a Diacono, 79, 45, nota; 82, 45, nota; 92, 9.

Hymni. Quando in ultima stropha Hymni nominatur quocumque modo SS. Trinitas, tunc per stropham integram caput profunde inclinatur, 155, V; sub quibusdam Hymnorum strophis genuflectitur in Choro, 155, I.

Imagines Sanctorum. Deteguntur Sabbato sancto in fine Litaniarum, 36, 1.

Improperia. Quomodo leguntur a Celebrante et Diacono ac Subdiacono in Officio Parasceven, 125, 18; 96, 13; 62, 13.

Incensatio. Vide *Thurificatio.*

Inclinatio. Distinguuntur inclinationes corporis et capitis, 2, IV; distinguuntur inclinationes corporis profundæ et mediocres, quomodo fiunt, 2, IV, 1; distinguuntur inclinationes capitis profundæ, mediæ et minimæ, quomodo fiunt, 2, IV, 2; quandonam fiunt diversæ capitis inclinationes, 2, IV, 2; inclinationes faciendæ a ministro Missæ privatæ inter eundum ad Altare, 16, 3; inclinationes faciendæ ad Orationes in Missa, a Thuriferario et Acolythis, 4, 14; a Subdiacono, 46, 10; a Diacono, 79, 10; inclinationes faciendæ ad clerum in Choro, vide *Reverentiæ.*

Ite missa est. Toni diversi pro cantu describuntur, 153; quandonam usurpatur tonus descriptus pro Festis solemnibus, 153, 2; tonus Missarum B. Mariæ V. usurpatur etiam quoties Præfatio de Nativitate Domini dicenda est, 153, 4.

Junctio manuum. Vide *Manus.*

Laicus. Laici non possunt inservire Missæ solemni loco Ministrorum sacrorum, 105, 5; 71, 3; 38, 4; dispositio cadave-

ris laici in ecclesia, et modus standi apud cadaver ad Absolutionem, 84, I, 3, 4; 51, I, 2.

Laudes vespertinæ. Diaconus et Subdiaconus semper genuflexi sunt toto Laudum tempore, excepto quando cantatur Hymnus *Te Deum laudamus*, 88, I, 6, nota; 55, I, 6, nota; genuflectunt tamen post Hymnum ad Versiculos et Orationes, 88, I, 7, nota II; 55, I, 7, nota II; in quibus casibus tenent librum ante Celebrantem pro Orationibus, in quibus non, 88, I, 7, et nota I; 55, I, 7, et nota I.

Lectio. Describitur tonus Lectionis in Officio, 143.

Legile. Si legile disponitur pro cantu Epistolæ, quænam observanda sunt a Subdiacono, 46, 11, nota; si legile disponitur pro cantu Evangelii, quænam observanda sunt a Diacono, 79, 16, nota II, 18; quænam observanda sunt a Subdiacono, 46, 15, nota II, 16, nota.

Levate. Vide *Flectamus genua*.

Liber Evangeliorum. A Diacono ante Evangelii cantum deponitur in medio Altaris, 79, 13, nota; an Cæremoniarius debet comitari Diaconum deferentem Librum Evangeliorum ad Altare, 20, 8, nota; observanda a Diacono si Liber Evangeliorum ad cantum Evangelii disponitur in legili, 79, 16, nota II, 18; observanda in casu a Subdiacono, 46, 15, nota II, 16, nota.

Litaniæ. Cantores in Sabbato sancto inchoant Litanias quando Celebrans et Ministri jam procumbunt ante Altare, 126, 23, nota.

Litaniarum Processiones. Officium Celebrantis, 129; officium Diaconi, 100; officium Subdiaconi, 66; officium Thuriferarii et Acolythorum, 11.

Lotio manuum. Observanda ab Acolythis in Missa solemni, 5, 26; observanda si SS. Sacramentum in Altari est expositum, 5, 26; observanda a ministro Missæ privatæ coram SS. Sacramento exposito, 16, 10.

Magister cæremoniarium. Vide *Cæremoniarius*.

Manus. Quomodo manus tenentur junctæ ante pectus, 2, II; quomodo in Choro tempore Officiorum tenentur manus, 2, II, 1; una manu occupata, quomodo altera tenetur, 2, VII, 1; manuum lotio in Missa, vide *Lotio manuum*.

Martyrologium. Dum legitur in Choro omnes sedent, 155, III; exceptio fit ad lectionem, dum in Vigilia Nativitatis Domini annuntiatur Nativitas Domini, et dum in Festo Paschatis annuntiatur Resurrectio Salvatoris, 155, III.

Matutinum Tenebrarum. Præparanda pro Matutino Tenebrarum, 33; quo ordine extingui debent cerei in hoc Officio, 33, nota I; salutationes ad Chorum in hoc Officio, 33, nota II; quando stant, vel sedent, vel genuflectunt omnes de Choro in hoc Officio, 155, I, II, III.

Memoriale Rituum pro Ecclesiis parochialibus minoribus, editum a Benedicto XIII, 134, 1 ; in quibus Ecclesiis et Oratoriis servari potest forma Memorialis, 134, 2 ; quinam intelliguntur Clerici requisiti pro functionibus descriptis in Memoriali, 134, 3 ; an cantus admittitur pro functionibus in Memoriali descriptis, 134, 4 ; Monitum præfixum Memoriali, 135 ; Benedictio Candelarum, 136 ; Benedictio Cinerum, 137 ; Benedictio Palmarum, 138 ; Officium Feriæ V in Cœna Domini, 139 ; Officium Feriæ VI in Parasceve, 140 ; Officium in Sabbato sancto, 141.

Minister assistens Celebranti in Missa cantata, 110 ; debet esse in sacris constitutus ut possit calicem abstergere, 110, I ; ejus officium, 110, II.

Minister Missæ privatæ. Commendationes Statutorum Diœcesis super pueris qui Altari inserviunt, 15, nota I ; de ministerio mulieris in Missa privata, 15, nota II ; unus tantum minister admittitur, nisi Celebrans sit Episcopus, 15, nota III ; casus in quibus duo ministri tolerari possunt, 15, nota III ; officium ministri in Missa privata, 16 ; reverentiæ præstandæ inter eundum ad Altare, 16, 3 ; a qua parte accedendum est ad Altare, et recedendum, si sacristiæ janua est retro post Altare, 16, 3, nota, 23, nota III ; regulæ a ministro servandæ pro genuflexionibus, 16, 4, nota, 9, nota I, 16, nota II ; de osculo ampullæ ad Offertorium, 16, 9, nota II ; de campanulæ pulsatione ante Consecrationem, 16, 11, Nota ; item ante *Pater noster*, 16, 13, nota ; item ad *Domine, non sum dignus*, 16, 15 ; minister non debet osculari ampullam ad Communionem, 16, 16, nota II ; si communicat, primus communicat ratione ministerii, 16, 17, nota ; quid debet in casu mento supponere, 16, 17, nota ; non potest Missalis folia vertere, et quærere Antiphonam Communionis, 16, 18 ; preces post Missam a Leone XIII præscriptæ dici debent immediate post ultimum Evangelium, 16, 23, nota I.

Ministerium Diaconi et Subdiaconi. Notanda circa eorum ministerium, vide *Diaconus, Subdiaconus.*

Ministri inferiores. Sine Thuriferario et Acolythis non potest celebrari Missa solemnis, 5, nota I, vide *Thuriferarius, Acolythi.*

Ministri sacri in Communione generali cleri semper communicant primi ratione ministerii, 87, 4, nota I ; 54, 4, nota I.

Missa cantata. Officium Acolythorum, 17 ; officium Ministri assistentis Celebranti, 110, II, vide *Minister assistens.*

Missa Pontificalis ad faldistorium. Officium Presbyteri assistentis, 113 ; officium Diaconi et Subdiaconi, si Episcopus paramenta induit in sacrario, 102 ; 68 ; — si Episcopus paramenta induit ad Altare, 103 ; 69 ; ritus servandus a Diacono et Subdiacono si Missæ ab Episcopo ad faldistorium celebratæ assistit Episcopus proprius diœcesis, 104 ; 70 ; ante Missam

Pontificalem vel aliam functionem Pontificalem diebus Dominicis omittitur aspersio aquæ benedictæ, 107.

Missa privata. Officium ministri Missæ privatæ, 16, vide *Minister Missæ privatæ.*

Missa solemnis. Missa celebrata cum Diacono et Subdiacono sed lecta prohibetur, 38, 1; 71, 1; 105, 3; Missa solemnis cum solo Diacono sine Subdiacono prohibetur, 38, 3; 71, 2; 105, 4; an in Missa solemni Clericus possit fungi munere Subdiaconi, 38, 2; laicos pro Diacono et Subdiacono adstantes admittere prohibetur, 38, 4; 71, 3; 105, 5; præter Diaconum et Subdiaconum in Missa solemni admittere Presbyteros pluvialibus indutos pro intonatione prohibetur, 105, 6; Missam solemnem celebrare cum Diacono et Subdiacono, sed absque aliis ministris prohibetur, 38, 5; 71, 4; 105, 7; Missam solemnem celebrare nulla adhibita thurificatione prohibetur, 105, 8; in Missa solemni ritus et cæremonias a Missali præscriptas omittere in diebus minus solemnibus prohibetur, 105, 9.

Officium Thuriferarii et Acolythorum, 5, vide *Thuriferarius, Acolythi*; officium Cæremoniarii, 20, vide *Cæremoniarius*; officium Subdiaconi, 46, vide *Subdiaconus*; officium Diaconi, 79, vide *Diaconus*; officium Celebrantis, 108, vide *Celebrans*; officium Presbyteri assistentis, 112, vide *Presbyter assistens*; regulæ pro Choro, 156, vide *Chorus.*

Missa solemnis coram SS. Sacramento exposito celebrata, vide *SS. Sacramentum expositum.*

Missa solemnis de *Requiem*, vide *Requiem.*

Missa solemnis præsente Episcopo Ordinario celebrata. Officium Thuriferarii et Acolythorum, 12; officium Subdiaconi, 67; officium Diaconi, 101; officium Celebrantis, 130, vide *Episcopus Ordinarius.*

Missa solemnis Sacerdotis prima vice celebrantis. Toleratur in ea Presbyter assistens, 111, 4, vide *Presbyter assistens.*

Missale. Missalis folia vertere, et quærere Antiphonam Communionis non licet ministro Missæ privatæ, 16, 18.

Monialis. De ministerio monialis in Missa privata, 15, nota II.

Mulier. De ministerio mulieris in Missa privata, 15, nota II.

Nativitas Domini. De genuflexione præscripta in hoc Festo ad cantum ℣. *Et incarnatus est.* Observanda a Diacono, 79, 21, nota; a Subdiacono, 46, 21, nota; ab iis qui sunt in Choro, 156, I, nota I; notanda ad lectionem Martyrologii, ubi in Vigilia Nativitatis Domini annuntiatur Nativitas Domini, 155, III.

Nobis quoque peccatoribus. Diaconus non debet ad hæc verba pectus percutere, 77; 79, 32; nec debet se convertere ad Subdiaconum, 79, 32; Subdiaconus non debet ad hæc verba pectus percutere, 44; 48, 32.

Oblationis fidelium. Notanda circa oblationes fidelium ad Offertorium in Missa exsequiali ; abusus vitandi, 50, 24, nota.

O Crux ave. Dum cantatur hæc stropha Hymni *Vexilla regis*, genua flectuntur ab omnibus in Choro, 151, I.

Oculi. Quomodo tenendi sunt oculi ab iis qui functiones sacras peragunt, 2, VII, 8.

Officium Defunctorum. Quandonam in Choro dum cantatur hoc Officium, genuflectunt omnes, 155, I ; quandonam sedent, 155, III ; quandonam stant, 155, II.

Officium Divinum. Regulæ a Choro in Officio Divino servandæ, 155, vide *Chorus*.

Olea sacra adhibenda ad benedictionem fontis baptismalis in Sabbato sancto, 126, 22, nota.

Orationes. Toni diversi pro cantu Orationum, 147 ; ex quibus partibus constat Oratio, 147 ; quomodo cantatur *Dominus vobiscum*, 147 ; quomodo cantatur *Amen*, 147 ; tonus festivus Orationum, 147, I, 1 ; tonus simplex ferialis, 147, I, 2 ; tonus ferialis, 147, I, 3 ; quandonam cantantur Orationes in tono festivo, 147, II, 1 ; quandonam cantantur in tono simplici feriali, 147, II, 2 ; quandonam cantantur in tono feriali, 147, II, 3 ; defectus vitandi in pronuntiatione et modulatione, 142, 3 ; 147, I, nota in fine ; quomodo cantantur ante quasdam Orationes *Flectamus genua, Levate, Humiliate capita vestra Deo*, 147, nota in fine ; inclinationes faciendæ ad Orationes a Thuriferario et Acolythis, 4, 14 ; a Subdiacono, 46, 10 ; a Diacono, 79, 10 ; ab iis qui sunt in Choro, 155, IV, V ; ad quas Orationes a Celebrante in Laudibus vespertinis dictas librum tenent ante Celebrantem Diaconus et Subdiaconus, 88, I, 7, et nota I ; 55, I, 7, et nota I.

Oratoria. In quibus Oratoriis servari potest forma Memorialis Rituum pro functionibus in Memoriali descriptis, 134, 2.

Organum. Pulsari non potest dum Celebrans cantat Præfationem et *Pater noster*, 151, nota II.

O salutaris Hostia. Quandonam genuflectitur ad hanc stropham Hymni *Verbum supernum*, in Laudibus Officii SS. Sacramenti, 151, I.

Osculum. De osculo ampullæ per ministrum Missæ privatæ, ad Offertorium, 16, 9, nota II ; minister non debet osculari ampullam ad Communionem, 16, 16, nota II ; quænam oscula observari debent a Diacono in Missa coram SS. Sacramento exposito, 82, 3, nota ; in Missa de *Requiem*, Ministri, cum aliquid porrigunt Celebranti, non osculantur ejus manum, neque rem quæ porrigitur, 83, 25.

Ostensorium. In quibus casibus Diaconus tradit Ostensorium Celebranti, in quibus non, 88, II, 11, nota.

Palmæ. Officium in Dominica Palmarum. Præparanda pro Benedictione Palmarum, Processione et Missa, 32 ; officium

Celebrantis, 123; idem Sacerdos qui benedixit Palmas debet celebrare Missam sequentem, 123, 20; observanda pro Missa, 123, 21; observanda ad cantum Passionis, 123, 22, vide *Passio*; officium Diaconi, 93; observanda a Diacono ad cantum Passionis, 93, 19, 20, vide *Passio*; officium Subdiaconi, 60; observanda a Subdiacono ad cantum Passionis, 60, 21, vide *Passio*; Benedictio, Processio et Missa in minoribus Ecclesiis juxta Memoriale Rituum, 138.

Pannus niger. Absolutio pro Defunctis super pannum nigrum extensum ante Altaris gradus, vide *Absolutio pro Defunctis*.

Parasceve. Præparanda pro Officio Feriæ VI in Parasceve, 35; Crux detegenda sit lignea potius quam metallica, 35, 1, nota I; velum Crucis detegendæ debet esse violacei coloris, 35, 1, nota II; præparanda in loco ubi ponetur Crux pro adoratione, 35, 3, nota; officium Celebrantis, 125; aqua benedicta non sumitur ad egressum e sacristia, 125, 2; omittuntur salutationes ad clerum in Choro usque ad Nonam Sabbati sancti, 125, 2; observanda a Celebrante ad cantum Passionis, 125, 7, 8; quomodo leguntur Improperia, 125, 18; cantus Invitationum et Orationum post Passionem, describitur notatus in Missalibus editis post annum 1884, et reperitur post Appendices Missarum, 125, 9; in fine functionis post oblata incensatur Crux Altaris et non SS. Sacramentum, 125, 27; officium Diaconi, 96; notanda pro Diacono ad cantum Passionis, 96, 7, 8, 9, vide *Passio*; quomodo leguntur Improperia, 96, 13; officium Subdiaconi, 62; quomodo leguntur Improperia, 62, 13; ritus Officii hujus diei in minoribus Ecclesiis juxta Memoriale Rituum, 140.

Parochialis Missa. Quando Missa parochialis privata seu lecta est, ad eam admitti possunt duo ministri inservientes, 15, nota III.

Pascha. Notanda pro Choro ad lectionem Martyrologii in hoc Festo, quando annuntiatur Resurrectio Salvatoris, 155, III.

Passio D. N. J. C. Ritus servandus a tribus Diaconis qui Passionem cantant in Dominica Palmarum, 94, I; non possunt induere stolam latiorem, sed stolam diaconalem tantum, 94, I, 1, nota; partes diversæ a quibus cantantur, et quomodo in Missali indicantur, 94, I, 2, et nota; sententiæ turbæ possunt a schola cantari, 94, I, 2, nota; cantus Passionis editus fuit cum notis descriptus a principio ad finem, 94, I, 6; observanda a tribus Diaconis, quando Episcopus Ordinarius ad thronum assistit Missæ, 94, I, 4, nota, et 8, nota; observanda ad cantum Passionis a Celebrante, 123, 22, 23; a Diacono, 93, 19, 20; a Subdiacono, 60, 20, 21; ritus servandus si Passio cantatur a Celebrante et duobus Ministris Diacono et Subdiacono, 94, II; quid de hac praxi sentiendum, 94, II; Subdiaconus debet esse in casu in Ordine Diaconatus constitutus, 94, II; observanda in casu a Celebrante, Diacono et

Subdiacono, 94, II ; ritus servandus si cantus Passionis omittitur in Missa solemni, 94, III : varia Decreta S. Rituum Congregationis super cantu Passionis, 94, IV ; observanda a Choro, 156, I, nota.

Ritus servandus ad cantum Passionis in Parasceve, a tribus Diaconis qui Passionem cantant, 96, 7 ; observanda a Celebrante, 125, 7, 8 ; a Diacono, 96, 7, 8, 9 ; a Subdiacono, 62, 7, 8.

Patena. Quando Sacerdos distribuit S. Communionem infra Missam, Subdiaconus non potest tenere Patenam sub mento communicantium, quemadmodum fit Episcopo celebrante, 54, 6, nota ; in Communione generali, Diaconus potest, si mos existit, Patenam tenere sub mento communicantium, 87, 4, nota II.

Pater noster. Tonus festivus et tonus ferialis describuntur, 152 ; organum pulsari non potest dum cantat Celebrans *Pater noster*, 151, nota II ; defectus vitandi in cantu, 151, nota I.

Pax. Modus accipiendi et dandi pacem, 2, V ; pax non datur in Missa Feriæ V in Cœna Domini, 124, 4 ; neque in Missa Sabbati sancti, 126, 36 ; ritus servandus a Presbytero assistente ad dandam pacem, 112, 19, 20 : observanda a Subdiacono ad pacem accipiendam et dandam, si adest Presbyter assistens, 47, 37, nota I et II ; observanda in casu a Diacono, 80, 37, nota, 41, nota.

Pectus. Pectoris percussio, vide *Percussio pectoris*.

Pentecostes. Vigilia Pentecostes. De præparatione Cerei paschalis pro Officio hujus diei, 37, 4 ; officium Celebrantis, 127 ; officium Diaconi, 98 ; officium Subdiaconi, 64.

Percussio pectoris. Quomodo facienda est, 2, VI ; quandonam facienda est, 2, VI ; ad *Domine, non sum dignus* ante Communionem Celebrantis fit solum a Celebrante, et non a Diacono et Subdiacono, 2, VI, vide *Domine, non sum dignus* ; percutitur pectus ab iis qui sunt communicaturi, quando Sacerdos ea verba pronuntiat ante distributionem, 2, VI ; Diaconus et Subdiaconus non debent percutere pectus ad verba *Nobis quoque peccatoribus*, 77 ; 79, 32 ; 44 ; 48, 32.

Planeta. Celebrans, finita Missa coram SS. Sacramento celebrata, pro Benedictione SS. Sacramenti non potest retinere planetam, sed debet assumere pluviale, 49, 49, nota II.

Planeta plicata. Observanda a Diacono quando utitur planeta plicata, 86 ; observanda a Subdiacono, 53.

Pluviale. Quando Celebrans indutus est pluviali, Ministri sacri incedunt ad latera Celebrantis, tenentes fimbrias pluvialis, et non possunt procedere unus post alium ante Celebrantem, 78, 1, nota ; 45, 1, nota ; Celebrans, finita Missa coram SS. Sacramento celebrata, pro Benedictione SS. Sacramenti debet assumere pluviale, 49, 49, nota II ; præter Diaconum et

Subdiaconum in Missa solemni admittere Presbyteros pluvialibus indutos pro intonatione, prohibetur, 105, 6.

Populus. Aspersio populi procedendo per ecclesiam, a parte Epistolæ et a parte Evangelii, fieri potest, 107, 10; Oratio « super populum », in Missis ferialibus Quadragesimæ, post dictas Postcommuniones: observanda a Celebrante, 122, 13; observanda a Diacono, 92, 9, vide *Humiliate capita vestra Deo.*

Præconium Paschale. Ritus servandus a Diacono, 97, 7-13; observanda a Celebrante, 126, 9, 10; a Subdiacono, 63, 4; Diaconus qui cantat Præconium idem esse debet qui aliis functionibus hujus diei assistit, 97, 5, nota.

Præfatio. Defectus vitandi in cantu Præfationis, 151, nota I; organum pulsari non potest dum Celebrans cantat Præfationem, 151, nota II; Præfationes in tono solemni, 151, A; describuntur Præfationes solemnes de Nativitate Domini, de SS. Trinitate, de B. Maria V., 151, A; Præfationes in tono feriali, 151, B; describuntur Præfatio ferialis de Nativitate Domini et Præfatio ferialis communis, 151, B; notanda circa Præfationem ferialem de Nativitate Domini, ubi reperitur in Missali, 151, B.

Prælati. Unum tantum possunt habere Ministrum in Missa privata, 15, nota III.

Preces. Preces post Missas privatas præscriptæ a Leone XIII dici debent immediate post ultimum Evangelium, 16, 23, nota I.

Preces quæ dici debent in Missa solemni a Thuriferario et Acolythis, 5, 6; a Subdiacono, 41; a Diacono, 74; quæ recitantur in Choro, 156, V.

Preces imperatæ aliquando dicendæ post Missam solemnem; notanda si præsens est Episcopus in throno, pro Diacono, 101, 25; pro Subdiacono, 67, 25; preces imperatæ pro Rege quandonam dici debent, 20, 25, nota.

Preces dicendæ pro omnibus fidelibus defunctis, post sepulturam, 84, I, 12, nota; 51, I, 5, nota; post Absolutionem super tumulum, 84, II, 7; 51, II, 3; post Absolutionem super pannum, 84, III, 5; 51, III, 6.

Presbyter assistens. De consuetudine admittendi Presbyterum assistentem in Missa solemni, 111; conceditur quibusdam aliquando ex speciali gratia aut privilegio, 111, 2; toleratur aliquando consuetudo immemorabilis et legitime præscripta, 111, 2; toleratur Presbyter assistens in prima Missa solemni novi Sacerdotis, 111, 4; quomodo induitur pro sua assistentia, 112, I; tantum assistere potest ad librum, 112, II; assistit in Missa tantum, non in aliis functionibus, 112, III; ejus officium in Missa solemni, 112; ejus officium in Missa pontificali ad faldistorium, 113; observanda a Celebrante in Missa cum Presbytero assistente, 109; officium Diaconi in Missa cum

Presbytero assistente, 80; Presbyter assistens ad Offertorium incensatur ante Subdiaconum, 80, 30, nota; Presbyter assistens pacem dat Diacono, 80, 37, nota, et 41, nota; officium Subdiaconi in Missa cum Presbytero assistente, 47; quis dat Choro pacem in casu, et quomodo datur pax, 47, 37, nota I et II; officium Cæremoniarii in Missa cum Presbytero assistente, 21.

Presbyteros pluvialibus indutos pro intonatione in Missa solemni admittere præter Diaconum et Subdiaconum, prohibetur, 105, 2.

Presbyter assistens in Missa cantata, vide *Minister assistens*.

Prima Missa novi Sacerdotis. Toleratur pro ea Presbyter assistens, 111, 4; quomodo induitur, 112, I.

Procedamus in pace. Describitur tonus hujus Versiculi, 154.

Processio. Quid observari debet ad debite procedendum in Processione, 2, VII, 4; observanda conformitas in motu, 2, VII, 7; observanda a clero Chori in Processionibus, 157, III.

Processio in qua defertur SS. Sacramentum. Officium Thuriferariorum, Acolythorum et Ceroferariorum, 11; duo sunt Thuriferarii in Processione in qua SS. Sacramentum defertur, 11, 8; officium Subdiaconi, 65; officium Diaconi, 99; officium Celebrantis, 128; observanda a Celebrante, Diacono et Subdiacono, quando Hostia deferenda in Processione post Missam consecratur in ipsa Missa, 128, 1; 99, 1; 65, 1; quoties dari potest Benedictio SS. Sacramenti in Processione, 128, 9, nota.

Processio Litaniarum, seu Rogationum. Officium Thuriferarii et Acolythorum, 11; officium Subdiaconi, 66; officium Diaconi, 100; officium Celebrantis, 129.

Processio in qua deferuntur SS. Reliquiæ. Observanda a Thuriferariis et Ceroferariis, 11.

Prophetia. Tonus Prophetiæ describitur, 145; quando cantantur in quibusdam Missis a Lectore Prophetiæ post *Kyrie eleison*, quid observandum est a Diacono, 79, 6, nota 1; a Subdiacono, 46, 5, nota I.

Puella. De ministerio puellæ in Missa privata, 15, nota II.

Pueri qui Altari inserviunt. Vide *Minister Missæ privatæ*.

Purificatio B. Mariæ V. Præparanda pro Benedictione Candelarum, Processione et Missa. 30; de translatione Festi Purificationis, 30; non transfertur Candelarum Benedictio a die 2 Februarii, 30; officium Celebrantis, 121; idem Sacerdos qui benedicit Candelas debet celebrare Missam subsequentem, 121, 15; diebus Dominicis fit aspersio aquæ benedictæ ante Benedictionem Candelarum, 121, 2; quandonam in Benedictione dicitur: *Flectamus genua*, et: *Levate*, 121, 9; quandonam Celebrans in Missa solemni tenet Candelam ad cantum Evangelii, 121, 14; officium Diaconi, 91; quando Diaconus

accipit Candelam a Celebrante, eam prius osculatur dein manum, quia Candela est benedicta, 91, 5 : quandonam in Benedictione cantat Diaconus : *Flectamus genua*, 91, 7 ; officium Subdiaconi, 58 ; quando Subdiaconus accipit Candelam a Celebrante, eam prius osculatur dein manum, quia Candela est benedicta, 58, 5, nota ; quandonam in Benedictione cantat Subdiaconus : *Levate*, 58, 7 ; ritus Benedictionis Candelarum et Processionis in minoribus ecclesiis juxta Memoriale Rituum, 136.

Pyxis. Quando Sacerdos distribuit Communionem generalem, non potest Diaconus tenere Pyxidem, quemadmodum fit Episcopo celebrante, 87, 4, nota II; quando pro Communione in Missa Pyxis ab alio Altari est afferenda, et post Communionem ad aliud Altare est referenda, id facere non potest Diaconus, 87, 8.

Regina cœli lætare. Quando cantatur hæc Antiphona in Laudibus vespertinis, non debent omnes stare, quemadmodum cum cantatur in Officio, 88, I, 6, nota; 55, I, 6, nota.

Regulæ generales. Regulæ generales de modo peragendi diversas cæremonias quæ communes sunt cuicumque functioni, 2.

Regulæ generales pro Choro tempore Officii divini seu Horarum canonicarum, 155, vide *Chorus* ; regulæ generales pro Choro tempore Missæ solemnis, 156, vide *Chorus*.

Regulæ generales pro cantu in diversis functionibus, vide *Cantus*.

Regulæ pro genuflexionibus faciendis a Ministro Missæ privatæ ad Altare, 16, 4, nota, 9, nota I, 16, nota I.

Regulæ pro genuflexionibus faciendis in Missa solemni a Diacono et Subdiacono, 75 ; 76 ; 42 ; 43; vide *Diaconus*, *Subdiaconus* et *Genuflexio*.

Reliquiæ S. Crucis et Dominicæ Passionis. Idem cultus qui tribuitur Reliquiis S. Crucis tribuitur etiam aliis Reliquiis Dominicæ Passionis, 106, IV, nota II ; Reliquia S. Crucis loco principali Altaris exposita thurificari debet, sed simul cum ipsa incensatur Altaris Crux, 106, IV, nota I ; genuflexiones ratione Reliquiæ S. Crucis in Missa faciendæ a Celebrante, 106, IV ; a Diacono, 76, II ; a Subdiacono, 43, II ; Celebrans Reliquiam S. Crucis incensat stans, non genuflexus, 106, IV, nota I.

Reliquiæ Sanctorum. Quando Reliquiæ Sanctorum expositæ sunt in Altari, quænam observanda sunt ratione ipsarum ad thurificationem Altaris, 79, 3, nota III ; 46, 3, nota III.

Repositio SS. Sacramenti. Vide *Benedictio SS. Sacramenti*.

Repositorium, seu Cappella, seu Sacellum, ubi reponitur SS. Sacramentum in Feria V in Cœna Domini. Notanda de ejus ornatu, 34, 6.

Requiem. Missa de *Requiem*. Officium Celebrantis, 115 (Tractatus de celebratione Missæ) : notanda pro sessione quando cantatur Sequentia *Dies iræ*, 23, 7, nota ; 83, 12 ; 50, 12 ; notanda de oblationibus fidelium quæ fiunt ad Offertorium, abusus vitandi, 50, 24, nota ; officium Diaconi, 83 ; Diaconus non osculatur manum Celebrantis neque rem quam Celebranti porrigit, 83, 25 ; Diaconus in fine cantat *Requiescant in pace* semper in plurali, 83, 46 ; officium Subdiaconi, 50 ; Subdiaconus incensat SS. Sacramentum ad Elevationem, 50, 32 ; officium Cæremoniarii, 23 ; officium Thuriferarii et Acolythorum, 6 ; quandonam in Missa de *Requiem* genuflectitur in Choro, 156, I ; observanda ad Absolutionem post Missam de *Requiem*, vide *Absolutio pro Defunctis*.

Requiescant in pace. Semper dicitur in plurali in fine Missæ, 83, 46 ; describitur tonus pro cantu hujus Versus, 153, 12.

Reverentiæ. Reverentiæ faciendæ inter eundum ad Altare, a Celebrante, 119 ; a Diacono, 89 ; a Subdiacono, 56 ; a ministro Missæ privatæ, 16, 3.

Reverentiæ in Missa. Exposito SS. Sacramento, omittuntur reverentiæ ad personas, non illæ tamen quæ ritus potius quam honoris causa præstantur, 82, Prænotatur II ; 49, Prænotatur II.

Reverentiæ ad clerum in Choro. Describuntur generatim, 28 ; fiunt in Missis de *Requiem*, 28, nota ; 120 ; 90 ; 57 ; omittuntur exposito SS. Sacramento, 28, nota ; omittuntur præsente Episcopo Ordinario in throno, 28, nota ; omittuntur in Parasceve, usque ad nonam Sabbati sancti, 125, 2 ; 96, 2 ; 62, 2 ; reverentiæ præstandæ a Celebrante ad ingressum, ad regressum de scamno, ad discessum versus sacristiam, 28 ; 120 ; quo ordine fiunt in diversis casibus, 120, nota ; quando omittuntur, 120 ; reverentiæ præstandæ a Diacono ad ingressum, ad regressum de scamno, ad delationem Libri Evangeliorum, ad cantum Evangelii, ad delationem bursæ, ad discessum versus sacristiam, 28 ; 90 ; quo ordine fiunt in diversis casibus, 90, nota I ; quando omittuntur, 90 ; reverentiæ præstandæ a Subdiacono ad ingressum, ad regressum de scamno, ad cantum Epistolæ, ad cantum Evangelii, ad discessum versus sacristiam, 28 ; 57 ; quo ordine fiunt in diversis casibus, 57, nota I ; quando omittuntur, 57 ; reverentiæ præstandæ a Thuriferario et Acolythis ad ingressum, 4, 3 ; ad cantum Evangelii, 5, 19 ; ad discessum versus sacristiam, 5, 42 ; quid animadvertendum est a Cæremoniario pro reverentiis clero præstandis, 28 ; observanda ad salutationes a clero qui est in Choro, 157, II ; de reverentiis ad clerum in Matutino Tenebrarum, 33, nota II.

Rex. Quandonam dici debent preces pro Rege, 20, 25, nota.

Ritus. Ritus a Missali præscriptos pro Missa solemni omittere in diebus minus solemnibus, non approbatur, 105, 9.

S. Rituum Congregatio. Vide *Decreta S. Rituum Congregationis.*

Rogationes. Vide *Litaniarum Processiones.*

Rubricæ. Quas genuflexiones Rubricæ præscribunt Diacono, 75, 1 ; quas Subdiacono, 42, 1.

Sabbatum sanctum. Præparanda pro functionibus Sabbati sancti, 36 : Imagines Altarium deteguntur in fine Litaniarum, 36, 1 ; arundo cum tricereo qualis esse debet, 36, 7 ; quomodo in cereo Paschali disponuntur quinque foramina, 36, 3 ; quandonam tempore Paschali accendi debet et potest cereus Paschalis, 37 ; officium Celebrantis, 126 ; Cantores inchoant Litanias quando Celebrans et Ministri jam procumbunt ante Altare, 126, 23, nota ; post Missam SS. Sacramentum reponitur in Tabernaculo, 126, 41 ; officium Diaconi, 97 ; idem debet esse Diaconus in diversis functionibus Officii Sabbati sancti, 97, 5, nota ; officium Subdiaconi, 63 ; idem debet esse Subdiaconus in diversis functionibus Officii Sabbati sancti, 63, 2, nota ; præsente Episcopo Ordinario, Subdiaconus post Epistolam annuntiat *Alleluja*, 63, 18, nota ; ritus Officii in minoribus Ecclesiis juxta Memoriale Rituum, 141.

Sacellum pro repositione SS. Sacramenti in Cœna Domini. Notanda de ejus ornatu, 34, 6.

Sacerdos. Ad primam Missam Sacerdotis toleratur Presbyter assistens, 111, 4 ; quomodo induitur, 112, 1.

Notanda circa dispositionem cadaveris Sacerdotis in Ecclesia pro Absolutione super feretrum, 84, I, 3, 4 ; 51, I, 2 ; nulla distinctio fit in Absolutione super tumulum, 84, II, 1 ; 51, II, 1.

Sacerdos assistens. Vide *Presbyter assistens.*

SS. Sacramenti Benedictio. Vide *Benedictio SS. Sacramenti.*

SS. Sacramenti Expositio. Vide *Expositio SS. Sacramenti.*

SS. Sacramenti Repositio. Vide *Benedictio SS. Sacramenti.*

SS. Sacramentum expositum. Missa solemnis ante SS. Sacramentum expositum. Officium Celebrantis, 114 (Tractatus de celebratione Missæ) ; notanda circa modum accedendi ad scamnum, finita Missa, si sequitur Processio vel Benedictio SS. Sacramenti, 114, 3, nota I ; Celebrans finita Missa pro Benedictione debet assumere pluviale, 114, 3, nota II ; observanda si præsens est Episcopus Ordinarius, 132 ; officium Diaconi et Subdiaconi 82 ; 49 ; omittuntur salutationes ad Chorum, sed non omittuntur reverentiæ quæ ritus potius quam honoris causa præstantur, 82, Prænotatur II ; 49, Prænotatur II ; omnes reverentiæ quæ alias ad Crucem Altaris diriguntur, ad SS. Sacramentum dirigi debent, 82, Prænotatur II ; 49, Prænotatur II ; animadvertenda pro intelligentia Decreti S. Rituum Congregationis super genuflexionibus a Ministris sacris in Altari præstandis, Sacramento exstante super Altari, 82, Prænotatur

III ; 49, Prænotatur III ; genuflexio facienda quando Diaconus cantat : *Flectamus genua*, fit versus Missale et cornu Epistolæ, non versus SS. Sacramentum, 82, 6, nota ; 49, 6, nota ; notanda circa modum accedendi ad scamnum, finita Missa, si sequitur Processio aut Benedictio SS. Sacramenti, 82, 49 et nota I ; 49, 49 et nota I ; Celebrans finita Missa pro Benedictione debet assumere pluviale, 82, 49, nota II ; 49, 49, nota II ; observanda pro Benedictione SS. Sacramenti post Missam, si præsens est Episcopus Ordinarius, 101, 26 ; 67, 26 ; notanda super genuflexionibus a Diacono et Subdiacono ad Episcopum faciendis, 101, 28, nota ; 67, 28, nota ; officium Cæremoniarii, 22 ; quales fiunt genuflexiones a Thuriferario et Acolythis, 5, 3, nota 2 ; observanda ab Acolythis pro manuum Celebrantis lotione, 5, 26 ; observanda a Thuriferario et Acolythis, si præsens est Episcopus Ordinarius, 13 ; observanda a clero in Choro ante SS. Sacramentum expositum, 157, IV ; omittuntur salutationes ad clerum in Choro, 28; 120 ; ad aspersionem aquæ benedictæ diebus Dominicis fit aspersio ut consueto, sola aspersione Altaris omissa, 107, Prænotatur 3°.

Laudes vespertinæ ante SS. Sacramentum. Vide *Laudes vespertinæ*.

SS. Sacramentum in Tabernaculo reconditum. Genuflexiones in Missa solemni faciendæ a Celebrante ratione Tabernaculi, 106, III ; genuflexiones faciendæ a Diacono et Subdiacono ratione Tabernaculi, 76, I ; 43, I.

Sacellum seu cappella ubi reponitur SS. Sacramentum in Cœna Domini. Notanda de ejus ornatu, 34, 6.

Ubi asservatur SS. Sacramentum in Triduo sacro, 124, 14; quomodo in Cœna Domini e Tabernaculo defertur SS. Sacramentum, 124, 14 ; quomodo in Sabbato sancto ad Tabernaculum refertur post diei Officium, 126, 41.

Sacristia. Si janua sacristiæ existit retro Altare, a qua parte e sacristia accedendum est ad Altare, et de Altari recedendum ad sacristiam, 16, 3, nota ; 16, 23, nota III.

Sacrum Triduum. Vide *Triduum sacrum.*

Salutationes ad clerum in Choro. Vide *Reverentiæ ad clerum in Choro.*

Scamnum. Celebrans et Ministri, si sedent quo tempore cantatur Sequentia, pro regressu ad Altare accedunt directe de scamno ad Altare per partem Epistolæ, et non per viam longiorem, 79, 12, nota III ; 46, 12, nota III ; notanda circa modum accedendi ad scamnum, finita Missa coram SS. Sacramento celebrata, si immediate sequitur Processio aut Benedictio SS. Sacramenti, 114, 3, Nota I ; 82, 49 et nota I ; 49, 49 et Nota I.

Sedere. Quomodo sedere oportet in Choro ut cum ædificatione fiat, 2, VII, 5 ; conformitas requiritur in actu sedendi et surgendi, 2, VII, 7.

Sepultura defuncti. Officium Diaconi, 84, I, 8 ; officium Subdiaconi, 51, I, 3.

Sequentia. Celebrans et Ministri, si sedent quo tempore cantatur Sequentia, pro sessione ad scamnum accedunt ante lectionem Evangelii, 23, 7, nota ; 46, 12, nota III ; 79, 12, nota III ; pro regressu ad Altare, accedunt directe de scamno ad Altare per partem Epistolæ, et non per viam longiorem, 79, 12, nota III ; 46, 12, nota III ; observanda a Diacono ad Sequentiam *Dies iræ*, 83, 12 ; observanda a Subdiacono ad Sequentiam *Dies iræ*, 50, 12.

Sessio. Quandonam in Choro omnes sedent tempore Officii Divini seu Horarum canonicarum, 155, III ; quandonam sedent tempore Missæ solemnis, 156, III ; sessio ad cantum Sequentiæ, vide *Sequentia*.

Signum Crucis. Quomodo fit a fronte ad pectus, 2, II ; distributio verborum ad quædam signa, 2, I, 1 ; quomodo fit ad cantum Evangelii, 2, I, 2 ; quomodo fit ad ℣. *Domine, labia mea aperies*, et ad ℣. *Converte nos, Deus, salutaris noster*, 2, I, 3 ; quando et quomodo fit in Officio Divino, 155, VI ; non fit a Celebrante et Ministris ad egressum e sacristia ante aspersionem aquæ benedictæ, 107, 2 ; 78, 1 ; 45, 1 ; non fit ad egressum e sacristia in Parasceve, 125, 2 ; 96, 2 ; 62, 2.

Stare. Quomodo stare oportet in Choro ut cum ædificatione fiat, 2, VII, 2 ; conformitas requiritur, 2, VII, 7.

Statio. Quandonam in Choro omnes stant tempore Officii Divini seu Horarum canonicarum, 155, II ; quandonam stant tempore Missæ solemnis, 156, III.

Statuta Diœcesis. Quid commendent de pueris qui Altari inserviunt, 15, nota I.

Stola latior. Ejus usus, quomodo assumitur per Diaconum, 86 ; non potest indui a tribus Diaconis qui Passionem cantant, 94, I, 1, nota.

Subdiaconus. Officium Subdiaconi in sacris functionibus, 38 ad 70 ; notanda circa ejus ministerium, 38 ; Missa lecta cum Diacono et Subdiacono prohibetur, 38, 1 ; an Clericus possit fungi munere Subdiaconi, 38, 2 ; Missa solemnis cum solo Diacono sine Subdiacono prohibetur, 38, 3 ; Missam solemnem celebrare cum Diacono et Subdiacono, sed sine aliis ministris non licet, 38, 5 ; quas dispositiones habere debet Subdiaconus in suo ministerio, 39 ; qualiter actiones suas peragere debet Subdiaconus, 39 ; assistens in Missa Horas canonicas dicere non potest, 39, 6 ; quomodo assumit sacras vestes, 40 ; preces a Subdiacono in Missa dicendæ, 41 ; regulæ circa genuflexiones in Missa faciendas ratione motus e loco in locum, 42 ; 43 ; genuflexiones a Rubricis præscriptæ, 42, I ; genuflexiones a Decretis præscriptæ, 42, II ; genuflexiones faciendæ pro Cruce Altaris, 42, III ; genuflexiones faciendæ si in Altari habetur Tabernaculum SS. Sacramenti, 43, I ; ge-

nuflexiones faciendæ ratione Reliquiarum S. Crucis et Dominicæ Passionis, 43, II ; genuflexiones faciendæ ratione SS. Sacramenti expositi, 43, III ; prima genuflexio in accessu, et ultima ante discessum fiunt in plano, reliquæ fiunt in infimo gradu, 42, III, nota ; conformitas a Subdiacono servanda in actionibus cum Celebrante et Diacono peractis, 44 ; in quibus casibus debet, et in quibus non debet se inclinare, se signare, pectus percutere cum Celebrante, 44.

Officium ad Aspersionem aquæ benedictæ, 45 ; quando fit Aspersio, tunc ad egressum e sacristia non sumitur aqua benedicta, nec fit signum Crucis, 45, 1 ; quando Celebrans indutus est pluviali, Diaconus et Subdiaconus incedunt ad latera Celebrantis, tenentes pluviale, et non possunt incedere unus post alium ante Celebrantem, 45, 1, nota ; Ministri sacri debent a Celebrante aspergi, et non accipere manu aquam benedictam ex aspersorio, 45, 3, nota.

Officium in Missa solemni, 46 : observanda ad incensationem Altaris, si in eo expositæ sunt Reliquiæ Sanctorum, 46, 3, nota III ; observanda in quibusdam diebus, quando post *Kyrie eleison* dicuntur Orationes a Celebrante et Prophetiæ a Lectore ; Subdiaconus in casu postquam Diaconus cantavit : *Flectamus genua*, cantat : *Levate*, 46, 5, nota I ; inclinationes faciendæ ad Orationes, 46, 10 ; quid observandum a Subdiacono si pro cantu Epistolæ dispositum habetur legile, 46, 11, nota ; inclinationes faciendæ ad cantum Epistolæ, 46, 11 ; observanda si sessio fit dum cantatur Sequentia, 46, 12, nota III ; observanda a Subdiacono si ad cantum Evangelii Evangeliarium disponitur in legili, 46, 15, nota II, et 16, nota ; observanda, si sessio non fit ad cantum Symboli, quando cantatur ℣. *Et incarnatus est*, 46, 23, nota ; observanda a Subdiacono si calix a principio Missæ fuit præparatus in Altari, 46, 25, nota ; quandonam in casu accipit Subdiaconus velum humerale, 46, 27, nota ; consuetudo apud nos existit, quod Subdiaconus tenens patenam non accedit ad Celebrantem pro Trisagion, 46, 31 ; modus et ordo dandi pacem clero qui est in Choro, 46, 38, nota.

Officium in Missa cum Presbytero assistente, 47 ; quo ordine in casu Subdiaconus accipit et dat pacem, 47, 37, nota I et II.

Officium in Missa solemni quando non assumit velum humerale, 48 ; non probatur praxis extra Missam de *Requiem*, 48 ; observanda pro thurificatione ad Elevationem, 48, 32 ; quomodo actus thurificationis peragitur, 48, 32.

Officium in Missa solemni ante SS. Sacramentum expositum, 49, vide *SS. Sacramentum expositum.*

Officium in Missa solemni de *Requiem*, 50, vide *Requiem.*

Officium in Absolutione pro Defunctis, 51, vide *Absolutio pro Defunctis.*

Observanda a Subdiacono ad Concionem post Evangelium, 52.

Observanda a Subdiacono si utitur planeta plicata, 53.

Officium ad cleri populique Communionem in Missa solemni, 54 ; Diaconus et Subdiaconus semper communicant primi, ratione ministerii sui, 54, 4, nota ; si Sacerdos distribuit S. Communionem, Subdiaconus non potest tenere patenam sub mento communicantium, quemadmodum fit Episcopo celebrante, 54, 6, nota.

Officium ad Expositionem et Benedictionem SS. Sacramenti, 55, vide *Expositio* et *Benedictio SS. Sacramenti* : exposito SS. Sacramento in Laudibus vespertinis, Diaconus et Subdiaconus semper genuflexi sunt, excepto cum cantatur Hymnus *Te Deum laudamus* ; genuflectunt tamen ad Versiculos et Orationes post Hymnum, 55, I, 6, nota, et 7, nota II ; in quibus casibus debent Diaconus et Subdiaconus pro Orationibus librum tenere ante Celebrantem, 55, I, 7, nota I.

Reverentiæ præstandæ a Subdiacono inter eundum ad Altare, 56 ; reverentiæ præstandæ clero in Choro, 57 : 28, vide *Reverentiæ.*

Officium in Festo Purificationis B. Mariæ V., 58, vide *Purificatio B. Mariæ V.*

Officium in Feria IV Cinerum, 59, vide *Cineres.*

Officium in Dominica Palmarum, 60, vide *Palmæ* : observanda ad cantum Passionis, 60, 20, 21, vide *Passio.*

Officium in Feria V in Cœna Domini, 61, vide *Cœna Domini.*

Officium in Feria VI in Parasceve, 62, vide *Parasceve.*

Officium in Sabbato sancto, 63, vide *Sabbatum sanctum* ; idem debet esse Subdiaconus in diversis functionibus Officii Sabbati sancti, 63, 2, nota ; præsente Episcopo Ordinario, Subdiaconus post cantum Epistolæ annuntiat *Alleluja*, 63, 18, nota.

Officium in Vigilia Pentecostes, 64, vide *Vigilia Pentecostes.*

Officium in Processione SS. Corporis Christi, et aliis Processionibus in quibus defertur SS. Sacramentum, 65, vide *Processio.*

Officium in Processionibus Litaniarum, 66.

Officium Subdiaconi præsente Episcopo Ordinario, 67 ; ad aspersionem aquæ benedictæ, 67, 5 ; in Missa solemni, 67 ; notanda pro precibus aliquando dicendis post Missam, 67, 25 ; notanda si expositum est SS. Sacramentum, 67, 28, nota ; notanda pro Benedictione SS. Sacramenti post Missam, 67, 26 ; notanda pro discessu post Missam, 67, 28.

Officium in Missa Pontificali ad faldistorium, 68 ; 69 ; 70, vide *Missa Pontificalis ad faldistorium.*

Super populum. Oratio « super populum ». Vide *Populus.*

Supplices te rogamus. In hac Oratione ad verba *omni benedictione* Ministri sacri non debent se signare, 44 ; 77 ; 79, 32 ; non debet Diaconus se convertere ad Subdiaconum, 79, 32.

Symbolum. Quando non sedent ad cantum Symboli, Celebrans et Ministri, ubi cantatur ℣. *Et incarnatus est*, genua flectunt in ora suppedanei, 79, 23, nota ; 46, 23, nota ; genuflexio præscripta Celebranti et Ministris ad cantum ℣. *Et incarnatus est*, in Festis Annuntiationis B. Mariæ V., et Nativitatis Domini, 79, 21, nota ; 46, 21, nota ; reverentia præscripta pro Choro ad ℣. *Et incarnatus est*, 156, I, nota I, II ; describitur tonus intonationis *Credo in unum Deum*, 150.

Tabernaculum SS. Sacramenti. Genuflexiones faciendæ si in Altari habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, a Celebrante, 106, III ; a Diacono, 76, I ; a Subdiacono, 43, I.

Tantum ergo. Quandonam genuflectitur ad cantum hujus Strophæ in Choro, cum dicuntur Vesperæ de SS. Sacramento, 155, I.

Te Deum laudamus. Diaconus et Subdiaconus stant quando cantatur hic Hymnus, etiam ante SS. Sacramentum expositum ; genuflectunt ad Versiculos et Orationes post Hymnum, 88, I, 6, nota, et 7, nota II ; 55, I, 6, nota, et 7, nota II ; in Officio Divino quando dicitur Hymnus, omnes in Choro stant, 155, II ; genuflectitur ad ℣. *Te ergo quæsumus... redemisti*, 155, I.

Tenebrarum Officium. Vide *Matutinum Tenebrarum*.

Thuribulum. Vide *Thuriferarius*.

Thuriferarius. Instructiones de officio Thuriferarii in sacris functionibus, 4 ad 14 ; si non adest proprius minister, Thuriferarius ministrat ad aspersionem aquæ benedictæ, 4 ; salutationes ad clerum in Choro ad ingressum, 4, 3 ; officium in Missa solemni, 5 ; sine Thuriferario et Acolythis non potest celebrari Missa solemnis, 5, nota I ; quomodo Thuriferarius gestat thuribulum in accessu e sacristia ad Altare, 5, 1 ; genuflexiones quascumque facit in plano, 5, 3, nota I ; quales genuflexiones fiunt exposito SS. Sacramento, 5, 3, nota II ; quomodo tenet thuribulum quando stat ad credentiam, 5, 5 ; quomodo præsentat thuribulum et naviculam pro impositione incensi, 5, 9 ; salutationes ad clerum in Choro ad cantum Evangelii, 5, 19 ; observanda ad incensationem cleri in Choro, 5, 25, vide *Thurificatio* ; percutit pectus quando dicit : *miserere nobis, etc.*, ad *Agnus Dei*, sed non quando Celebrans ante S. Hostiæ sumptionem dicit : *Domine, non sum dignus*, 5, 35 ; salutationes ad clerum in Choro, quando finita Missa discedit ad sacristiam, 5, 42 ; observanda a Thuriferario in Missa de *Requiem*, 6 ; observanda in Absolutione pro Defunctis, 7, vide *Absolutio pro Defunctis* ; officium in Vesperis solemnibus, 8 ; officium in Expositione et Benedictione SS. Sacramenti, 9 ; 10 ; officium in Processionibus, 11, vide *Processio* ;

duo sunt Thuriferarii in Processione in qua defertur SS. Sacramentum, 11, 8 ; duo sunt Thuriferarii in Processione in qua deferuntur SS. Reliquiæ, 11, 11 ; officium in Missa solemni præsente Episcopo Ordinario, 12 ; quoties et quando thurificari debet Episcopus Ordinarius in Missa solemni præsens, 12, 4, 9 ; officium in Missa solemni, præsente Episcopo Ordinario et exposito SS. Sacramento, 13 ; officium in diversis aliis functionibus, 14.

Thurificatio. Actus thurificationis quomodo peragitur, 5, 25, nota ; Missam solemnem celebrare nulla adhibita thurificatione, prohibetur, 105, 8 ; de genuflexionibus a Celebrante observandis ad thurificationem Altaris in quo habetur Tabernaculum SS. Sacramenti, 106, III ; observanda a Subdiacono ad thurificationem Altaris et oblatorum, 46, 28 ; observanda ad eamdem thurificationem quando non assumit velum humerale, 48, 28 ; quoties et quando thurificari debet Episcopus Ordinarius in Missa solemni præsens, 12, 4, 9 ; thurificatio cleri in Choro quo modo et quo ordine peragitur a Diacono in Missa solemni ad Offertorium, 79, 30, nota : observanda a Thuriferario ad thurificationem cleri in Choro in Missa solemni, 5, 25.

Tonus diversorum cantuum. Vide *Cantus*.

Tractatus. Conspectus hujus Tractatus, 1.

Triduum sacrum. Disciplina super Missis et functionibus Tridui sacri, 124 (Tractatus de celebratione Missæ) ; quandonam in Officiis seu Horis canonicis Tridui sacri in Choro omnes genuflectunt, 155, I ; quandonam omnes stant, 155, II ; quandonam omnes sedent, 155, III.

Tumulus. Absolutio super tumulum, vide *Absolutio pro Defunctis*.

Velum Crucis Altaris in Parasceve est violacei coloris, 35, 3, nota.

Velum humerale. Ritus servandus a Subdiacono si non assumit velum humerale, 48 ; praxis non assumendi velum humerale extra Missam de *Requiem*, non probatur, 48 ; observanda in casu a Subdiacono pro incensatione ad Elevationem, 48, 32 ; ritus in casu a Diacono servandus, 81.

Veni, Creator Spiritus. Genuflectitur in Choro ad cantum hujus Strophæ in Officio Divino, 155, I.

Veni sancte Spiritus, reple etc. Ad cantum hujus Versus post Epistolam, in Missis de Spiritu sancto, genuflectitur in Choro, 156, I, nota II.

Venite adoremus et procidamus ante Deum. Ad hæc verba Invitatorii in Matutino genuflectitur in Choro, 155, I.

Vesperæ solemnes. Officium Celebrantis et Assistentium, 133 (Tractatus de Officio Divino) ; officium Cæremoniarii, 25 ; officium Thuriferarii et Acolythorum, 8.

Vespertinæ Laudes. Vide *Laudes vespertinæ*.
Vestes sacræ. Quomodo vestes sacras assumit Subdiaconus, 40 ; quomodo Diaconus, 73.
Vigilia Pentecostes. Benedictio fontis omnino et de præcepto facienda est in hac Vigilia, 127 ; de præparatione cerei Paschalis pro functione hujus diei, 37, 4 ; officium Celebrantis, 127 ; officium Diaconi, 98 ; officium Subdiaconi, 64.
Violaceus color. Velum Crucis Altaris in Parasceve est violacei coloris, 35, 3, nota.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN

38530

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1970.S7 C001 V005
SACRA LITURGIA ED. 2. MECHELEN

3 0311 00046 0340

WITHDRAWN

BX
1970
.S73 Stappen, J. F. van der
AUTHOR
1900 v.5 SACRA LITURGIA
TITLE
38530
BORROWER'S NAME

3 0311 000